FELICIS PLATERI ARCHIATRI ET PROFES. BASIL.

Obseruationum,

In Hominis Affectibus plerisq; corpori & animo, functionum læsione, dolore, aliáve molestiâ & vitio incommodantibus,

LIBRI TRES.

Ad Praxeos illius Tractatus tres, quorum primus Functionum læsiones, secundus Dolores, tertius Vitia continet, accommodati.

In quibus eo ordine, diuersorum affectuum sub generibus hisce comprehensorum, progressus, euentus, curationes, vti ab authore hæc obseruata tractataq; fuerunt, Historicè describuntur.





BASILEÆ,
Impensis LUDOVICI KÖNIG,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
M DC XIIII.

Ad

Illustrissimum Potentissimumq;
S.Rom.Imp.Principem,
GEO. FRIDERICHVM
Marchionem Badensem & Hochburgensem, Landgrauium in Susemberg, Dominum in Rőtteln & Badenvviler,

Principem Dominumq; meum clementiss.

FELIX PLATERVS
Archiatros Basil.



OMANORVM Imperatorem Vespasianum, Illustrissime Princeps, ætate & laboribus militaribus atque administratione Reipublicæ, nec non corporis ægritudine fessum, & propemodum confectum, assurgentem astantibus, eumq; quiescere iubentibus, dixisse ferunt, Stantem Imperatorem

terris excedere decere. Quo dicto, laborum patientissimus, & in officio suo diligentissimus ille Imperator, innuere voluit, non solùm eos, qui ad Reipublicæ clauum sedent, verùm etiam quosuis, qui res magnas, ex quibus ad omnes plurimùm cōmodi & vtilitatis, longè lateq; redundat, tractant, ad extremum vsque spiritum, in eo opere constanter perseuerare, neque quamdiu aliquid virium & vitæ superest, à proposito laudabili, in commune humanæ societatis bonum consulendi, rei aut magnitudine perterritos, vel viribus corporis aut animi diffisos, temerè desistere & resilire debere. Quod & ego, in præcipitata hac mea ætate, septuagesimum octauum annum iam ingressus, mecum reputās, quemadmodum toto vitæ curriculo, in rebus varijs indagandis, imprimisque in artis Medicæ arcanis scrutandis, & placitis pensitandis, fui assiduus, eaq; in vsum & praxin deducendo, ægrorum curatione, docendo in Academia, atque in publicum emittendo, me totum occupaui, sic & in hac mea grandi senecta, quæ per se multis incōmodis est obnoxia, quamuis laborū mole

vehe-

vehementer pressus & propemodum obrutus, nihilominus in eo cursu mihi alacriter pergendum, quamdiu iudicij & memoriæ vires, per Dei gratiam integræ permanent, duxi, & laborando potiùs, quàm desidiâ & inertiâ torpēdo, extremum vitæ diem claudere. Ad quod faciendum, non solùm mea me vrget vocatio, quâ Medicus sum, sed & impellit maximè, quòd consilium & operam meam, in medendo & docendo, his qui adhuc indesinenter hæc à me efflagitare non desinunt, licet senectus me excusare posset, denegare mea conscientia non patiatur. Ad quos labores, nouus iam accessit labor, quē hortatu multorum præstantissimorum virorum suscepi, in Obseruationibus meis Medicis edendis, quas in diuturno hoc, sexaginta duûm annorum studio meo Medico, illiusq́ quinquaginta sex annorum vsu & exercitatione, & quadraginta trium annorum, Professione publica, consignaram, singularibus & notatu dignis tantùm ex magno illorū quas habebam numero selectis in vsum multorum publicandis. Edidi quidem, Illustrissime Princeps, ante annos aliquot, li-

bros quosdam ad Medicinam pertinentes, magis Medico ad exquisitam artis cognitionem consequendum necessarios. Ante annos nimirum triginta, Anno 1583. de Corporis humani fabrica & vsu tractatum, iconibus quamplurimis illustratum. In quo, methodo Analyticâ & perspicuâ, singulæ humani corporis partes, eleganter, ipsarumq; præcipuè vsus diligenter, describuntur; quorum cognitio ad morborum causas rectè indagandas, plurimùm confert, in quibus multa & præsertim in ijs quæ vsum partium attinẽt, à me primùm cognita & inuenta, aliorum obseruationib. adieci. Postmodum ante annos vndecim, Anno nimirum 1602. Praxeos tractatum primum, Anno 1603. secundum, Anno 1608. tertium, non solùm in nonum, iuxta Poëtam, sed in multos annos pressos, euulgaui. In quibus affectus, humano generi incommodantes infiniti, primũ quatenus sub sensus cadunt, ordine & methodo adeò perspicuâ, vt ab omnibus cognosci queant, explicantur, nullis penè affectibus omissis, qui hactenus innotuerunt. Dein & horum causæ, non solùm priùs ab alijs de-

scriptæ,

ſcriptæ, ſed & nouæ, longâ multorum annorum experientiâ, ægrorum viſitatione & ſectionibus inſuper corporum, inuentæ, quas viri docti, qui veritati potiùs quàm authoritati locum dandum didicêre, ſibi probari teſtantur, deſcribuntur. Quibus addita eſt curatio, cauſis accommodata, vel in harum ignorantia & obſcuritate, ſecundum experientiam inſtituta & directa, infinitis ſimul optimis adiectis remedijs. Licet autem hiſce tractatibus, in publicum bona fide emiſſis, à me deſyderio doctorum virorum & ſtudioſorum ſatisfactum, mihi perſuaderem, & deinceps ab eiuſmodi lucubrationibus deſiſtendum, hortaretur ſenium, tamen cùm adhuc plurima ſingularia, me annotata habere, quæ & publicè in lectionib. propoſui, & de quibus cum viris doctis conferre conſueui, conſtaret, multorum ſolicitatione impulſus, & tandem victus, quod vtiliſſimum fore arbitrabar, & imprimis ſtudioſi expetebant, ſum aggreſſus: ac Obſeruationes, in affectibus homini incommodantibus, quorum affectuum deſcriptionem priùs generatim in Praxi mea complexus fueram, nunc etiam

particulatim, in certis hominibus quo pacto hæc euenerunt, atque à me obseruata tractataq́; fuerunt, historicè descripta, publici iuris facere volui. Quæ tantò gratiora bonis fore confido, quòd à nemine hæc acceperim, sed quæ ego ipse vidi, animaduerti, tractaui, plerisq; curatione à me adhibitâ, hisce obseruationib. inseruerim, & quod remedia singularia, vel, vt aiunt, secretiora attinet, nihil celarim aut reticuerim, sed fideliter in vsum publicum protulerim. Potuissem quidem multa alia, à varijs mihi communicata, rara quoq; & notabilia hisce meis adijcere, & sic opus hoc meum, illorum accessione locupletare: Verùm cùm satius & laudabilius fore existimarem, post tot editas, de omnibus rebus, quas amplissimus hic mundus continet, commentationes, adeò vt ferè nihil ampliùs scribi possit, quod non sit scriptum priùs, quemlibet ea potiùs, quæ vel cognouit noua, vel obseruauit singularia, posteris relinquere, quā sua aliorūq; congerendo, ingentia volumina concinnare, ideò mea tantùm omissis alijs, huic Obseruationum libro inserere, & sic tanquam oculatus testis, veritati, mea asseuera-

ſeueratione fidem facere volui. Atque idem deinceps quoque, Deo vitam aliquantulum adhuc prorogante, & robur largiente, in ſcriptionibus meis reliquis, quas in poſterum editurus ſum, facere conſtitui. Habeo enim in collectaneis meis, multa egregia conſignata, vt lucem videant, digna, veluti de Alimentis, Medicamentorum compoſitione, materia ſcilicet, formâ & vſu eorum; Deinde & de omnis generis Animalibus, Plantis, Subterraneis, & ijs quæ tellus produxit, quorum immenſam copiam, ad multa millia, in Archiuo meo videre licet, quædam obſeruatu digniſſima, ab alijs aut planè non, aut non plenè deſcripta, & tantùm à me obſeruata. Quemadmodum & nonnulla, ad alias Artes, induſtriam & ſolertiam requirentes, pertinentia, iucunda vtilia & grata futura, in obſeruationibus miſcellaneis, deſcripta aſſeruo. In quibus edendis, reliquum vitæ tempus, quod fortè Deus, mihi in hunc vſum tamdiu prolongauit, inſumere non deſinam, vel ſaltem in eum ordinem redacturus ſum, vt & me in vitam alteram beatam hinc translato, quæ ſuper-

erunt, à fratre meo Thoma Medico, aut ex hoc nepotibus meis, in publicũ mitti queant. Quod vt Deus Ter Opt. Maximus faxit, deuoto animo & supplex ab eo peto. Cæterùm, quòd hisce Obseruationibus meis, à multis summoperè expetitis, & maximè vt spero vtilibus futuris, quæ iam publicè edun tur, Celsitudinem tuam, Illustrißime Princeps, Patronum & Defensorem, præ alijs elegerim, causæ me mouerunt nec paucæ, nec exigui momenti. Cùm enim iam priùs à me in lucem dati, Praxeos tractatus tres, per omnia Europæ loca, ea præsertim, in quibus Academiæ florent, studiaq́ excoluntur, sint dispersi, maximoq́ cùm desyderio & applausu doctorum accepti, Augustumq́ nomen Illustriß. Ducum Wirtembergensium, Patris & Filij, in ipsa statim librorum fronte præfixũ ijs plurimùm gratiæ & auctoritatis addiderit, has quoq; Obseruationes meas, non minori omniũ voto acceptandas, Illustrißimi nominis tui patrocinio munitas, in conspectum totius orbis prodire volui. Quod Illust. T. Cels. eò æquiori animo accepturam spero, cùm non solùm operi huic

Celſ. T. I. nomen, ſolis inſtar, in ipſo aditu ſit præfulſurum, eiq́ commendationis plurimùm conciliaturum, verùm etiam Illuſtriß. Celſ. T. nominis ſplendidiſſimi & iam dudum clariſſimi fama, omnibus Europæis, ſimul ampliùs innoteſcet. Imprimis verò ad hoc opus Ill. Celſ. T. dedicandum, me mouerũt, præter Stemmatis Illuſtr. Marchionum Badenſium nobilitatẽ & antiquitatem, virtutes præter Heroicas & Principe dignas, etiam aliæ eximiæ & excellentes, quas in Ill. Celſ. T. inde à primis adoleſcẽtiæ annis, eluceſcere animaduerti, linguarum variarum addiſcendarum deſyderium, optimarum diſciplinarum, & Philoſophiæ cognitio, Iuris ſtudium, Hiſtoriarum totius mundi veterum & recentium, tanta notitia, vt vix quicquam in medium adferri poßit, quod Ill. T. Celſ. lateat. Quibus tanta rei Militaris acceßit ſcientia, vt ad eam exercendam, maioremq́ in ea peritiam acquirendam, Ill. Celſ. T. in Pannoniam ſuperiorem, ſponte profectionem ante annos aliquot ſuſceperit, fortiterq́ & ſtrenuè hoſtem aggrediendo, periculoq́ue ſe exponendo, laudem

maximam meruerit. Vti & postmodum Dux summus exercitus constitutus, fama fortitudinis tuæ longè lateq; inclaruit. Nec minor est Ill. Cels. T. prudentia, multis editis speciminibus, in rebus & negotiis Imperij dextrè administrandis & solerter compõnẽdis, fœdere & amicitiâ Principes & Respublicas sibi associando, satis superq; Germaniæ toti, nec non aliis populis comprobata. Accessit hisce omnibus. Illustr. Cels. T. gratia & beneuolentia, quâ me Cels. T. à teneris ad hodiernum diem vsq; est prosequuta, quodq; me Medico, aduersa valetudine postulante, vti voluerit, & se suosq; mihi curandos commiserit, meque in duabus profectionibus ad Principes quosdam institutis, comitem & Medicum clementer sibi adiunxerit, & humanissimè tractarit, atque tanquam veterem Illustriss. Marchionum Badensium domus Medicum, semper amarit. Huiusq; sui beneuoli erga me animi, Ill. Cels. T. signum esse voluit, quòd ante annos duodecim circiter, inopinatò apud me in ædibus meis diuertere, & pernoctare, ac quæ in supellectile mea Medica sunt reposita, ex omnibus

mnibus orbis partibus collecta, propiùs inspicere, eamq; locupletare gratiosè dignata est. Eodem fauore erga me quoq; affectus fuit, Ill. Cels. T. frater olim Illustrissimus, & laudatissimæ memoriæ, Ernestus Princeps, omnib. virtutib. principe dignis, quoq; præditus, qui meo consilio & operâ Medicâ in infantia primùm, mox in virili ætate, in graui suo & diuturno morbo est vsus, meq; humanissimè exceptum aliquoties, pro solita sua humanitate benignissimè habuit. Quæ Illustrissimorum filiorũ Marchionum in me gratia, à Patre Carolo, Illustrissimo quondam & beatissimæ recordationis Principe, in filios cum alijs virtutibus deriuata esse & fluxisse videtur, cuius cõiunx Illustr. filijque & filia, iuuenes adhuc Stutgardiæ cùm essem, meâ aliquoties in medendo sunt vsi operâ. Quæ omnia me impulerunt, vt quemadmodum opera priora Medica, Illust. Principibus Wirtenbergicis, Patri & Filio, quorum etiam Illustriss. antecessoribus multos annos medicinam faciendo inseruiui, fuerunt inscripta, ita hæc quoq; Obseruationum Medicarum commentatio, Ill. Cels. eandem

ob causam, consecraretur. Illustriss. Cels. T. animo submisso precor, vt hoc oblatum leuidense munus, tanquam officiorum, ad quæ Ill. T. Cels. præstanda me totum obstringo lubentissimè, arrhabonem & auctoramentum clementer pro fauore suo solito, sereno vultu acceptare haud grauetur. Quod si Ill. Cels. T. fecisse sensero, id in aliqua, in hoc meô senio, felicitatis meæ parte ponam, mecumq; præclarè actum iudicabo, si intelligam Ill. T. Cels. conatus meos qualescunque probari. Deum Ter Optimum Maximum, omnium bonorum fontem & largitorem supplex veneror, & ardentibus votis oro obtestorq;, vt Illustr. Cels. T. cum Illustrissima sobole, clementer ab omni malo protegat & conseruet, omnibus bonis animi & corporis cumulatissimè augeat, prosperrimam & pacificam Reipublicæ administrationem concedat, vitamque longæuam largiatur, & hac decursa, æternæ participem facere velit.

Basileæ 28. Februarij, Anno Salutis 1614.

AD LECTOREM.

EX doctiſsimorum & praſtantiſsimorum Medicorum literis auctorem, ad Obſeruationes haſce ſuas edendas, aſsiduè ſolicitantium, hæc deprompta, vt cauſæ quibus ad hoc faciendum, impulſus fuit, meliùs innoteſcerent, præfigere libuit.

Caſpar Dornauius, Medicus D. & Profeſſor Gorlici.

TVæ verò obſeruationes mi Platere, nunquàm ne videbunt lucem? Quàm vellemus, te viuo fieri! Sicut enim liberi noſtri curantur fideliùs à matribus, quàm nutricibus: ita libri ab autoribus prodeunt rectiùs atque emaculatiùs; quàm ab eorum hæredibus. Gorlici, Anno 1610. Nouembr. 3.

Idem.

TV, Platere celeberrime, quando corporis aliquo partu non tibi benedixit Deus, enitere, quantum potes, atque in lucem interim profer animi tui & ingenij fœtus: qui multorum ſaluti, & toti Reipub. literariæ emolumento eſſe poſſunt. Vale diutiſsimè. Gorlici. Anno 1612. Aug. 4.

Idem.

SEd nec in eo ceſſo te monere, Vir ampliſsime, quod è re futurum eſſet, non Reipubl. tantùm Medicæ, ſed totius adeò generis humani. Obſeruationes tuas dico; raras illas & charas: quas profectò inuidere nobis non deberes: cùm & vitam tibi prorogauerit Deus commodam, & in grandi hac ſenectâ, viridem vt audio, planéq; crudam. Deus te, porrò confirmet atque ſuſtentet: vt vanè tuam cygneam cantionem proferas, æternum

famæ tuæ auctarium : quod plurimorum est vnà mecum votum certè calidißimum. Vale felicißimè. Gorlici Anno 1613.

Bartolomæus Crugerus D. Medicus Wittenbergæ, Fel. Platero.

LIbri tui eminentißimè Platere, tanto ingenio ac tam accurata opera scripti, cùm summam doctrinam, & vel Aesculapio dignam prudentiam & industriam præ se ferant, & ceu cornucopia suppellectilem largißimam officinæ Medicæ expromant, frequentiùs mihi & domi in vsu sunt, & peregrè sæpè dum ad ægrotos euocor, me comitantur. Quàm vellemus reliquas quoque tuas obseruationes tot experimentis refertas videre, quibus vt tandem frui queamus, quæso enitere. Wittebergæ, Anno 1612. Maij 11.

Godefridus Vogler, Medic. D. & Physicus Episcopatus Verdensis, Fel. Platero.

TV, Vir meritißime, nobis vlteriùs ter maximos tuos labores ne inuideas, & ede quæso, quæ iam editioni parata habes, sat enim post obitum relinques, quæ nostro seculo prodesse, tuumq; nomẽ immortale reddere poterunt. Vale & viue. Helmestadio. 14. Martij, Anno 1613.

Georgius Lothus, Ph. & Med. D. Fel. Platero.

QVoties animum meum subit tuæ spectabilitatis memoria (subit autem sæpißimè) non possum, quin, quantùm bono publico & Medico cupio, tantùm T.S. & cupiam & optem. Viuas, viuas, Venerande senior & Medicinæ aluminis solertioribus, lucubrationes tuas doctißi-

doctissimas & vtilissimas etiam in posterum consecres. Certè plurimi Obseruationum tuarum maximo tenennentur desyderio, quas sine omni dubio ad Solem tuæ prudentiæ satis maturatas, propediem ipsis offeres legendas. Viuet tua post funera virtus. Luna quicquid à Sole luminis accipit, in omne terris refundit: idem facis vir celeberrime, dum talentum tuum, quod summum illud Bonum concessit, non defodis, sed in plurimorum salutem collocas libēter. Ingrati simus, nisi vicißim omnes, quantum in quolibet T.S. & benè velimus, & benè faciamus. Vale, vir celeberrime & summum Ἀγαθὸν imitatus, bonis benefacere nunquam intermitte.

Subiungit postea.

Librum tuum obseruationum & de Alimentis, heu quamdiu adhuc premis? quamdiu rarioris & reconditæ doctrinæ Consilia? Vides quantopere ars nostra in plurimis hallucinetur, nisi singularium Obseruatione indiuiduorum casibus locupletetur, tuisq; paradoxis illustretur. Patauij Anno 1613. Ianuar. 10.

Philipertus Saracenus D. Medic. Lugdunensis, Felici Platero.

Gaudio de statu & valetudine tua. Feruet in me sanè amor ille tuæ virtutis, raræ eruditionis. Viguit iam fermè toto hoc posteriore seculo, celeberrimum Plateri nomen, quod mihi vel solo auditu hilaritatem & gaudium in animo parit. Quam Medicinæ partem non ornamento & vigilijs tuis illustrasti? Anatomica tu, si quis alius clarißimè & vtiliter edocuisti. Botanica mira iucunditate fouisti. In therapia fœcundißimum therapeutem te exhibuisti. Vnum superest, quod te orare & exorare velim, vt quæ adhuc in chartis & pluteis tuis

superſunt, raræ obſeruationes, notæ, Doctorum epiſtolæ, tuæq; ad eos reſponſiones, ea omnia inquam publici iuris facere ne moreris. Eorum nonnulla mihi præſenti nuperrimè communicaſti, id in me deſyderiū hoc excitauit. Precibus meis locum dabis, ſi me tantùm amas, quantùm ego te colo & obſeruo. Lugduni, Anno 1613. Martij Idibus.

VARANDAEVS IN ANTIQVISSIMA ET CELEBERRIMA Monſpeſſulenſi Academiâ D. Medic. & Profeſſor Regius, D. Thomæ Platero, Felicis fratri.



Onſieur, ie ſuis eſtè fort aiſe, d'entendre par la lettre qu'il vous pleut de m'eſcrire, voſtre bon portement, & celuy de monſieur Felix, voſtre treshonorè frere, lequel ie tiens pour le plus ancien & plus experimentè Medicin de noſtre ſiecle, luy deſirant continuation de ſantè & de vie, pour parfaire les œuures, qu'il à premedites, pour l'embelliſſement de la Medicine, à vtilitè de ceux qui en font profeſſion. A quoy ie'ſtime quil doit eſtre ſecouru, par la vigueur de voſtre eage, affin qu'il ne ſuccombe au trauail, en l'edition de ce beau traictè de ſes Obſeruations, qu'il veut mettre en lumiere. Ie vous prie de luy baiſer les mains de ma part, & l'aſſeurer, que toute L'vniuerſitè de Mompellier l'honore, comme le vray Neſtor de noſtre profeſſion, De Mompellier 15. Decembr. l'An. 1613.

Hæc

AD LECTOREM:
Hæc Latinè sic sonant.

DOmine, admodùm gauisus sum, cũ ex literis tuis incolumitatem tuã, vti & reuerendißimi fratris tui Felicis intellexissem, quem ego antiquißimum & experientißimum, nostri seculi Medicum esse censeo, illiq; prorogationem & sanitatis & vitæ opto, ad perficienda opera, quæ meditari incepit, in ornamentum Medicinæ, atq; vtilitatem eam profitentium. In quo labore existimo, te illum vigore ætatis tuæ debere iuuare, ne sub ea mole succumbat, in editione elegantis huius tractatus Obseruationum, quem in lucem edit. Rogo vt manus ei meo nomine osculari digneris, illiq; hoc certò persuadeas, totam Academiam Monspessulanam eum, tanquam vetum Nestorem nostræ professionis honorare. Monspessuli 15. Decembr. Anno 1613.

CATALOGVS
LIBRI PRIMI
Obſeruationum FELICIS PLATERI, In Functionum Senſus & Motus læſionibus.

In Mentis imbecillitate, Obſeruationes.

In Mentis conſternatione Obſeru.

Morbus

In Mentis alienatione Obseruat.

Melan-

In Tactus læsione.

In Visus læsione.

In Auditus læsione.

In Motus impotentia.

In Motu deprauato.

In Respirationis defectu.

In Respiratione praua.

In Transitus per gulam defectu.

In Deiectionis defectu.

In Mictionis defectu.

In Partus defectu.

In Vitalis motus defectu.

In Vitali motu deprauato.

In Appetitus defectu.

In Appetitu deprauato.

In Hæmorrhagiæ naturalis defectu.

In Lactationis defectu.

In Actus Venerei defectu.

In Salacitate.

In Conceptus defectu.

LIBRI SECVNDI

Obseruationes in Doloribus.

In Febribus.

In Capitis dolore.

In Oculorum dolore.

In Aurium dolore.

In Narium dolore.

In Oris dolore.

Cancer

In Dentium dolore.

In Faucium dolore.

In Pectoris dolore.

In Cordis dolore.

In Ventris dolore.

In Hypochondriaco dolore.

In Genitalium dolore.

In Podicis dolore.

In Habitus corporis dolore.

In Superficiei corporis dolore.

LIBRI TERTII
Obseruationes in Vitijs.
In Deformatione.

In Discoloratione.

In Extuberantia.

In De-

In Defœdatione.

In Consumptione.

In Partium excretione.

In Partium procidentia.

In Spermatica excretione.

In Sanguinea excretione.

In Purulenta excretione.

In Aquosa excretione.

In Expuitione.

In Vomitione.

In Mictione.

In Deiectione.

In Sordida excretione

In Animalium excretione.

In Animatorum excretione.

In Terrestrium excretione, & quorundam è corpore sectione.

In Rerum externarum excretione.




LIBER PRIMVS *Obſeruationum*

FELICIS PLATERI,

In affectibus homini incommodantibus, qui in FVNCTIONVM SENSVS nimirum & MOTVS læſionibus, præcipuè occurrerunt.

IN MENTIS IMBECILLITATE Obſeruationes.

Ingenium hebes in quibuſdam, in alijs acutum à natura.



INGENIO hebeti & tardo naturâ, citra alium apparẽtem affectum, quamplurimos præditos eſſe, atque vti dicunt, ingenio carere, cùm omnibus ſit notum, multis exemplis illud demonſtrare non eſt neceſſe, ſed præcipua tantùm attingere ſuffecerit.

In infantibus mox hæc ingenij hebetudo, cùm educantur, & ad aliqua addiſcenda coguntur, eluceſcit, & præſertim quando legere docentur, cùm non niſi longo multoque labore elementa litterarum cognoſcere, ſyllabas coniungere, ex illiſque

dictiones integras formare possint. Vti & postmodum adultiores facti, cùm linguæ præter vernaculam, artes scientiæque variæ addiscendæ eis sunt, tardos & ad omnia ineptos se demonstrant, nec vt alij, qui ingeniosi sunt, ad omnia facilè apprehendenda, rectè iudicanda, prompti, & ad operandum industrij apparent.

Quam diuersitatem ex diuersa hominum constitutione, & natura accidere, existimo, quæ alios ad has illásve mentis functiones rectiùs tardiúsve obeundas, vel alias quoque actiones edendas aptiores reddit: sicuti videmus, in quibusdam quoque animalibus illud ipsum accidere, quæ licet vnius sint generis, diuersas tamen naturâ habent inclinationes. Veluti equorum alij naturâ generosi, alij non item sunt: Et inter canes maximè discrimen hoc apparet, quorũ alij venatici, alij aquatici, alij domestici, tantùm ad exteros allatrandum apti, in quibus ad venandum nulla aptitudo: Eorum aliqui & hoc singulare habent, quòd à ferinæ carnis tam crudæ quàm coctæ comestione abhorreant. Ita & peculiares hominum sunt naturæ, in quibusdam generositatis & hereditariæ cuiusdam nobilitatis, vel prudentiæ ac industriæ, & facilis inclinationis ad eruditionem, in quibusdam rusticitatis & contrà, certis indicijs tarditatis, ad omnes actiones se prodentibus.

Verùm quandoque etiam contingit, vt qui aliàs naturâ ad res percipiendas tractandasque inepti sunt, consuetudine, quæ altera est natura, bonâ accedente educatione, & continuâ in artibus ac scientijs exercitatione, ita immutentur, vt postea ingeniosi & industrij fiant, sicuti assuefactione etiam feræ mansuescere & cicurari, aliaque animalia ad hominum imitandum, verba quædam, & operationes, aliquo pacto instrui possunt.

Quâ diligenti & sedulâ educatione, cùm & ex illis, quibus alioquin ingenium hebes contigit, corrigi aliqui possint, vt ingeniosi fiant, quantò magis hi, quibus felix ingenium innatum est, si accedat hæc bona educatio, & à teneris ad artes sciẽtiasque exercitatio, tandem eximios ad miraculum vsque industriæ scientiæ & eruditionis fructus proferent? Quorum omnium exempla infinita, quæ in multis ipsi vidimus & cognouimus, referre possemus, passimq; in historijs sunt obuia.

Memoria labilis quorundam, aliorum stabilis à natura.

OBliuiosos adeò multos fuisse obseruaui, vt nihil ferè memoriæ mandare possent, aut diutiùs retinere, quod in iuuenibus quibusdam statim animaduertitur, in senibus non adeò est ob infirmitatem mirum. In quibus aliquando tantus memoriæ defectus occurrit, vt etsi iudicio adhuc valeant, memoriam tamen non solùm rerum diu ante peractarum, sed & eorum, quæ ante oculos adhuc obuersantur, amittant: Vt ei obseruaui accidere, qui proprij nominis, uti & liberorum obliuiscebatur, & interrogatus de ijs, antequam respõderet, diu hæsitabat, vt reliqua multa alia obliuiosorum hominum exempla omittam.

Verùm vti à naturali constitutione defectus hic memoriæ dependet, & ab ortu processit, ita, in quibusdam contrarium euenit, qui memoriâ adeò valent, vt quæuis quæ audiunt vel legunt, adeò altè menti imprimant, vt postea, si non omnia, pleraque tamen, non summatim saltem, sed & particulatim enarrare queant.

Sunt & aliqui, qui quorundam quæ in primis infantiæ annis viderunt, aut audiuerunt, quorum

aliàs cùm adoleſcunt, obliuiſci ſolent, memoriam retinent. Quod & mihi accidiſſe certò teſtari poſſum, nam cùm Anno 1536. menſe Octobri in lucem hanc prodierim, memini triennio poſt, Anno 1539. ceruinum caput cum cornibus, ædibus noſtris, vt inſcriptio ædium teſtatur, à cæmentario impactum muro fuiſſe: Vti & ſequenti poſtea Anno 1540. in piſtoris ædibus ex aduerſo domus paternæ ſitis, appictos Aethiopes recordor; ſororemque meam bidente ab ancilla in capite vulneratam, ſemimortuam ex horto adportari: Aliorũque plurimorum, quæ eo anno, qui ob inſignem æſtum memorabilis eſt, acciderunt, memoriam qualemcunque adhuc retineo. Cuius rei cauſam tum in me tum in alijs non ſolùm ab eiuſmodi naturali diſpoſitione, prodire, ſed etiam inde prouenire iudico, quòd quæ infantibus offeruntur, vel rara vel horrenda, animo eorum ita imprimantur tenaciter, vt poſtea vix amplius elabantur, præſertim ſi ipſis hęc in memoriam reuocentur ſæpe, aut eorum ſemper obuerſentur oculis, aut ipſi de illis frequenter loquantur.

Memoria artificialis.

MEmoriam quidã arte ſibi cõparant, quã plurima vocabula, vel etiã ſententias integras, ipſis prælectas vel ex ſcripto, vel ore recitatas, rurſum eodẽ numero & ordine recto & retrogrado recitare memoriter poſſunt. Quod me præſente, ſæpe factum, cum ſumma admiratione mea & aliorum memini.

Conſiſtit autem hæc ars, quam libris editis aliqui, alij viua voce docent, & quæſtum ex ea faciũt, in imaginibus diuerſis, quas ex obuijs mente concipiunt, illiſque vocabula & dictiones ſic accommodant,

modant, vt hiſce veluti ducibus quæ audiuerunt, parum animo repetita, iterum recitare queant.

Qua memoria artificiali, ſi non tantùm vocabula & breues ſententias, quod magis laborioſum, ſed & integras orationes ita mente concipere, rurſumque recitare poſſemus, foret hæc ſummopere utilis. Licet & hac ratione non ſit inutilis, & præſertim admirationi illis eſt, qui artem non intelligentes, hoc à fœlici ipſorum memoria proficiſci, exiſtimant.

Memoria læſa poſt carum.

VIde in Mentis conſternatione. Lib. 1. Sopor grauis ſeu Caros.

IN MENTIS CONSTERNATIONE Obſeruationes.

Somnus immodicus.

QVendam tres dies totidéq; noctes dormiuiſſe, ob laſsitudinem prægreſſam, nulla præcedente ebrietate, nec ſumpto aliquo narcotico, obſeruaui.

In Alio.

ALium memini ad cōtinuò dormiendum adeō fuiſſe propenſum, vt inter loquendum vel etiam comedendum, cibos vel poculum ori admouens ſtatim obdormiret, in eoque ſitu, quo tunc erat, permaneret: ſicuti eos qui Meduſę caput inſpiciendo, in ſaxum conuerſos fingunt Poetæ. Erat autem hic homo corpore adeò obæſo & vaſto, vt vix dum pedès progredi & incedere poſſet,

rhedaque plerumque quò cupiebat vehebatur. Testes quoque adeò magnos & ponderosos habebat, capitis amplitudinem adæquantes. Quos proin fasciâ inuolutos colloque appensos gestare cogebatur. Hic cum aliquot annos in vico Rotenburgensi procuratoris officio functus esset: & negotiorum causâ in vicinum locum deueheretur An. circiter 1560, in conuiuio quodam more consueto strenuè potans, cùm poculum ori admoueret vt biberet, somno oppressus exspirauit.

Sopor grauis seu Caros, quem secuta sunt, Conuulsio, Memoria læsa, & Visus hallucinatio.

VIr annos supra quinquaginta natus, in otio viuens, luxuriæ deditus, viduus, cùm secundam uxorem duxisset. An. 1593. circa finem Augusti, quadam nocte, nondum celebratis nuptijs, postquam cum ea cubasset, manè surgēs, in tabernam egressus, aliquid scripturus, capitis grauedinem cum vertigine sensit adeò vehementer, vt vix domum redire posset: quò postquam peruenit, cœpit obstupescere, & cùm sellam illi apponerent, in eam sessurus cadebat, oculos torquebat, balbutire, pituitamque magna copia euomere: Apoplexiam plerique esse censebant. Ego verò vocatus, cùm illum viderem vtrumque latus mouere, negaui, & quia attonitus omnino erat, & oculis clausis in sella prostratus sedebat, pituitaque illi ex ore & naribus fluebat, Carum esse non lethargum, neque enim febricitabat, judicaui.

Itaque statim matutino tempore, quo hoc casu correptus est, 30. Augusti, quia conatus aderat vomendi, vomitorium illi sequens exhibui: ℞. syr.

Acetosi

Acetos. simp. Oxymel. s. ol. Amygd. dulc. ana. ℥. j. aquæ Nucum & Raphani an. ℥. ij. Bibit & multum pituitæ vomuit.

Tempora inungere iussi sequētibus oleis: ℞. ol. Nucis mosc. per expressionem facti ʒ. j. ß. ol. Saluię, Maioranæ an. gut. iij. misce.

Hisce factis cùm iam esset vestimentis exutus, & in lectum positus, admonui de Clysmate, verùm cùm nollet vxor admittere, suppositorium hoc illi supponere iussi: ℞. Mellis q. s. pro duobus suppositorijs, coquatur, addendo Salis ʒ. j. rad. Pyrethri troch. Alhandal an. ʒ. ß. fiant duo suppos. quorum vnum mox indatur, aliud sub vesperam.

Naribus pennam in succo seq. intinctam intrudere iussi: ℞. succi Rutæ, Maioranæ an. ʒ. ij. Castorij ℈. ß. Aceti ʒ. j. misce. Vtatur frequenter.

Et vt spinam dorsi inungeret, sequenti linimento, monui, vt materia à capite deturbaretur, non metuens illius prolapsum in neruos, modo à cerebro descenderet, & satiùs esse duxi paralysim sequi quàm apoplexiam, in quam facile abire potuisset, eū mori existimans: Tale autem erat: ℞. ol. de Castoreo, de Euphorbio, de Piperibus an. ʒ. ij. ol. Costini ℥. ß. Ceræ parùm, fiat linimentum.

Cùm alto sopore premeretur & continuò, tandem concesserunt vt Clyster illi injiceretur, quem ille cum attonitus esset, minimè respuebat. Talem itaque præscripsi: ℞. rad. Iridis rec. ℥. ij. Enulæ, Angelicæ an. ℥. ß. Galangæ ʒ. ij. herb. Saluię, Rutæ, Betonicæ, Origani an. M. j. fl. Rosmar. Stœchados Primulæ an. P. j. baccarum Lauri ℥. ß. semin. Erucę, Sinapis an. ʒ. ij. s. Fœniculi ʒ. iij. Agarici ℥. ß. rad. Esulæ ʒ. ij. Furfuris P. j. fiat decoctio & in ℔. j col. dis. succi Rutæ ℥. ß. succi Mercurialis ℥. j. Bened. lax. Hieræ Log. an. ʒ. ij. Castorei: troch. Alhandal an. ʒ. ß. Mellis Anthos. ol. Rutacei an. ℥. j. Salis gemmæ ʒ. j. fiat Clyster.

Alternis diebus, vno Clystere, altero, suppositorio vtebatur: quibus adhibitis commouebatur, nam aliàs semper nisi excitaretur, dormiebat: excitatus tamen iuscula in os infusa deglutiebat, nec cibum nec potum aliàs expetebat.

Vesicatorium nuchæ apposuissem, sed non cōcedebat vxor. Idcirco cucurbitulas sex cum scarificatione, vti soleo, collo humeris & scapulis affixi.

Interim spinam indies inungebat, atque sequens illi aqua, aliquoties cum cochleari infundebatur: ℞. aquarum Lilij conuallij, Rosmarini, Cinamom. an. ℥ j. pulueris Pliris arc. Dianthos an. ʒ. ß. Castorei ℈. ß. ol. Maioranæ gut. ij. agitentur; Capiat coch. j. vel duo.

Diebus aliquot elapsis, vt materia à capite deturbaretur, cùm iam per os meliùs res admitteret, ordinaui: ℞. tab. Diacarch. meę desc. ʒ. ij. Diagrydij gr. vj. syr. Ros. sol. ℥. j. aquæ Cina q. s. fiat parua potio: Sumpsit, neque enim an medicamentum vel iusculum esset, discernere potuit.

Purgatus hoc medicamento, cœpit minùs torpore premi, meliusque quæ offerebantur, admittere, astantesque cognoscere. Quare mox iterum hoc modo illum per vices purgaui: ℞. rad. Ireos ℥. ß. rad. Angelicæ, Imperatoriæ, Galangæ an. ʒ. ij. herb. Maioranæ, Saluiæ, Spicæ celt. Betonicæ an. M. j. fl. Anthos. Stœchados an. P. j. s. Fœniculi ʒ. ij. Carui ʒ. j. fol. Senæ ℥. j. ß. se. Carthami ℥. j. fiat. decoctio in col. ℔. j. calente adhuc, infunde Turbith. ʒ. iij. Agarici ℥. ß. Zingib. ʒ. j. Salis gem. ʒ. ß. stent per noctem, fiat expressio, dissolue sacchari q. s. fiat potio pro tribus paruis dosibus, arom. Cinam. ʒ. ij. Bibit per triduum, & bene purgatus fuit.

Cucupham capiti apposui: ℞. rad. Ireos. Angelicæ an. ʒ. ij. herb. Maioranę. fl. Rosmar. Stœchados, Lauãdulæ an. ʒ. j. se. Coriandri ʒ. ß. Nucis mosc. ʒ. ij.

Storacis

Storacis calam. ʒ. iij. fiat puluis, insuatur pileolo nocturno.

Post purgationem cùm iam os colluere posset, Gargarismum hunc præscripsi: ℞. rad. Pyrethri ℥. j. Angelicæ ℥. ß. rad. Ireos rec. ℥. ij. se. staphisagr. ʒ. ij. herb. Saluiæ, Rosmarini an. M. j. Nucis mosc. ʒ. iij. Garioph. ʒ. ij. Piperis ʒ. ß. decoquatur in Vini mens. j. Pro caputpurgio.

Comedebat etiam tab. Dianthos manè, guttâ olei Cinamomi singulis tabulis prius affusâ.

Mutatis vicibus hoc vtebatur Tragemate: ℞. spec. Dianthos, Diagalangæ, Pliris arcor: an. ʒ. ß. Cinamom. ʒ. ij. Sacchari q. s. fiat puluis.

Cum omnia in melius vergerent, & iam sedere posset, denuò illum purgaui pilulis, quas iam deglutire poterat: ℞. pilul. Cocciarũ, Aurearum an. ℈. j. cum aqua Saluiæ fiant pilulæ.

Egregiè hoc medicamento purgatus est, videbanturque iam omnia in declinatione esse, verùm dum omnes bene sperarent, subitò in conuulsiones incidit, quas tamen etsi omnes eum deploratum censerent, non lethales, nec aliquid mali portendere dixi, materiam enim à cerebro in neruorum principium descendisse, & cum acris fuerit, conuulsiones potiùs quàm paralysim excitasse.

Accersito alio quoque Medico, quia mihi peregrè abeundum erat, pulsibus sequẽs applicuimus: ℞. aquę Rosi. ℥. ij. Aceti rosi. ℥. ß. Gariophyl. ʒ. ß. sp. Cordial. ʒ. j. misce: Irrorati panni applicentur.

Iulepo quoque sequenti vsus est: ℞. Iulep. Rosacei ℥. j. ß. aquæ Cinamom. ℥. j. aquæ Borrag. & Buglos. Pœoniæ, Lilij conuallij, aquæ Epilepticæ cõpositæ an. ℥. ß. Manus Christi ʒ. vj. misce: Capiat frequenter.

Alterum quoque paroxysmum habuit, sed pergens in usu Iulepi, denuoque purgatus, me absen-

te, à Medico adiuncto, exhibitis etiam ijs quæ epilepsiæ resistunt, postea conuulsiones non amplius superuenerunt.

Exactis quatuor septimanis à prima huius morbi inuasione, cùm domum denuò essem reuersus, bene se habebat, rectè deambulabat, comedebat, dormiebat: saltem Memoriam sibi vehementer defecisse, vt omnium citissimè obliuisceretur, & Visionem deprauatam, vt res geminas quas intuebatur, esse putaret, nec rectè legere posset, conquerebatur: quo nomine sequentibus vt vteretur, ordinaui.

Primum, Vino: ℞. herb. Saluiæ, Maioranæ, Betonicæ, Absynthij an. ʒ. ij. fol. Senæ ℥. j. Agarici ʒ. iij. Zingib. ʒ. j. s. Anisi, Fœniculi an. ʒ. ij. Nucis mosc. ʒ. j. rad. Ireos ℥. ß. Galangæ ʒ. ij. conquass. pro mensura j. Vini & aquæ Betonicæ ℥. iij. Bibat tribus matutinis.

2. Pilulas: ℞. pilul. Cocci. Fœtid. an. ʒ. ß. cum aqua Saluiæ fiant. pil.

3. Puluerem: ℞. s. Coriandri, Fœniculi, Anisi, Carui, saccharo semi cooper. an. ʒ. iij. Maioranæ sic. ʒ. ß. gr. Iuniperi num. xx. Cinamomi ℥. ß. sp. Diagalangæ ʒ. j. Sacchari ros. tab. fiat puluis: Capiat interdum manè, interdum sub uesperam.

4. Infusionem: ℞. aquæ Vitæ simpl. præstantiss. ℥. ij. ß. aquæ Cinam. ℥. j. aquæ Saluiæ, Anthôs an. ℥. ß. Zingib. Piperis, Garioph. Cubeb. an. ʒ. ß. conf. Anacardinæ ʒ. j. misceantur, stent in infusione aliquamdiu, in loco calido, colentur, donec clarum fiat; Capiat frequenter manè coch j.

5. Aquâ hac manè oculos abluat: ℞. aquæ Fœniculi ℥. iij. aq. Rutæ, Euphrasiæ an. ℥. ij. aquæ Ros. ℥. j. Vini albi ℥. ß. misce, & Vtatur.

Hac ratione restitutus, carus ab eo tempore nunquam amplius illum inuasit.

Sopor Vigilans eorum, qui inter dormiendum, nihilominus aliquid agunt.

IOannes Oporinus insignis Typographus, nocte ingruente, vrbe exclusus cum parẽte meo, Thoma Platero, tunc temporis typographo, vt in hoſpitio minùs commodo, noctem fallerent, Græcum exemplar corrigentes, cùm textum legeret Oporinus, obdormiens, à lectione tamen minimè ceſſauit, poſtea excitatus, nihil eorum quæ legerat, penitus meminerat, cùm tamen integram legiſſet paginam.

Hoc in alijs quoque ſæpius euenire vidi. Sic & mihi idem ſæpe contigit, ſomnolentus enim cum in lectum dormitum me contuliſſem, adhuc tamẽ aliquid legebam, & legendo obdormiſcens, nihilominus in lectione pergebam, atque excitatus me quidem legiſſe, ſed propter ſomnum nihil retinuiſſe, cognoſcebam.

Dein & aliquoties mihi accidit, teſtudinem pulſanti, à cæna vt obdormiſcens in luſu aliquantulum nihilominus pergerem, quod & aſtantes fieri aſſeuerabant: egóque obſeruare potui: præſertim cùm mihi aliquando ſomno correpto, teſtudo è manibus elaberetur.

Alia munia, quæ loquendo, geſtiendo, aliúdve agendo, nonnunquam & ambulando, dormientes obeunt, cùm pleriſque hoc notum, omitto.

Stupor ſeu Obſtupeſcentia à tumore globoſo glandulæ inſtar, in cerebro genito.

CAſpar Bonecurtius nobilis Eques, ſenſim per biennium mente alienari cœpit, adeò vt tan-

dem omnino attonitus, nihil ſecundum rationem ageret: cibum nec petebat, nec niſi per vim intruſum capiebat: lectum nonniſi coactus petebat, ſed ad menſam brachio innixus, continuò dormiens ferè ſedebat, nec niſi interrogatus ſæpeque admonitus, verba quædam, ſed quæ ad rem minimè pertinebant, proferebat. Stillabat interim è naribus pituita aquea copioſè frequenterque. Quibus ſic ſemianni ſpacio ſe habentibus, tandem expirauit. In cauſis perquirẽdis, nihil quod huic malo anſam præbuerit, certiùs cognoſci potuit, quàm ictus capitis, quo tribus aut quatuor annis ante percuſſus, cerebri imbecillitatem ab eo tempore cœpit experiri, cùm aliàs priùs ſtrenuus alioquin miles nihil tale ſenſiſſet. Caluariâ poſt mortem ipſius apertâ, cerebroque diducto, ſupra calloſum cerebri corpus, inſignis tumor globoſus glandulæ inſtar carnoſus, ſcirrhoſus fungoſusque, pomi mediocris magnitudine deprehenſus eſt, qui priuatâ tunicâ inueſtitus, venulisque erat conſitus, ab omni tamen connexione cum cerebri ſubſtantiâ liber, adeò vt citra ſectionem manibus exemptus, foueam inſignem aqueo humore mox repletam, quo & ventriculi admodum dilatati diductique referti erant, poſt ſe relinqueret. Quem globum ſua mole cerebrum illiusque ductus comprimentem irritantemque, huius ſtuporis & torporis, tandemq; mortis occaſionem fuiſſe deprehendimus. Cùm tamen priùs aliqui à veneficio, alij verò ab humoribus tantùm, vti plerique Medici cerebri morbos hiſce aſcribunt, profectum hoc malum aſſeuerarent, donec patefacto cerebro, nobis abſtruſa & recondita hæc illius cauſa innotuerit.

Apople-

Apoplexia cum sanguinis profusione ex ore & naribus.

FOEmina plethorica, rubicunda, ministri verbi Dei cuiusdam, cùm in macellũ prodire vellet, pecuniamque in mensa depositam acciperet, subitò corruit, humiq; prostrata & tota resoluta, maximam sanguinis copiam ex ore naribusque effudit, moxque extincta est. Quod & in alio similiter accidisse vidi, vti & alijs, in ipso mortis agone & articulo luctantibus: interdum verò tunc primùm, cùm iam exstincti essent. Cuius rei causam à sanguine dependere in tract. 1. Praxeos fol. 26. ostendimus.

Apoplexia ex casu.

RVsticus ex vrbe in villam rediens, Anno 1592. bene potus, in itinere in terram collapsus, surgere non amplius potuit, nec loqui; domum deportatus, ebrietati omnia accepta ferebant. Verùm sequenti die discussa ebrietate, nihilominus mutus mansit, vnoq; latere resoluto, altero quod mouebat, admodùm calente.

Et cum à sanguinis influxu hoc illi accidisse crederem, suasi 6. Maij, vt venam illi aperirent, verùm neglexerunt, cum adeò vti manè mihi referebant, debilis fuisset. Itaque vt extrema egregiè illi fricarent, imperaui.

Et quia ægrè respirabat, vnguento Resumptiuo pectus inungere iussi.

Tandem sanguinem excreare cœpit, & iuscula quæ illi offerebantur, assumere. Calebat autem admodùm. Itaque 8. Maij hunc Iulepum exhibui: ℞. Oxysacch. simpl. syr. de Buglossa & Violarum an. ℥. j. aquarũ Primulę veris & Cerefolij an. ℥. ij. misce. Bibat duabus vicibus manè & vesperi.

Sed priùs nocte præcedenti ſuppoſitorio aluum moueat. Poſt aſſumptionem Iulepi 9. Maij, venam brachij aperuit.

Et ſequenti die purgatione hac vſus eſt: ℞. Rhab. el. ʒ. j. Mumiæ ℈. j. el. de ſucco Roſ. ʒ. j. ß. Cum aqua Cerefolij bibat.

Altero die ſumpſit conſeruam Roſ. & Primulæ Veris.

Atq; ita curatus fuit integrè.

Apoplexia ſubitanea.

SEnex quidam An. 1592. in pago ſubitò concidit, ſenſu & motu penitus deſtitutus, vti & mutus.

Dedi Elixir vitæ nominatum, ex multis infuſionibus paratum, de quo guttatim in illius fauces inſtillare iuſsi.

Suppoſitorium acre pręcepi infigere, & ſequenti die rurſum deglutire cœpit.

Dedi iterum elixir vitæ cum aqua Lauandulæ. Et ſequenti die hanc potionem: ℞. tab. Diacarthami meæ deſc. ʒ. ij. Diagrydij ℈. ß. cum aqua Lauandulæ & Saluiæ fiat parua potio, quia adhuc ægrè deglutiebat. Multũ deiecit & ad ſe omnino redijt.

Hydromel pręſcripſi: ℞. Mellis poculum vnum, Aquæ Menſ. j. ſemin. Erucæ ʒ. j. bulliant: Bibat loco vini; Sic exactè ſanatus fuit.

Apoplexia, ex cerebro diſſoluto & fluido.

ANus quædam Monſpeſſuli ſubitò apoplexia tacta expirauit, cuius caluariam cum in monaſterio antequam ſepeliretur aperiremus, cerebrum illius in meninge craſſa, hinc inde fluctuare deprehẽdimus, quod & diſſecta apertaq; dura hac dicta matrè

matre, liquoris alicuius ſpiſsioris, & albi pultem referentis, per faciem vniuerſam defluebat, & hinc inde in pannos diſpergebatur. Vti in Praxi tract. 1. fol. 24. huius caſus illiusque cauſæ mentionem feci.

Apoplexiæ metus in Capitis grauedine.

VIde in Capitis dolore. Lib. II. Capitis grauedo & fluctuatio.

Stupor mortalis ab aſſumpto opio.

CVm nobilis quidam podagricus ſummis cruciatibus affligeretur, nosque Medici illi adeſſemus, inſcijs nobis, Empiricus impoſtor, opiũ illi propinauit, quo ſumpto, cùm mox ea nocte dormiret, adeò valido ſopore preſſus, vt & ſterteret, gauiſa primùm vxor, quod de dolore non ampliùs conquereretur, mox verò eum totũ ſtupidum obſeruans, qui & impulſus non è ſomno illo profundo excitabatur, nos excitauit, quem accedentes, in agone mortis ſummè calentem, & ſudore frigido interim madentem, deprehendimus, ſicque extinctus eſt.

Idem à narcotico ſumpto.

MEdicus quidam celebris, febre epidemia maligna, per contagium, dum viſitaret, eadem lue infectos è militia hâc tranſeuntes, correptus, impatiens ob noctes inſomnes, ter pilulas ſumpſit narcoticas, quibus cum tertia vice, in vigore morbi poſtremò vſus eſſet, non ſolùm dormire, ſed & ſtertere, donec multorum cum luctu, extremum duceret ſpiritum, cœpit.

Stupor mortalis, à spiritu vel aqua vini immodicè pota.

ET pueros aliquot & adultos & senes, quia spiritum Vini quem Aquæ vitæ nomine appellant, immoderatè sumpserant, primùm summopere accendi, postea attonitos stupere, ac si opium bibissent, & stertere ad mortem vsque, multoties obseruaui.

Stupor ex ebrietate noxius quandoque lethalis.

ALiquos ex nimia Vini ingurgitatione nō tantùm stupidos fieri, sed & mori obseruaui: non aliter atque in Stupore, à narcoticorum, vti & vini spiritu accidere ostendi, simili stupore obrutos, fuisse extinctos. Qua ratione & aliqui ebrij, etsi rursum ad se redeant, trunci instar & attoniti adeò, vt nec impulsi, aut voce aut gestu, signum edant, in plateis iaceant, non minùs ac si opium magna sumpsissent quantitate.

Stupor mortalis ab exhalatione musti recentis, in caua vinaria efferuescentis.

VInitor quidam Anno 1613. tēpore vindemiarum, cū in cella vinaria dolia musto impleuisset, illudque efferuesceret, vaporeque vti solet, acri & vehementi cauam impleuisset, volens inspicere sua dolia, cùm in cellam veniret, vaporem hunc hauriens, attonitus concidit, & statim expirauit.

Hoc idem anno præcedenti in eadem caua, ex simili vini efferuescentia, prædicti filio accidit, vt cum

eum alijs eum ſequentibus in cellam deſcenderet, omnes corruerent, ſtupidi penitus, è quibus cùm è caua exportarentur, duo ſtatim expirarunt, tertius ægrè euaſit.

Aliàs hoc quoque ſæpè eueniſſe intellexi, exiſtimoque non à repletione vaporum, & exhalationum iſtarum, quæ tam ſubitò hominem ſuffocare, aut mentem conſternare minimè poſſent, ſed potiùs narcoticâ illarum vi, quæ vti in vino, quod iam deferbuit, ebrios reddit, ſic maximè dum adhuc feruet, potenterque exhalat, attractus vapor, ſenſus internos externosque ſubitò ſtupefaciens, reſpiratione tunc, vti in apoplecticis ſublatâ, homines enecat.

Stupor mortalis à prunis accenſis in conclaui occluſo.

CVm nuptias adoleſcens quidam ſponſus cum ſponſa iuuene celebraret, An. 1582. vt cubiculum in quo dormire volebant, nonnihil, frigore tunc intenſiore exiſtente, calefacerent, prunas ardentes importari curarunt, à quibus cùm non pateret per caminum aliquem exitus, vapor ſuſcitatus, nouos coniuges dormientes adeò attonitos reddidit, ut ſponſus mox inde perierit; Sponſa verò præſentiens Verriginem, & è lecto ſurgens, nuda in ſolum decidit, ſicque ſtupida manſit, donec manè cùm eos excitare vellent hoſpites, illum mortuum, hanc verò adhuc ſtupidam, in ſolo iacentem, inuenirent.

Hoc quoque duabus puellis nubilibus accidit, quæ dum ſub veſperam carbonibus accenſis, in arcto conclaui, balneum in labro calefacerent, & poſtmodum in eo ſederent, ſtupore prehenſę, cùm nemo eas obſeruaret, matutino tempore demortuæ, vna in balneo adhuc ſedens, altera pede vno è

labro,ac si ex eo egredi voluisset,porrecto,& veluti rigida parieti innixa, deprehensæ sunt.

Memini in ædibus cuiusdam, in eodem cubili, eadem ratione ob prunas ardentes, in cameram allatas, maritum cum vxore & liberis vna nocte perijsse.

Atque in tugurio quodam, vbi vinum vendebatur,vxorem alicuius, quæ Vinum vendebat,prunisque se calefaciebat, simili modo interiisse.

Stupor dæmoniacus,in quo corpus immobile & insensile rigebat, & collum inuersum erat.

Exorcista quidam sacerdos An. 1560. obsessos coniurando questum faciebat,in vrbe quadam Heluetiæ, in cuius ædes cum ob certas causas venirem, à parente cuius popularis erat, missus, vt eum ab hoc impio instituto auerterem, ecce adfertur quidam, quem obsessum à Dæmone dicebant, vir robustus, indutus caligis dissectis, quem humeris gestatum, in pauimentum conclauis proiecerunt. Qui humi prostratus,pedibus attractis, manibus contortis, colloque, quod mirum, inuerso, adeò vt facies dorsum respiceret, trunci instar immobilis, mutus & surdus iacebat: Narrabant illi eum hoc situ & forma hac,aliquot dies sine cibo & potu nec excretione aliqua facta, permansisse. Ego perculsus hoc terribili spectaculo, me mox subtraxi. Hic exorcista eo anno ad me Basilæam deuectus, quòd in coxa dolorem sentiret, nec ambulare posset, vt eum curarem, apud nos diuertit: verùm cum frustra multa adhiberentur, tandem mihi fassus est, à Dæmone hoc sibi contigisse. Quem cum ex obsesso suis exorcismis vellet expellere, Dæmonem sibi tunc, vti ante sæpe his

verbis Germanicè minatum fuisse, Pfaff ich will dir noch den lohn geben/daß du mich alsso vertreibst/ simulque ad focum adeò violenter se detrusisse, vt coxâ illisâ, ab eo tépore hunc affectum pateretur.

Morbus caducus seu Epilepsia diuturna, & Lunatica, in puella adulta, quæ nunquam menses habuit.

SArtoris cuiusdam filia, adulta, colore mustellino, melancholica, viso epileptici casu eo perterrita, in epilepsiam incidit, eáque multos annos laborauit, ex improuiso sæpe corruens, idque frequentiùs circa nouilunium, seipsam ex casu, tum motu inordinato lædens: menstruis interim penitùs suppressis, quæ & nunquam viderat, neque ea licet multis vsa esset, remedijs promouere vllo modo poterat.

Ego in principio praxeos meæ, An. 1558. arti confidens, vt hîc aliquid præstarem, nomenque mihi compararem, curam, non tamen aliquid temerè pollicens, aggressus sum, talem, quæ & huic malo mederetur, mensesque simul promoueret. Ad præparationem itaque vsa fuit hoc Apozemate: ℞. rad. Graminis, Asparagi, Rubiæ an. ℥.j. radic. Ireos, Eryngij, Acori an. ℥.j. ß. rad. Pæoniæ rec. ℥.ij. Herb. Melissæ, Hyssopi, Mentæ, Betonicæ, Arthemisiæ, Nepetæ an. M. j. Capill. Ven. Ceterach, Buglosl. vtriusque an. M. ß. quatuor Semin. frig. mai: ℥. ß. semin. Anisi ʒ.ij. semin. Pæoniæ ʒ.iij. flor. Rosmarin. Saluiæ, Tamaricis, Genist. an. P. j. fiat decoctio, & in col. ℔.j. ß. dissolue Sacchari q. s. fiat Apozema aromat. Cinamō. ʒ.j. ß. Santali odor. ʒ.j. Nucis mosch. ʒ.ß. Vtatur quinque matutinis.

Quibus præteritis, sequenti die sic purgata fuit.

℞. Tab. Diacarthami mearũ, Elect. Ind. maioris ana ℥. ij. cũ decocto rad. Pæoniæ recentis ℥. ij. facto, fiat Potio. Altero die sumat hunc bolum: ℞. Mithridati ʒ. j. puluer. rad. Pæoniæ ℈. j. Sacchari parùm: Misce.

Postea hasce formulas sæpe in ore continebat: ℞. Succi Liquiritiæ ℥. vj. Cinamom. el. ʒ. ij. Zingib. ʒ. j. Maceris, Gariophyl. Nucis mosch. Cubeb. an. ʒ. ß. semin. Pæonię ʒ. j. Sacchari candi ℥. iiij. Excipiantur infusione gummi Tragach. fiant Formulæ.

Cucuphæ sequentem puluerem insuebat, eamque noctu gestabat: ℞. Mastiches ℥. ß. radic. & semin. Pæoniæ an. ʒ. ij. rad. Acori veri, cortic. Citri sicci, Galangę an. ʒ. j. flor. Rorismarini, Saluię, Pæon. an. ʒ. ß. Maceris, Garioph. an. ʒ. ß. Squœnanthi, Spicænardi, Ligni aloës an. ℈. j. fiat Puluis.

Pilulis vsualibus singulis septimanis vtebatur, talibus ʒ. j. pondere: ℞. Agarici ʒ. ij. Mechoacæ & Bryoniæ nostr. an. ʒ. j. ß. Turbith, Aloes succocitrin. an. ʒ. j. rad. Azari, Casſiæ ligneæ, semin. Ocimi & Pæoniæ an. ℈. ij. Zingib. Gariophyl. Schœnanthi, Croci an. ℈. j. Sarcocollæ ʒ. ß. cum succo rad. Pæoniæ fiat Massa.

Vtebatur hoc electuario per vices, capiendo ʒ. j. ß. ℞. cinerum Hirundinum, Vngulæ asini, & Cranij hominis crematorum. rad. Pæoniæ, Visci quercin. an. ʒ. ij. radic. Pyrethri ʒ. j. herb. Hyssopi, Polij montan. Dictamni cretici, florum Stœchados an. ʒ. ß. semin. Viticis, Pæoniæ, Ocimi, Callitrici vel Scarleæ, Sileris mont. an. ʒ. j. Spicę, Maceris, Cubeb. an. ʒ. ß. Coralli vtriusque ʒ. ij. Coaguli leporis ʒ. j. Cum syrupo de Pæonia rec. q. s. fiat Electuariũ. Horum vsu continuato toto ferè anno, liberata à paroxysmis fuit: & cùm iam sana crederetur, tum sponte tum meo consilio, si fortè menses ita cierentur, nupsit.

Verùm

Verùm aliquandiu in matrimonio viuens, bene & sano corporis habitu, mensibus nihilominus destituebatur; ob quam caussam pessaria, quibus ante nuptias vti non licebat, indere iussi: ℞. Rad. Azari, Agarici an. ℥. ij. Myrrhę, foliorum Rutæ sicc. & Maioranæ an. ℨ. j. semin. Pæoniæ ℥. ß. Galliæ mosch. ℈. ij. Contundantur, excipiantur Melle anthosato, addendo parùm Fellis porci ad ℨ. j. fiant Pessaria. Quorum vsu, cum maximo dolore, circa lumbos, tandem loco menstruorum, serosus ichor effluxit, & vix dum cruentum quid apparebat.

Recidiuam post annum, ex nouo terrore alterius epileptici, qui in templo ceciderat, passa, Venam primùm in brachio, sequenti die in pede, aperuit.

Dein sic purgata fuit: ℞. radic. Liquirit. Pæoniæ an. ℥. ß. rad. Azari ℨ. ij. Polypodij querni ℥. iij. sem. Carthami ℥. ij. Epithymi ℨ. ß. Turbith ℥. j. semin. Anisi ℥. j. ß. flor. Stœchad. Genist. an. P. j. fi. decoct. Infunde Agarici trochisc. & Rhab. an. ℥. j. Zingib. Spicæ an. ℥. ß. Salis gemmæ gr. iij. Oxymel. q. s. fiat potio. Per vices quoque electuario purgante amaro, ut menses sic cierentur, vtebatur, sumendo ℨ. j. ß. cum syrupo de Pæonia: ℞ Hieræ Hermetis & Logodij an. ℥. ß. Diaphœnic. Diacart. Diasennę an. ℥. ij. cum Oxymell. squilliticо fiat Electuarium. Et succesſiuè nunc tabulis, nunc sequenti electuario vtebatur à ℥. j. ad ℥. j. ß. pondere.

Tabulæ: ℞. semin. Ocimi, Scarleæ, Pæoniæ, Palmæ Christi an. ℥. j. ß. Visci quercin. rad. Pæon. an. ℥. j. Coralli vtriusque ℨ. j. ß. cineris Vngulæ asini & Cranij anterioris humani an. ℥. ß. spec. Diamarg. frigid. ℈. j. Sacchari dissol. in aquis Bethonicæ & Pæoniæ q. s. fiant tabulæ.

Electuarium: ℞. rad. Pæoniæ, Pentaphyli, Tormentillæ an. ℥. iij. Aristoloch. rotund. Gentianæ,

Pyrethri an.ʒ.j. Herb. Polij montan. Polytrici, Pulegij, Linguæ passerinæ, Thymi an.ʒ.ß.sem.Pæoniæ, Ocimi, Seseleos an.℈.ij. Cubeb. Carpobalsami, Cardamomi an.℈.j. Cinerum Hirundin. & Picæ, Rasuræ cornu cerui, an.ʒ.ß. Sacchari dissoluti & cocti cum succi Pæoniæ ℥. iiij. fiat Electuarium.

Rursum post horum vsum, longo tempore libera à paroxysmo fuit. Sed cùm facilè re quauis vel leuissimâ & præsertim mariti iurgijs, admodum perterrefieret, factum, vt denuò hanc ob causam, paroxysmi redirent, qui aliàs quando non terrebatur, minimè eam infestabant. Verùm cùm semel subitò perculsa caderet, læsis temporibus, nó multo post fuit extincta.

Epilepsia diuturna, quæ à tumore in manu suborto, & in vlcus conuerso originem sumpsit.

FAbro claustrario annorum circiter viginti, An. 1601. apud eiusdem artis opificem, Bernæ operanti, tumor exiguus subortus est, in vola manus dextræ, sub radicè minimi digiti, cum dolore, qui tumore crescēte augebatur. Post dies aliquot, nihil grauiùs sentiens, subitò corruit, epilepsiâ prehensus, conuulsus, sensibus sublatis, motuque inordinato aliquamdiu agitatus. Finito paroxysmo ad se rediens, munia consueta obiuit. Verùm exactis diebus 14. paroxysmus redijt: ab eo diebus octo post denuò recidiuam passus. Quo magister perterritus, eum à se dimisit. Itaque in patriam ad ad nos reuersus, Magistratu sumptus pro remedijs soluente, sic cura fuit instituta.

Purgatus fuit 13. Aug. 1601. primùm, hoc pacto: ℞. rad. Pæoniæ rec.℥.ij. Polypodij ℥.j.ß. fol. Sennæ ℥.ij.

℥.ij, Epithymi ℥. ß. sem. Fœnicu. ʒ. ij. Fumariæ M. j. fiat decoctio in Aqua & Vino, pro tribus vicibus sumenda.

Inde puluere vsus est sequenti, 18. Aug. ℞. Cranij hominis triti ʒ. ij. rad. Pæoniæ, Vngulæ asini ana ʒ. j. ß. cineris Hirundinũ ℈. j. Visci quer. ʒ. ß, rasuræ Eboris ℥. j. Sacchari ad pondus omniũ, fiat puluis, Capiat sing. matutinis cochl. j.

Superbibendo, Aquæ fl. Pæoniæ ℥. j. ß.

Denuo purgatus fuit 3. Sept. sequenti modo: ℞. Tartari Vini ʒ. ij. Diagrydij ℈. ß. semin. Anisi ℈. j. rad. Pæon. ʒ. ß. Sacchari albi ʒ. vj. fiat puluis pro tribus vicibus sumendus.

12. Sept. incepit vti sequẽti electuario: ℞. Scyllæ recentis incisæ, Mellis opt. an. ℥. ij. Visci quer. ʒ. j. fol. Hysopi, Rutæ an. ʒ. ß. Agarici ʒ j. Cranij hominis ʒ. ij. stent in infusione ad solem per tres dies: Exprimatur succus, coquatur parùm: Capiat de hoc coch. j. bis in septimana.

A postremis duobus remedijs, paroxysmus non aliter quam cùm vellicatione quadam, in manu & pede sensit, 15. Sept. sine sensus & motus aliqua alia mutatione, vnde spes sanationis concepta;

18. Sept. redijt cõuulsiua palpitatio, in manu primùm, indeque vaporis instar, descendisse in pedes, qui licet inde vacillarint, non tamen adeò vt caderet, mihi significauit.

Itaque 25. Sept. Post vsum remediorum, hucusque vsurpatorũ, ne natura illis assuesceret, sic fuerunt ea mutata: ℞. Theriacæ veteris ʒ. vj. rad. & sem. Pæoniæ. Visci quer. an. ʒ. ij. semin. Callitrici & Ocimi an. ʒ. j. Cranij hominis ℥. ß. cum Melle squill. fiat Opiata, Detur ʒ. j. cubitum ituro & continuet.

Sudauit insuper in balneo sicco semel, post vsum Opiatæ, unde se valde confirmatum aiebat.

Sept. vltimo, tumor in manu, ab initio subortus, valde auctus est, cum rubore & dolore ingenti, dicebatque initium paroxysmorum, præcedentium semper illic obortum, sensisseque priùs aliquid instar glaciei, ab eo loco in brachium, indeque in pedes descendere, posteaque in totum corpus dispergi, antequam corrueret. Quibus indicijs præmonitus, ne ex casu periclitaretur, mox sedendo vel cubando eum auertere potuit.

Emplastrum Diachylon tumori fuit appositum, quod per totius mensis spatium aliquoties renouatum, gestauit, donec suppuratus tumor in abscessum conuersus, magnam puris copiam profudit. Liber à paroxysmo, de alijs nihil est cõquestus.

1. Nouemb. Correptus denuò sæuissimo epileptico paroxysmo, sumpsit sequenti die: ℞. pilul. Cocciarum, Aurearum an. ℥. ß. cum aqua Pæoniæ fiat pil. 9. copiosè deiecit. Chirurgo commissa fuit vlceris in manu tractatio.

11. Nouemb. vt occurrerẽ paroxysmo qui metuebatur, Cauterium in ceruicis posteriore regione fuit appositum, unde eschara inusta decidit 21. Nouemb. vlcusque apertum, vt solet, seruatum, tractatumque, à quo tempore licet præludia quædam paroxysmi sentiret, non tamen eo vsque vt caderet, inualuerunt.

28. Nouemb. pilulæ sequentes ordinatæ: ℞. Castorei, Assæ fœt. an. ʒ. j. gummi Ammon. Sagapeni diss. in Aceto squill. an. ℈. ij. Fellis bouis ℈. j. olei Succini gut. 8. cum succo rad. Pæoniæ fiant pil. pond. ℈. ß. Capiat unam nocte cubitum iturus aliquoties.

15. Decemb. iterum fuit purgatus: ℞. pil. Aregat ʒ. j. cum aqua Pæoniæ fiant pilulæ, deiecit per biduum octies.

Vt Vinum sequens biberet iniunctum: ℞. rad. Pæoniæ

Pæoniæ ℥. iiij. Ireos, Enulæ camp. ana ℥. ß. herb. Saluiæ, Maioranæ, Chamæpyth. ana ʒ. ij. ſem. Pæoniæ ʒ. iij. ſe. Fæniculi ʒ. j. incidantur ꝑ duabus menſuris Vini: Bibit ſingulis matutinis hauſtum.

Ab eo tempore quo fontanella fluebat, ſex ſeptimanarũ ſpacio liber fuit à paroxyſmo, & poſt Vini præſcripti vſum dicebat, conuulſiuos illos motus ſeu palpitationes, in pedibus, ceſſaſſe, ſaltem in brachio remanere. Quapropter etiam brachio cauterium fuit applicatum 2. Ianuarij Anno 1602. Vlcere inducto, dicebat ſe noctu ter aut quater ſenſiſſe conuulſionem leuem, in digitis, ſed non alibi.

Quapropter iterũ pilulis Aggregatiuis fuit purgatus 20. Ian. Vinumq; denuò prius præſcriptum, bibit ad 3. Febr. vſq;, Cauteriumque tertium in ſura pedis dextri fuit appoſitum, denuoque pilulis purgatus.

Cùm adhuc ſentiret reliquias aliquas 3. Martij, incepit hoc electuario vti: ℞. rad. Pæoniæ, Pyrethri ana ʒ. j. Hyſopi. ſem. Pæoniæ ana ʒ. ij. Mellis ſcyllit q. ſ. miſce: Vtatur ſingulis matutinis.

Poſtmodum ſentiebat tantùm, vt exponebat ab vlcere manus, vaporem per brachium ferri ſibilo veluti. pfiſen / & quaſi per cauterium brachii, & nuchæ & ſuræ pedis euaporari, alioquin grauiorem paroxyſmum non ſentiens, neque à 1. Nouembris cecidiſſe.

Circa finem Martii cùm eſſet plethoricus, vena brachii dextri aperta fuit, atq; repetiit electuarium ex Cranio & rad. Pæoniæ paratum, nec dum paroxyſmus aliquis rediit.

De vlcere manus iam maximè conquerebatur, quod fiſtuloſum factum erat, oſque ſubiectum carioſum, & cùm à chirurgo hoſpitalis ſegniter curaretur, atque eum ex hoſpitali, vbi ſuſtentabatur, ablegare vellent, tanquam ſanum, qui iam totam

annum atq; aliquot menses nullum paroxysmum sensisset, beneque comederet & biberet, ipse desperabundus 30. Ianuar. An. 1603. clàm noctu nudus è lecto surgens, in vicinam cloacam, priùs vulnere in thorace sibi inflicto, se præcipitem dedit, illicq; suffocatus manè repertus est.

Epilepsia in Puella.

PVella quædam rustica, vigenariâ major, bono corporis habitu & colore alioquin, ancillans alicui, aliquoties paroxysmo epileptico correpta, corruit. Ad me adducta An. 1597. consilij causâ 29. Ian. sequentibus vt vteretur iniunxi.

Primùm purgata fuit Electuario meo consueto.

Postea venam aperuit in brachio.

Tertiô vino hoc vsa est: ℞. rad. Pæoniæ siccæ ℔. ß. rad. Ireos, Enulæ an. ℥. j. herb. Salviæ, Maioranæ, Chamæpith. an. ℥. ß. seminum Fœniculi ʒ. ij. seminum Pæoniæ ℥. ß. conquassentur pro mensuris tribus vini: Bibat singulis matutinis, posteaquam iusculum sumpsit.

Hisce cùm ad 17. Febr. vsque vsa fuisset, reuersa cum patre, interea semel tantùm paroxysmum se passam fuisse, referebat. Iussi vt denuò venam aperiret, sed in pede, quia menses segniùs fluebant.

Postea ab epilepsia liberata denuò se ad priorem herum contulit, nec postea aliquid passa est.

Epilepsia in Infante.

PEr triduum ferè paroxysmis epilepticis corripiebatur puella infans. An. 1558.

Iussi succum Rutæ cum Aceto fortiss. permixtum, in spongia naribus adhibere, quando paroxysmo infestabatur, cuius vsu, statim ad se redibat, sed mox iterum recidiuam patiebatur, breuibus

uibus tamen quando hæc naribus admovebat paroxyſmis.

Emplaſtrum hoc cordis Regioni applicavimus: ℞. Theriacæ veræ ℥.j. rad. Pæoniæ pul. ℥.ß. miſce.

Item puluere radicis Pæoniæ capilli conſpergantur.

Et ſic, præter omnem ſpem evaſit.

Catalepſis vel Epilepſia ex nimia animi intentione.

IN promotione publica, cùm aliqui Doctoris titulo decorandi eſſent, An. 1595. vnus ex candidatis, dū perorat, ſubitò corruit, totus attonitus, ſine ſenſu & motu, in quo paroxyſmo, è brabeuterio, in conclaue deportatus aliquantulum permanſit, donec admotis & exhibitis refocillantibus ad ſe rediret.

Cùm an ſyncope, vel epilepſia eſſet, dubitaretur, neque ſe priùs hoc affectu laboraſſe ipſe fateretur, Catalepſeos ſpeciem, ex nimia animi intētione in ſuam orationem, vt eam memoriter rectè diceret, in tanta hominum multitudine, ſpiritibus diffuſis prognatam, eſſe iudicaui, cui & prægreſſa ſtudia diurna nocturnaque, ut ſe ad diſputationes & examina præpararet, occaſionem præbuerunt, capitisque aliqua imbecillitas, & humorum melancholicorum copia.

Metuens autem ne paroxyſmus reverteretur, remanente poſt ipſum corporis imbecillitate, capitis dolore & gravedine, imprimis verò ne in epilepſiam tranſiret, hic affectus, meo conſilio 8. Decemb. ſic purgatus fuit: ℞. ſyr. Roſ. ſol. cum inf. rhabarb. & ſenæ ℥. j. Catholici ℥. ß. cum aquis vtriuſque Bugloſſi, miſce: Bibat.

Sequenti die 9. Decemb. præparans hoc ſum-

psit: ℞.syr.de Hyssopo, de Fumaria ana ℥.j. aquarum Betonicæ ℥.ij. Cinam.℥.ß.misce fiat Iulep.

Postea per vices denuò purgatus fuit, tribus diebus 10.11.12. Decemb. ℞. rad. Aperitiuar: in Vino macerat. ana ℥.ß. rad. Buglossi rec. ℥.j. rad. Pæoniæ rec.℥.j.ß. cort. Tamaricis ʒ.vj rad. Liquiritiæ ℥.j. herb Hyssopi. Fumariæ, Melissæ, Betonicæ, Thymi ana M.j. fl. Cordial. ana P. j. semin.Fœniculi ʒ.ij.s. Anisi. ʒ.j.s. Pæoniæ ℥.j. ß. Pas. ℥.ß. fol. Senæ ℥.j. ß.Polypodij ℥.ij.Epithymi ℥. ß. fiat decoctio.infunde Agarici ʒ.iij. Zingib.ʒ.j.adde Sacchari q.s.arom. Cinamom. Vtatur.

Quarta vice 13. Dec. vltimum purgans subieci: ℞.Rhabarb. inf.in aqua Endiuiæ & expr. ℈. iiij. el. de succo Ros.ʒ. ij. syr. Ros. sol. cum inf. senæ ʒ. vj. fiat potio.

Deinde vsus est hoc electua: ℞. cõseruæ fl.Stœchados, Rosmarini, Salviæ, Betonicæ, fl. Pæoniæ ana ℥.j. conser. fl.Cichorii,& Viol.ana ℥.ß. rad.Pyrethri,fol.Hyssopi ana ʒ.j.s.Ocim. rad. Pæoniæ ana ℥. ß. cum Melle scyllitico fiat electuarium; Capiat alternis diebus bolum vnum.

22. Decemb. Quia adhuc propter accidentia, purgatione videbatur opus habere, dedi sequentem pot. ℞.tab.Diacarthami ʒ.iij.syr.Ros. sol. cum infus. Agarici & Senæ ℥.j.aquarum Saluiæ & Hyssopi q.s.fiat potio. A quâ bene purgatus fuit & alleuatus.

Sequenti die corroborationis causâ, dedi bolum ex conserua Maioranæ, Ros.ana ʒ.j.

Postea manè formulas per dies aliquot masticare iussi sequentes, atque exspuere: ℞. Nucis mosc: ʒ.j.rad.Pyrethri,s. Sinapis ana ʒ.ij. Cubeb. Piperis, Galangæ,rad. Angelicæ ana ℈.j. Mastiches ʒ. ß.fiat puluis,excipiatur pauca Cera, fiant formulæ instar auellanæ.

Circa

Circa finem Decembris, cùm iam satis bene se haberet, atque abitum pararet, vt quo pacto deinceps ab hoc affectu se præseruaret, edocerẽ, rogauit. Ob quam causam illi sequentia præscripsi.

Licet iam tertiò sit purgatus, vt nihilominus electuario sequenti purgante septimanatim vteretur, ad cauendum ne noua denuò illuuies colligatur, suasi. ℞. Catholici, Cassiæ extr. cum Senna ana ℥.j. elect. de succo Rosſ. Diaphœn. ana ℥iij. Cinam. ʒ.ij. Gariophyl. ʒ.ß. cum syrupo Rosſ. sol. fiat instar electuarij: Capiat ʒ.ij. vel iij. prout operabitur, superbibendo iusculum Pisorum vel Cicerum rubr.

Altero die post vsum electuarij purgantis, tabulam vnam de sequentibus sumat, quæ in capitis affectibus præstantiſſ. habentur: ℞. nucum Mosc. numero iij. rad. Pyrethri ʒ.j. fol. Saluiæ. Majoranæ, fl. Lauandulæ. Anthos ana ʒ.ß. Nigellæ ℈.j. Cinam. ʒ.j.ß. Carioph. Galangæ ana ʒ.ß. Cranii hominis præparat; cineris Hirund. ana ʒ.ß. Sacchari ℥.vj. dissoluti in aqua Saluiæ fiant tabulæ pond. ʒ.j.ß.

Quiescat tertio die, quarto verò à purgatione die, electuario vtatur confortante priùs descripto, rursumque die quinto à medicamentis abstineat, vti & sexto, septimo verò denuò electuario purgante vtatur, & post illius vsum, tabulis electuarioq; confortante, iisdem diebus, vt priùs dictum, hunc ordinem aliquandiu continuando.

Aquam sequentem, quæ epilepsiam singulariter præcauet, mensura cochl. ij. vel iij. post assumptionem electuarij confortantis, semel in septimana bibat, quæ sic paranda erit: ℞. Hirundinum pullorum num. x. Picæ pull. num. v. Rutæ M.j. rad. Pæoniæ ℥.ij. Castorii ʒ.j. Spec. Diamarg. Diamosc. ana ʒ.j. affunde Vinum Maluaticum, eliciatur aqua.

Cucupham sequentem noctu in capite gestet: ℞. rad. Ireos ʒ.vj. rad. Cyperi, fol. Maior, fl. Lauandu-

læ, Rof.rubr.ana ʒ.j.ſ. Coriandri ʒ.ij.ſ. Nigellæ ʒ.j. Storacis Cal. ʒ.j.ß. fiat puluis, insuatur pileolo nocturno.

Interea conuenienti vtatur victus ratione, quæ moderata sit & simplex, certoque tempore ordinata. Imprimis temperantia in Vino adhibenda.

Ineunte Vere, eadem ratione Venæ sectione, præparatione & purgatione vtatur, sicuti hæc ab initio illi superius præscripta fuerunt.

Catalepsis seu conuulsio, ex Vini generosi potatione, sensibus non omnino sublatis.

MErcator quidam, procerus intemperanter solitus viuere, iracundus, cùm in cœna quadam ad medium noctis vsque commessando, Vinumq; Muscatum seu Passum forte, quod aqua vitæ mistum esse ex sapore iudicabatur, bibendo se inebriasset, per reliquum noctis crapulam edormiuit; Manè verò 17. Nouembris Anno 1601. sitiens ieiunus idem Vinum bibit, & domo egressus, semel atque iterum se titubare conquestus est. Domum reuersus, cùm in taberna aromataria, ad carbones accensos staret, subitò corruit, dorsumque in cratem ferreum, in quo carbones ardebant, allisit; Inde totus attonitus, stupidusq; factus, in lectumque delatus, biliosam materiam euomuit, & membra corpusq; hinc inde volutauit, cum dentium stridore, neminem agnoscens, nec verbum vllum proferens, nihilominus tamen intuitu & ad interrogata, & ex contactu corpus mouendo, se sensus minimè amisisse, declarabat.

Vocatus Medicus, Conuulsionem & animi defectum esse suspicatus, sequentem Iulepum illi præscripsit, qui ℞. aq. Cinamomi ℥.j. Iulepi rof. ℥.ß. fol. Auri

Auri num.iij.Margarit.præparat. puluis rad. Pæoniæ ana ℈.j. aq. Primulæ veris ℥.ß. Reiteratus fuit bis vel ter hic Iulepus, de quo tamen, cùm illi in os per vim infunderent, nihil vel parùm deglutiebat, vti nec iuſcula nec potum, vel aliud quidquam illi oblatum ſumere, idq; toto ferè triduo, potuit.

Sub veſperam accerſitus, Conuulſionem eſſe, quæ, vti aliàs ſolet, non ad intermiſſionem aliquam perfectam veniret, ſed ad catalepſeos aliquam ſpeciem inclinaret, causâ non ſublatâ, aut à neruoſo genere derivatâ, iudicaui.

Vomitorium exhibuiſſem, verùm cùm nihil ſumeret, in craſtinum diſtuli, præſertim cùm ſummè eſſet debilis, pulſus, & extrema frigerent, quæ periculum denotabant. Nox inquieta, motus admodum violenti, integumentis abiectis corpusque quaquauerſum iactans.

Sequenti die, manè, extrema rurſum calebant, pulſus citus, valde inquietus, oculi aperti, quibus ſingula torué inſpiciebat, totus mutus, inſomnis & proſtratus, conuulſiuis paroxyſmis, aliquando manifeſtis ſuperuenientibus : & quia reſpiratio difficilis, vomitorium exhibere non auſus eram. Præſcripſimus ideò ſuppoſitoria duo; ℞. Mellis cocti q.ſ.pro duobus ſuppoſi torijs, cum Sale gemmæ, addendo rad.Pyrethri ʒ.j.ſpecierũ Hieræ, Colocynth.an.ʒ.ß. fiat duo ſuppoſitoria. Intruſo primo, nihil fuit promotum, cùm alterum inderet, aluus ſoluta fuit.

Nares ſub veſperam inunctæ fuerunt, ſequentI Linimento, ad vapores à cerebro deriuandos; ℞. ſucci Rutæ ℥. ß. Oxymelitis ſquillitic.ʒ.ij. Caſtorii ʒ.ß.rad.Pyrethri, ſ.Nigell.ana ℈. j. miſce: Pro illinitione narium.

Aqua poſtea præſcripta fuit, ſi fortè quid ſumeret; ℞. aquæ Pæoniæ, aq. Cinamom.ana.℥. j. ſpec. Cord.℈.j.Miſce.

Nulla adhuc mutatio eâ die, nec sequenti nocte.

Tertio die, sequenti manè, vomitorium meum ex aqua Nucum maceratarum cum Raphano in Aceto paratum, ori illius per vim infusum bibit, cui tantillum infusi Helleborati mixtum fuit. Vnde bis copiosam subuiridem & flauam euomuit materiam.

Sub vesperam Clyster iniectus, quem ne reiiceret, panno podici appresso, cautum fuit: ℞. rad. Ireos, Bryoniæ ana ℥. j. Cyclaminis ʒ. vj. Saluiæ, Chamæp. ana M. j. rad. Pyrethri ℥. ß. Agarici ʒ. iij. flor. Anthos, Lauandulæ, Pæoniæ ana P. j. f. Rutæ ʒ. ij. Carui ʒ. iij. fiat decoctio; Dissolu. Mellis ℥. j. ß. Hier. Logod. ℥. ß. ol. Rutac. ℥. ij. Salis ʒ j. fiat Clyster. Egregiè inde similem huic quam vomuerat, materiam deiecit, semelq; è lecto erumpens, erectus, neminem interim cognoscens, in hypocaustum minxit.

Cùm nec cibum, nec potũ ori inditum, deglutiret, & toto iá triduo ieiunus estet, impedimentum deglutitionis à conuulsione prodire suspicatus, nucham inungere iussi, ol. Costini & Lumbricorum ana æq. partibus.

Sub noctem dormire cœpit, & circa medium noctis expergefactus, astantes cognoscere, loqui, de Cardialgia & membrorum languore, & dolore Capitis conqueri, iuscula admittere, & quia nullorum quæ passus erat, recordabatur, se lecto detineri mirabatur.

Et cùm manè conueniremus, quam ob causam hoc fieret, interrogabat, atque se eâ primùm nocte ægrotare cœpisse, ex Cardialgia, conquestus.

Purgationẽ requiri admonitus, eam in crastinũ differre voluit. Quo diacydonitum meum sumens, post horam, deiectione subsequente, nouies purgatus fuit. Ab eoq; tempore, sensim, se recollegit.

Conuulsio

Conuulsio post Carum.

VIde in Mentis imbecillitate. Lib. I. Sopor grauis seu Caros, &c.

Conuulsio post Resolutionem.

VIde in Motus impotentia. Lib. II. Resolutio seu paralypsis corporis, &c.

Conuulsio in Febre.

VIde in Febribus Lib. II. Febris, conuulsio, &c.

Conuulsio lethalis ob terrorem ex intuitu suspensi incussum, pronata.

PVellæ veris initio in prata extra vrbem excurrentes, cùm ad locum supplicij vbi patibulum erectum erat, peruenissent, illicque cadauer non ita diu suspensum cernerent, vna ex illis, lapidibus aliquoties in altum iactis, cùm cadauer tetigisset, illud ex hoc impulsu fluctuauit. Quo perterrita, sibique eum viuere, seque inuadere velle imaginata est, domumque mœsta & melancholica reuersa, & continuo timore diuexata, post dies aliquot in conuulsiones incidens, mortua est.

Conuulsio lethalis ob terrorem & metum inspecti cadaueris, exorta.

ALia puella transRhenana 16. annorum, sepulchrum recèns apertum, ingressa, feretro iampridem illic putrefacto & aperto, in quo cadauer

incorruptum matronæ cuiusdam postquam manibus contrectasset, & aliquomodo brachia cadaueris eleuasset subitò inde perterrefacta domum reuersa, conuulsionibus ex terrore adeò fuit diuexata, vt oculi ex sua orbita prolapsi viderentur, tandemque vitâ cum morte commutatâ, sequenti die in vicinum sepulchrum, ac si cadauer eam vocitasset, vti nocte præcedenti clamitabat, fuit collocata.

Conuulsio ab ira procedens, quâ quædam in prima nocte sponsalium extincta est.

CApitaneus quidam Heluetius, viduam iuuenculam diuitem ducturus, cùm sponsalibus indictis, in cōtractu matrimoniali, inter fratres sponsæ ipsumque, de donatione propter nuptias, non conueniret, ipsaque offensa, quòd ab illis impediretur, quò minùs sponso, quantum cupiebat donare & legare posset, cùm ira percita à cœna nuptiali abstinuisset, noctu cum sponso dormiens, conuulsionibus subitò extincta est. Vnde alia lis inter sponsæ fratres sponsumque exorta est, dotem illi denegantes, quòd nuptiæ nondum consummatæ essent, aliis dicentibus, nondum eum consuetudinem cum illa tàm subitò habere potuisse, alijs verò ioco affirmantibus illum eam nimiùm exercendo, interfecisse. Sponsus nihil asseuerare volens, mille florenos dotis nomine obtinuit.

IN

IN MENTIS ALIENATIONE

Obseruationes.

Stultitia originalis.



Atuos seu stultos ab ortu, multos hinc inde videmus, qui mox in ipsa infantia, stultitiæ indicia gesticulando, ridendo, præbent, qui non facilè obtemperant, aut dociles sunt, nec quicquam quod industriam aliquam requirit, addiscunt, sed iocando, nugando, & sinistrè pleraque agendo, risum præbent, & magnatibus qui horum stultorum consuetudine delectantur, voluptatem adferunt, & proin in ipsorum aulis educantur.

Alios quoque cognouimus minùs fatuos, qui licet pleraque vitæ munia rectè obirent, & in certis artibus essent industrij, tamen in hoc stultitiam suam proderent, quòd se laudari gestirent, & res ludicras nugasque simul narrarent & agerent. Qualem vidi in Principis alicuius aula, Georgium nomine, qui egregius erat architectus, & sculptor, Principi acceptus; Alium quoque insignem musicum, cætera fatuum.

Sunt & aliqui stulti, qui præter innatam stultitiam, vitijs quibusdam à natura notati sunt; Quorum aliqui passim occurrunt, maximè verò in certis regionibus frequentiores inueniuntur; Vti in Valesiæ pago, Bremis appellato, plurimos in viis sedentes, quorum aliqui ad me Sedunum delati fuerunt, an fortè aliquid auxilij ipsis adferre possem, vidi, capite informi interdum, linguâ immensâ & tumidâ, mutos, strumoso simul aliquando gutture, aspectu deformi, qui ante suas ædes collocati, toruo visu solem intuebantur ac bacillis di-

gitorum interstitiis inditis, corpusque variè torquentes, oreque diducto, cachinnum & admirationem prætereuntibus mouebant, sicuti horum etiam, vti & aliorum in Praxi nostra obiter mentionem fecimus.

Stultitia acquisititia.

CVm in aulis Principum, & apud magnates fatuos in pretio haberi, atque sustentari, assentatores, & Gnatones aliqui videant, atq; etiam eos qui stulta multa loquuntur, & agunt, risumq; mouét, conuiuiis & commessationibus adhiberi, gratosque esse, student aliqui nugando gratiam hanc magnatũ vt amentur & sustententur, sibi conciliare. Ex iisq; multi se stultos esse simulant, & vt pro talibus habeantur, verbis factisq; student. Qua tandem consuetudine diu continuata, ita naturam, suam peruertunt, vt licet postea senescentes relegentur, nihil amplius nisi stulta loqui & agere queant, nec acquisititiam illam stultitiam deponere. Quod in multis accidisse obseruaui.

Huc & referri possent, qui licet se stultos esse minimè profiteátur, nec pro talibus haberi velint, tamen stultitiam quandam se ex consuetudine praua contraxisse, nec amplius eam exuere posse, eo potissimum produnt, quod vt iocosi esse videantur, & risum audientibus moueant, pleraque cum risu & cachinno, etsi quæ dicunt, nullis sint condita salibus narrant, atque in hac stultitia perseuerant. In quos hoc dictum, per risum multum, poteris cognoscere stultum, quadrat.

Temulen-

Temulentia cuiusdam ebrij, qui splendorem Lunæ fluuium esse sibi imaginabatur.

QVo pacto ex nimio potu & ingurgitatione Vini, aliqui stulti & iocosi, alij irati & furibundi, alij tristes & melancholici, alij somnolenti & stupidi fiant, in Praxi nostra sub titulo temulentiæ ostẽdimus. Quorum historias infinitas quæ indies se offerunt, partim ridiculas, partim serias & admirandas, recensere possemus, quas tamen studio omittimus. Sufficiat tres exposuisse iocosas. Ebrius quidam noctu dum domũ reuerteretur, in platea splendorem Lunæ, in terra intuens, existimabat fluuium se videre profundum, itaque se exuens, & humi procumbens ad natandum, se deceptum demum deprehendit.

Ebrius qui lucem diei, Lunæ splendorem esse putabat.

ALius quidam totam noctem pergræcatus, & circa diluculum somno oppressus, domum reuersurus circa meridiem, diem Lunæ splendorem arbitratus, sibi accensâ lucernâ quasi de nocte, præluceri passus est.

Temulentia in qua quidam ebrius, se diu mingere credebat.

ALter bene potus ad fontem aquæ salientis perueniens, illic vrinam reddere cœpit, nec inde recessit, donec à quodam prætereunte fuit admonitus. Cui roganti quid ageret, respondit, se

existimasse, quam diu strepitum aquæ fluentis audiret. Hunc à sua vrina emissa prouenire, & proin tam diu substitisse, nam supra horæ spatium veluti mingens, illic hæserat.

Ebrietas, quando Vinum plus iusto bibendum, quomodo aliquomodo caueri possit.

INterrogatus sæpenumero, cùm tot annos ab ægris plurimis frequẽter accersitus, Principibus nobilibus & aliis magnatibus, apud quos splendidè viuitur, mihi cauere potuerim, quò minùs ab illis ad potandum inuitatus, vti moris est, inde noxam nullam contraxerim, & ad hanc grandẽ & vegetam ætatẽ saluus peruenire potuerim? Respondi id, quod & verum erat, me in conuiuiis, quæ in multas horas protrahũtur, ab initio ad horá vnam vel etiam duas, à potu abstinere posse, idq; eò faciliùs, quod sitis me non vrgeat, donec ad satietatem ferè comederim, tuncque priùs ventriculo cibis referto, etsi quandoque liberaliùs bibens, nullam offensam inde me hactenus sensisse. Quod cùm & alij quidam me suadente fecissent, se quoq; contra ebrietatem egregiè fuisse præmunitos, mihi sunt fassi.

Ebrietas à potu Vini contracta, quomodo emendari aliquomodo possit.

INter remedia quæ ebrietati resistunt, & quo minùs lædat, iuuant, imprimis acida vim Vini infringere, iam diu obseruaui, uti & aliorum narcoticorum, sicuti in Praxi mea Acetum, & Solani furiosi, & Papaueris vires retundere, demonstraui;

ſtraui; Ita & Vini, eam proprietatem qua inebriat & ſtupidos attonitosque reddit. Quod experientia cognoſcentes ebrioſi quidam, domum à crapula reuerſi, vel hauſtum Aceti bibendo, vel Caules capitatos & Rapas cōditurâ acidas redditas comedendo, nihil grauius à largiori potu patiuntur: aliquosque inſignes potatores, frequenter ſe inebriantes, hacque arte ſibi proſpiciendo, ad multos annos perſeuerare poſſe, iam diu notaui.

Animi perturbatio in muliere ob laboborem leuis momenti.

MVlier quædam quòd veſtes indies induere, rurſumq; noctu cùm dormitū eſſet eundum, ſe exuere cogeretur, mirè angebatur, & parocho ſuo cum lachrymis de ea moleſtia conquerebatur.

Animi perturbatio in alia, quòd ſordes intra ſuum corpus incluſas geſtaret, ſe affligente.

NObilem cognoui mulierem munditiei ſupra modum ſtudioſam, & delicatulā hac phantaſia ſe torquentē, quòd cùm vidiſſet porcos aliáue animalia mactari & exenterari, cogitaret ſe quoque eiuſmodi exta & ſordes fœtidas, vti nominabat, in proprio corpore incluſa geſtare. Ex quo tantum faſtidium conceperat, vt ſuum ipſius corpus odio proſequeretur, & neſcire ſe dicens quo pacto ſe ab hac immunditie liberaret, & hac phantaſiâ continuò vexabatur, de quo seriò ſæpe mihi magno animi cum affectu eſt conqueſta, & quando riſum continere vix poteram, offendebatur.

Animi pturbatio ex imaginatione falsa, quâ quidam se ranam viuam in corpore à multis annis alere, sibi persuadebat.

IVuenis quidam in sua patria, in profluente, animi gratiâ lauans, cum ea, capite in aquam merso, se fœturam ranarum, quæ flumini innatabat, simul hausisse existimauit. Quo admodum perterritus, sibi viuam ranam in ventriculo vel intestinis hærere illicque ex cibo & potu assumpto viuere, adeò certò persuadebat, vt nemo illi hanc opinionem ex animo delere multis annis postea potuerit. Medicinæ operam dabat, fortè eo consilio, vt sibi mederi posset; in quo studio toto septennio in Germania, Italia, & apud nos Basileæ ita profecit, vt honos Doctoratus illi cum laude fuerit contributus.

Vtebatur infinitis remediis, ad ranam hanc, vti putabat, enecandam expellendamúe, Medicos passim consulens, postquam ex Italia rediisset, etiam meo consilio & operâ vsus, An. 1609. Cui, cùm sinistram hanc opinionem, rationibus firmis eximere vellem, flatus esse, qui per ructus erumpentes, hunc sonum, quem ille à rana coaxante proficisci putabat, ederent, mordicùs nihilominus contradicebat, & probare ore & scripto nitebatur, flatus minimè esse, sed vocem ranæ, quod ructibus coràm me editis, nonne audis? inquiens, demonstrare volebat, atque ex motu, se eam sentire, & quôd nullam quietem haberet, eâ esuriente, nisi cibum caperet, multis verbis contendebat addens & hoc, Medicum si hoc credere nolit, quòd ipse certum esse sciat, remedia alia frustra sibi exhibiturum.

Volueram illum pharmaco propinato, & clam in ſellam purgatoriam ranâ ſuppoſitâ,fallere,& ſic hanc phantaſiam illi eximere, verùm quòd eſſet Medicus, & hæc omnia exactè nouiſſet, non potuit illi hac ratione, quia diligenter omnia obſeruabat, fucus fieri. Et cùm vehementer inſtaret,vt ea tantum, quæ viuum animal, veluti lumbricos, ſerpentes, ranas ſimiliaque in corpore contenta, enecare poſſent, eaq; efficaciſsima exhiberē, multa enim ab alijs ſumpta,nihil effeciſſe,vt illi morem gererem, amariſsima,aliaque āduerſa hiſce beſtijs, & quæ ea, ſi illic eſſent, ſuffocare poſſent,præſcripſi, quæ cùm & in vermibus delendis conferant, quibus maximè infeſtatur homo, ea quoque hîc illorumque ſucceſſum, annotare volui.

Pilulas 9. Febr. ſumpſit ſequentes: ℞. Extracti rad. Gentianæ & Abſynth.an.ʒ.ß.(quod extractū parabatur ex rad.Gentianæ ℥.iij.Abſynthij ℥.j.ſem. Santonici ℥.j.Lupin.℥. ß. decoquendo ad ſpiſsitudinem) Aloes ʒ.j. ſemin. Santo. ʒ. ß. Cumini ℈.ij. (maxime ob flatus, quibus ego cauſam huius eructationis tribuebam, malamque conſuetudinem, quâ effecit vt cum vellet, eructaret) medu. ſe. Citri ℈.j. cum Felle piſcium Carpionum fiant pilulæ nu. xxx. Deglutiuit manè pondere ʒ.j.& Veſperi ante cœnam tantundem, ſemelque ea die poſt cœnam fœculentam materiam deiecit.

Sequenti die 10. Febr. hauſis olei Oliuarum ℥. v.loti prius aquâ Abſynth.addēdo ol.è Nucleis Perſicorum expreſsi,& Amygd.am. ad ℥.j.inquiens ſic ſuffocari poſſe,ſi viuū animal in ventriculo eſſet.Et ante cœnam denuò aſſumſit pilul.prædictarū ʒ.j. Harum uſu paulò inualidior factus eſt, verùm cùm copioſam pituitā deieciſſet, ſtatim meliùs habuit.

Vndecimo Februarij, denuò Oleum bibit & Pilulas ſumſit, & quater ea die deiecit, ac ſub veſpe-

ram mordicationẽ satis molestam, in podice percepit, quæ ad matutinum tempus durauit.

Ab eo tempore aliquot diebus multas fæces, & pituitam mucosam, indies excreuit, interdum nucis magnitudine, in globum conuolutam, interdum & cruore tinctam.

Cum ei postea indicarem illum animaduertere nullam adesse ranam, quæ si adfuisset, sine dubio nec viuere nec subsistere potuisset, nihilominus in sua sententia persistebat, rogansq; vt extrema tentarem; Dixi nihil æquè aduersum insectis & lumbricis; uti argentum viuum, quod assum, posiit citra periculum, hoc pacto: ℞. Agarici. Aloes. Myrrhæ an. ʒ. ß. fiat puluis. Argenti viui guttam j. dissoluti in Therebinthina, fiat massa pilul. pro duab. vicibus.

Verùm malebat solum argentum viuum sumere; Itaque hac forma exhibui: ℞. Argenti viui pisi instar, adde pul. Liquiritię ʒ. j. ß. fiant pilulę xx. Deglutiuit quatuor ultimo Aprilis, postea fæces aliquas excreuit, urinam guttatim & cum ardore reddidit. Vesperi cum matulam quâ vrinam exceperat, inspiceret, quæ stannea erat, in ambitu, minutissima puncta Argenti viui, illi adhærere vidit.

Duabus septimanis elapsis, reliquas 16, de viginti pilulis sumpsit, extrema tentans remedia: Cùm nulla rana, vti aiebat prodiret, & dies etiam aliquot hoc Emplastrum ventriculo impositum gestauit: ℞. far. Lupinorum scutel. j. Aloes ℥. ß. excipiat Felle bouis & applicetur.

Ab vsu pilularum 16. mercurialium, decies ante & post prandium deiecit, nec aliquam molestiam, nisi quòd in postremis duabus sedibus, ardorem & mordicationem in podice experiebatur, sensit, atque ardentem inter vrinandũ acrimoniam, quæ non diu durauit.

Hisce extremis, cùm spacio trium mensium, vsus esset remed js, videretque nullam ranam apparere, etsi ructus remisissent, tamen semper adhuc ranam adesse sibi imaginabatur. Pertæsus itaque istarum querelarum, cœpi illum vehementer obiurgare, pertinacem eum esse dicens, & mente captum videri, quòd in falsa hac opinione & persuasione, persisteret, idque tot annos, contra omnium Medicorum mentem, ostendique etsi quis viuam ranam deglutiuisset vel plures, illas tamen per horæ spatium non posse viuere, sed suffocari, & à ventriculo nostro euinci, idque exemplo illius, qui anguillam viuam deglutierat, & post horas decem eam rursum, sed mortuam, & veluti excoctam per aluum reddiderat. Item exemplo serpentum, quæ in lacubus, ranas viuas integras deglutiunt, quarum binas memini me interfecisse, in quibus ranæ modo absorptæ, vti videram, sed iam mortuæ inerant. Postremo exemplo ardearum, quæ circa lacus versantes eas quoque viuas deglutiunt, & cùm capiuntur, mortuæ in illis deprehenduntur. Vltimò quò tandem illum euici, addidi, quòd ranarum ætas breuis sit, nec supra biennium viuere possint, sed ex fœtura quam quotannis deponunt, renasci, cum ille se totum septenniũ ranam viuam aluisse somniet, seque risui omnibus exponat. Addidi ranas extra aquam si diutiùs aëre destituantur suffocari, expertum me hoc esse, qui vt fastidium Vini, cuidam ebrioso conciliarem, ranam in Vino, quod illi propinarem, suffocaui. Idem fieri, si in loco aliquo occlusa recondatur, debere illum hoc vti & alia experiri, & cùm iam Doctoris titulo ornatus sit, non ita pueriliter de rebus hisce iudicare. Tandem hisce euictus, dementiam suam fassus est, gratias egit, & à nobis discedens, à phantasia illa liberatus est.

Animi perturbatio, impellens quandoque ad impia contra voluntatis propositum, cogitandum.

PIo alioquin & docto cuidam, in iuuentute primùm hoc accidit, vt aliquando de Deo cogitanti, vel precibus intento, impiæ cogitationes in mentem venirent, quas subitò ex animo delere, quin subinde redeuntes, ad impia quædam in Deũ efferenda, eum stimularent, non posset. Quod illum mirum in modum angebat, Deumque ex intimo corde inuocabat, vt ab hac tentatione eum liberaret. Hoc etsi crescente ętate rariùs illi accideret, tamen ad profectam ætatem vsque hæc tentatio eum est comitata, veluti per accessiones illum inuadẽs. Quo nomine anxius, Theologo hoc aperire fuit coactus. Qui eum consolatus, Deum inuocando, & precibus continuis, tandem hoc corrigi posse, quod & aliàs facere solitus erat, ostendebat. Vti & factum, quòd postea, cùm rursum hæ diabolicæ cogitationes mentem ipsius à pijs meditationibus auerterent, ad alias res pias & serias mentem conuertendo, prauorum sic obliuisci potuerit.

Simili vel etiam grauiori tentatione Dæmonis, alij quoque diuexati fuerunt, qui hoc arte emendari posse existimantes, meo consilio vti voluerũt.

Animi perturbatio, mulierem ad Deo maledicendum incitans, eamq́ vehementer angens.

INter hos tentationibus eiusmodi obnoxios, etiam mulier quædam, religiosa alioquin & proba, fre-

ba, frequenter eousque tentata, ut ad Deo maledicendum & blasphemandum, tacitè sibi visa sit cogi, maxima animi cum anxietate & dolore. Cui malo omnibus viribus resistere volens, cùm non posset, in lachrymas erumpens, grauem hunc animi affectum mihi patefecit, qui ad desperationem, & ut manus sibi inferret aliquando, nisi precibus continuis hoc auerteret, sollicitaret.

Animi perturbatio, vxorem, ad maritum quem vnicè amabat, interficiendum, impellens.

SEd non solùm ad impia cogitandum, verùm & horrenda perpetrandum, Dæmon interdum hominem, mentem eius perturbans, impellit. Sicuti scribæ cuiusdam vxori formosæ euenit, quę mihi, de animi perturbatione graui, quâ angeretur, sæpe conquesta est, & vt suppetias ferrem, rogauit. Quærenti autem quid illud esset, clam magno cum gemitu multisque cum lachrymis, mihi primo aperuit, cōtinuò sollicitari & impelli se ad maritum noctu dormientem, confodiendum, adeò vehementer, vt vix sibi temperare, aut se continere possit; Et quamuis Deum ardenter inuocet, vt ab hac diabolica tentatione, vti illa eam nominabat, liberaretur, tamen iam longo tempore hac se esse pressam, nec cuiquá mortaliū prȩterquā mihi aperire ausam, ne maritus rescis cat, quem præ omnibus mortalibus amet, & pro ipso mori parata sit, tantùm abesse, vt eum necare velit, ad quod tamen nolens indies impellatur, addens, quod metuat ne seipsam potiùs quam ipsum interficiat. Hanc consolatus adhibita cura per venæ apertiones varias; & multas euacuationes, Deo iuuante, in integrum restitui.

Animi perturbatio, matrem ad infantem quem lactabat enecandum sollicitans.

SImili detestanda cupiditate perdendi fœtum, quem vtero gestabat, & enecandi, postquam eum in lucem edidisset, & lactaret, cauponis cuiusdam vxor, statim postquam grauida facta fuit, corripiebatur, hacque insania, ad menses aliquot, antequam ad se rediret, laborans, clam marito, mirè angebatur. Quæ Deum assiduè implorare, vt opinionem hanc diabolicam sibi eximere vellet, non destitit. Licet sæpe sibi mortem consciscere cogitaret, quod maritus etsi obseruaret, tamen causam ex illa intelligere minimè potuit. Quæ ad me domum meam veniens, magno eiulatu casum hunc mihi exposuit, & egressa in atriū desperabunda, se in labrum quod aquam è fonte excipit, n si impediuissem, præcipitare capite immisso voluit. Quæ perturbatio cum bis illam vterum gerentem inuasisset, tandem venæ sectione & euacuationibus, per vomitum & aluum sæpe repetitis, curata fuit.

Animi nimia commotio ob iram exorta, lethalis.

CVm vocatus essem, ad præfecti cuiusdam vxorem, An. 1604. in Nouembri, ad inspiciendam pelliculam, in oculo natam, maritus ea nocte, ancillam cum famulo molitore concubuisse, certior factus, matutino tempore, domum reducem ancillam capillis arreptam, & humi stratam, pedibusque pulsans, adeò irâ excãduit, vt statim dyspnœâ correptus & tremore, illi potius quã vxori consulere necesse fuerit; Verùm antequam remedia adhibe-

hiberentur, venam Chirurgi consilio aperuit, sed nihilo leuatus, perseuerante dyspnœa & tremore, totiusque corporis prostratione, biduo post expirauit.

Animi perturbatio ob debitum ad desperationem adigens.

PIstor nostrâs, cùm post mortẽ coniugis, quam viduam duxerat, cum priuigno hæreditatem partiri & dimidia bonorum parte ei cedere cogeretur, adeò perturbatus est, vt noctu domum reuersus, à sua sponsa, noua, cum qua cœnarat, necdum cohabitarat, summo mane surgens, octo vulneribus cultro abdomen præcipuè læserit; Vixit per biduum, à Deo veniam, pœnitentia ductus petens, posteaque expirauit, mense Maio circa finem Anno 1613.

Animi commotio vehemens ex Timore mortem concilians.

QVidam verbi Dei minister, cum vxore mense Nouembri, in vrbem nostram è pago vicino, se conferens nocte imminente, ad portam, præcurrit vt eam apertam seruaret, vxore sequente relicta. Et cùm in vrbem ingressus, existimaret ianitores, aduentum vxoris expectaturos, clausa post ipsum porta est, quò factum vt ille non exire, vxor non intrare posset. Vxor itaque sola relicta, totam noctem, quæ vehementer obscura erat, clamans & eiulans, ex timore, & terrore, qui noctu meticulosos admodum fatigare solet, matutino tempore, ad portam sedens, mortua inuenta fuit.

Animi peruersio, ex falsa imaginatione, inueniendi lapidem dictum philosophorum, aurumq́ conficiendi.

BAro quidam generosus, doctus & eruditus, pius insuper & religiosus; aliquot annos nobiscum versatus, adeò sedulus in inueniendo illo Lapide diu hactenus quæsito, quem Philosophorum nominant, atque in eam rem intentus, dies noctesque longo tempore fuit, vt immensam dilapidarit pecuniam, vixque ampliùs se sustentare posset. Et licet res ipsa declararet, frustra hæc omnia fieri, animum tamen minimè abijciebat, bonã spem concipiens, tandẽ se voti fore compotẽ. Mentis autem suæ alienationem, maximè hisce patefaciebat, quòd quæ in Poëtis legeret, & insomnia quæ illi offerebantur, aliaque multa ridicula, etsi aliàs magno esset ingenio, ad confirmandam suam inanem spem, veluti præsagia felicis successus arbitrabatur. Vnde indubitanter se auro abundaturum, sibi persuadens, inter alia à Magistratu petijt, vt sibi diuitijs hisce acquisitis, potestatem facere vellent, lapideum loco sublicij pontem nouum, supra Rhenum suis sumptibus extruendi, Collegiumque vniuersitatis, magnificis ædificijs, ampliandi, ornandi, reditibusque ditandi. Nam alioquin naturâ erga egenos & pauperes admodum erat munificus & liberalis, in eleemosynis largiter distribuendis. Nec dum etiam in patriam domum reduci, etsi damnum videret, hæc opinio, falsaque persuasio, quâ sibi aureos montes pollicebatur eximi potuit.

Qua mentis deprauatione, in cudendo hoc lapide auroque fabricando, multos alios se suosque liberos

liberos, ad summam pauperiem redigere & perdere, quotidiana ostendit experientia.

Amor immodicus, mentem cuiusdam vehementer perturbans & affligens, qui contrario affectu superueniente animi, tandem repressus est.

VIduus quidam puellam nubilem agnatam, nec ita diuitē sed probè alioquin educatam, & humanam, rei domesticæ administrandæ gratiâ, domi suę habebat. Eā etsi continentissimus esset, pius & probus, non vti prius solebat, paterno, sed coniugali quasi amore deperire cœpit, adeò vehementi, vt nihil ampliùs rectè cogitare vel agere posset, nec dolorē tantū animo inclusum retinere diutiùs, quē tamen diu celarat; nec etiam puellæ hunc suū affectum detegere ausus, metuens ne quid mali inde sequeretur. Itaque consilij inops, & veluti desperans, ad me Medicum & amicum venit, amoremque hunc multis cum lacbrymis, & profundè è corde ductis suspirijs, pudore suffusus, detexit. Quem consolando, obiurgando etiam, quòd vir adeò prudens, se à puella hac, quam deformem dicebam, pateretur fascinari. Cùm nihil efficerem, ipseq; pro sua pietate, se cum illa commiscere nollet, etsi hoc fortè, si amorem hunc illi detexisset, ab illa id impetrasset, in hoc saltem acquieuit, vt mihi, remedijs quibusdam aliquid tentaturo, obtemperaret. Itaque primùm aliquoties sanguinem illi detrahi curaui, quem ille, vt hac anxietate liberari posset, etiam totum profundere voluisset, & vti sæpe dicebat, etiam castrari. Verùm hisce longo tempore nihil fuit effectum, flammaque hæc ini-

pso præsertim puellam se redamare persuaso, amplius accendebatur, donec post biennium ferè elapsum, puella amorem illius ignorãs alium amare cœpit, quem sibi maritum exoptans, hoc illi tanquam tutori, auxilium vt matrimonium promoueret, petens, patefecit: Vnde factum, vt amore hoc in odium conuerso, tandem ab enormi affectu liberatus sit; Deo gratias agens, qui eum ne grauius quid committeret, tam diu in præsentissimo periculo versantem, conseruarit.

Amor vehemens, qui licet esset mutuus, tamen mirabili accidenti impeditus fuit, tandemque aliâ ratione sopitus.

INgenuus pius quidã, in oppidulo quodam vir, prædiues, etsi vxorem haberet pulchram & liberos, vicini sui ancillulam deperibat, adeò vehementi amore accensus, quem tamen reticuit, vt penè insaniret, mihiq; hanc suam dementiam, vt auxilio essem, detegere cogeretur. Quem etsi consolando, hortando, periculum denuntiando, offensam Dei, si quid committeret, proponendo, ab amore hoc auertere studerem, moneremque, ne puellæ, quæ aliàs pulchra & amabilis erat, negotiũ detegeret, victus tamen amore, tandem occasione captâ, illi suum amorem, magna animi commotione, patefecit. Illa perterrita, pudoreque suffusa, tantum virum se adeò humiliare, blandis verbis illum dehortabatur, & vt rationem honoris sui haberet, rogabat; dicens, amare se quoque illum, & pro ipso, si opus esset mori cupere, sed in hac re, si obtemperaret ipsius voluntati, periculum vtrique maximum instare. Quibus verbis amicis ille magis

magis magisque incendebatur, adeò vt ad desperationem penè redigeretur. Quod videns puella miserta illius, ne quid sinistri pateretur, se illi obtulit, admodum anxia tamen, referens malle se & corporis & honestatis iacturam facere, & quæuis perpeti, quàm ipsius mortem videre. Hisce illa conscientiam illius ita mouit, vt licet se illi clanculum offerret, séque illi totam daret, ipse tamen pudore, metu, angore mirè afflictus, rem cum ea minimè habere potuit, sed osculis tantùm & contrectatione, se cum illa vti narrabat, postea oblectauit. Quod ferè anni spatio durauit, vt nihil præterea quando occasio conueniendi erat, efficere potuerit amplius. Et cùm manifestò videret, Deum nolle vt eam corrumperet, & proin hoc impedimentum immisisse, cum mihi illi amicissimo hæc narraret, amore interim nihil remittente, suasi, vt occasionem quęreret, dote submi[illegible]strata quô alicui nuberet. Quod etsi neuter expeteret ex animo, tamen factum, vt cùm eam diuite munere donasset, quidam hoc & formâ eius pellectus, eam vxorem duxerit. Sicq; sensim amor deferbuit, ipseque paulò post in morbum grauem incidens, ex eo vix euasit, & sic delicti pœnas dedit.

Amor tacitus, iuuenem quendam, vt desperaret, venenoque vitam sibi adimeret, adigens.

IVuenis quidam Medicinæ studiosus, clandestino amore, quem nulli aperuerat, prosequebatur cuiusdam Doctoris filiam, amoris huius ignaram, & cùm illam nuptũ sibi dandam desperaret, quod iam nubilis esset, ille verò studium Medicum primùm inchoasset, mortem sibi inferre dolore vi-

ſtus, etſi pius & probus eſſet, conſtituit. Cùm itaque me ad lectionem comitaretur, & commotum illum viderem, exiſtimans cauſam eſſe, quòd pater illi pecuniam, vt in Galliam proficiſceretur, ſuppeditare nollet, de quo aliquando mihi erat conqueſtus, cœpi illum conſolari. Verùm mox poſt lectionem, me relicto, pharmacopœi famulum acceſsit veſperi, ſublimatum ab eo petens, quod vlceri tibiæ adhiberet, quod cùm famulus denegaret, neque inſcio hero hoc cuiquam dare ſe audere diceret, illud ab aurifabro impetrauit, moxq; domum reuerſus, integrum vti erat concretum, deuorauit, causâ priùs in carta, quare hoc feciſſet, aſcriptâ. Quo facto, mox illi os & fauces inflammari cœperunt, doloresque atroces Ventriculi ſuboriri, ſanguinemque excreare, & licet Medicus vocatus Paracelſiſta, multa ſe effecturum polliceretur, tamen nihil factum, ſed ipſe miserè ſe torquens, & cũ loqui non poſſet, ſurſum oculis intentis, manibusque iunctis & eleuatis, veniam à Deo petens, matutino tempore expirauit. Quod horrendum facinus, ne innoteſceret, amici & parentes, illum antimonio aſſumpto purgationis gratiâ, ſibi mortis cauſam præbuiſſe, quod ad hunc vſque diem creditum, diuulgarunt.

Zelotypia quendam ad dementiam redigens.

ALium noueram virum doctum, magni ingenij, adeò Zelotypiâ laborantem, vt ad dementiam aliquã perueniret, eo vſq;, vt nec ſtudijs ampliùs incumbere, nec profeſsioni cui præerat, operam nauare poſſet. Qui quod ſæpe ex ædibus in campos fugeret, & filiolum ſuum ſecum deportaret abſconderetque, aliasque nugas ageret, in cu-

ſtodia aliquandiu, tanquam mente captus, detentus fuit. Quem cùm conuenirem, & cauſam huius dementiæ ex ipſo varijs modis expiſcarer, dubitans an fortè ex Zelotypia proficiſceretur, quam ille hactenus celarat, tandem eam cum pudore mihi patefecit, obſecrans ne alicui hoc aperirem. Qui poſtmodum mortua vxore, ab hac mentis alienatione liberatus, cùm melancholicus eſſet, non tamen deſijt, contra ſuam conſcientiam, in officio Academico quo fungebatur, multa cum ſcandalo dicere & facere. Tandē deſperanti ſimilis mortuus.

Zelotypia ex amore coniugis profecta.

HAbui admodùm familiarem iuuenem doctū, qui domum ex Gallijs reuerſus, cùm vxorem duxiſſet, quam prius multos annos amauerat, Medici filiam, qui tunc temporis in ſuis ædibus canonicum iuuenem, quem curabat habebat, filiamque ſuam mox poſt nuptias frequenter accerſeret, quæ priùs diu viduo patri rem domeſticam adminiſtrarat, maritus illius hic meus amicus, adeò zelotypiâ affici cœpit, vt ſæpe, ſicuti mihi liberè faſſus eſt, in ædes ſoceri, poſt cœnam, ſe vxorem repetendi causâ, conferens, in animo habuerit, hunc canonicum, ad quem tamen illa minimè accedebat, confodere, quam ſuam dementiam, tandem agnoſcens, vxori patefecit, veniamque ab ea petijt.

Zelotypia, quâ vxor laborans, maritum etiam poſt mortem, alteri vxori inuidebat.

VItriarii cuiuſdam vxor, ſecundum maritum ita amabat, vt quando in mentem illi veniebat,

illum se mortuâ aliam vxorem ducturum, nam iam senex erat, maritus verò adhuc iuuenis, adeò inquieto animo fiebat, vt ferè ad insaniam redigeretur, vti illa mihi, & alijs, hoc sæpe, magna animi cōmotione, narrabat, & in ea cogitatione perseuerabat.

Zelotypia, quâ affectus quidam, vxori insidiabatur, ipsáque nunquam ampliùs cum illo habitare voluit.

IN eadem platea alius mercator, vir reuera pius & probus, sed melancholicus, coniugem suam secundam non adeò formosam, sed pudicam & bene moratam, suspicans alios quoque amare, ad eam animi perturbationem redactus est, & zelotypiam, etsi plures cum ea procreasset liberos, vt etiam illius vitæ insidiaretur, gladiumque nudum noctu in cubiculo lecto appositū, haberet: Quo illa perterrita, ad parentem fugiens, eum diu sæpe deserebat. Mox marito reconciliata, eo in suo tamen affectu persistente, denuò separata ab eo fuit. Cui nunquam ampliùs hæc falsa persuasio potuit eximi, quapropter non ampliùs ad mortem vsque mariti, vxor sibi metuens, ei cohabitare voluit. Nihilominus pater liberos liberaliter educauit, ipsisq; diuitias magnas reliquit, pauperibusque multa, & viuo ipso, & post mortem eius, distributa, legauit.

Zelotypia cuiusdam erga vxorem, quam repudiauit.

EQues auratus magni nominis, è militia domū reuersus, cùm vxorem grauidam & partui propinquam

pinquam inuenisset, supputans tempus, quo ipsam reliquerat, suspicabatur, fœtū ex alio, ipso tam diu absente conceptum. Et licet ea de re dubitaret, vtpote incertâ, tamen etsi ditissima esset, eam nunquam ad se recipere ampliùs, licet multi ex magnatibus intercederent, admodumque instarent, voluit: Respondens, fœminam ita se gerere debere, vt non tantùm casta esset, sed etiam nullam suspicionem de se præberet. Tamen ipsâ multos post annos hydrope mortuâ, filium quem mater pepererat & educarat, ad se recepit, splendidè educauit, & hæredem instituit, cùm ex secunda vxore, quam post primam duxit, nullos haberet liberos.

Zelotypiâ dictâ, animi perturbatione ad homicidia & desperationem quidam adactus.

INter animi ægritudines, maximè eum excruciat zelotypia illa, quâ quis timet, ne ab alio vxor quam amat, ametur, nolens cum alio eam habere communem, vnde mira animi anxietas & desperatio sæpe exsurgit.

Erat in vrbe nostra quidam mercator, qui cùm secundam vxorem duxisset iuuenculam, hoc affectu laborans, eam admodum obseruabat, sibi persuadens, vicini famulum cum ea habere commercium, & cùm infantem peperisset, hunc non ex se genitum, sibi imaginabatur, & proin indignis modis matrem tractabat. Tandem verò cùm denuò esset grauida, dissimulans horrenda, quæ animo indignabundus voluebat, ablegatis quodam die priùs ex ædibus, domesticis, & foribus occlusis, vxorem vterum gerentem, & infantem quem vlnis gestabat, ficâ interemit, fœtumq; simul in vte-

ro illius perdidit. Quo facto, ſcripto in zona appenſo, quo cauſam huius facinoris exponebat, deſperabundus ex alto ædium ſe præcipitauit.

Zelotypia in furorem conuerſa, quo accenſus, vxorem adulteram cum adultero occidit.

ERat in primaria Heluetiæ vrbe quidam mercator, vir integer & robuſtus, qui à prima vxore repudiatus, ſecundam duxit virginem, ex qua liberos plures ſuſcepit. Ad eam me adduxit maritus, rupturâ vmbilici laborantem, cui & conſilium dedi. Hæc poſt aliquot annos, cum famulo ipſius, eam impudicè ſatis contrectante, deprehenſa, marito vt eam obſeruaret, occaſionem præbuit. Qui ſimulans, ſe peregrè profecturum eſſe, in conclaui, cubiculo ſuo vicino, ſe occultauit, famulumque clam in cubiculum introeuntem, & in conjugis ſuæ lectum ſe conferentem, cum ea cubantem & congredientem, per feneſtram ſuis ipſius contemplatus oculis, furore percitus, in cubiculũ irruens, famulum ex locuplete familia, enſe, atque vxorem pugione confodit, impoſitiſque ſupra cadauera, aliquot denarijs, quo indicio pro more illius loci, eſt conceſſum, adulteros in ipſo facto deprehenſos, interficere, Magiſtratus ſententiâ fuit abſolutus, mihique poſtea hunc tragicum caſum, multis cum lachrumis, expoſuit.

Affectus idem, quo aliquis inflammatus adulterum peſſimè tractauit.

IN Gallia Narbonenſi, cùm illic An. 1553. degerem, Doctor quidam Iurium, laruâ ne cognoſceretur

retur facie tecta, vnà cum aliquot studiosis, in cubiculum domus suæ, irrumpens atque scribam cum vxore sua, deprehensum, vinculis primùm constrinxit, mox & pene, naso, tendinibusq; pedis amputatis, miserum reliquerunt. Quem postea Monspessuli ægrè grallis incedentem, pedesq; resolutos in incessu trahentem, & quandoque iuxta officinam pharmacopœi hospitis mei sedentem, aliquoties vidi.

Melancholia hypochondriaca.

HOc affectu, in quo varia symptomata, præter ea quæ melancholię aliàs consueta, concurrerẽt, laboranti cuidam Iurium Doctori, consilium hoc dedi. An. 1601. Et primùm ventriculi incommoda enarrata, aliáque circa eum & hypochondriorum sedem accidentia, cum mẽtis aliqua perturbatione, Melancholiam Hypochondriacam esse pluribus ei exposui.

Illiusque causam in venis meseraicis, ventriculum, hepar, lienem, omentum, mesenterium perreptantibus latêre, illicq; symptomata illis in locis se offerentia, vti & sudores inordinatos, euaporationes ad cerebrum, vnde perturbatio hæc mentis, Vigiliæ aliáque prodeunt, gignere, nec dum morbos grauiores inducere, cùm causa in venis, non extra has in visceribus lateat; prolixè illi edisseruí.

Prolongari hosce affectus admodùm, nec ferre fortiora aut multa remedia, quibus tamen ægri, se diu sæpè frustra excruciant, cùm sibi periculum maius quàm adsit, imaginari soleant, dixi.

Imprimis, vt ventriculus benè coquat, laborandum; ne flatus & cruditates gignantur, aliáue excrementa praua; vnde illuvies hæc in venis me-

feraicis colligitur, quæ etiam ex fentina hac, vt expurgetur fenfim, procurandum, caput quoque roborandum, cor reficiendum, recreandumque.

Itaque cùm nunc Caniculares dies inftent, calorq; & fudores hoc tempore frequentes, medicamentorum vfum impediant, Acidarum aquarum potum fuafi: fic enim in uenis meferaicis congefta melancholica excreméta per aluum expurgabuntur, calorq; præternaturalis hepatis & lienis contemperabitur.

Quibus abfolutis, exactis duabus feptimanis, vt pilulis fequentibus vteretur fucceffiuè fuafi, quæ citra incommodum, cum commodo etiam ventriculi tutò vfurpari poffunt: ℞. Aloës ʒ. ij. Rhabarb. ʒ. j. Epithymi ʒ. ß. rad. Azari ʒ. ß. Gummi Ammon. diffoluti in Aceto ʒ. j. Spicæ ℈. j. Diacrydij ʒ. ß. cum Terebinth. fiat maffa.

Frequenter à cibo in fine menfæ, capiat puluerem fequentem, in prandio vel cœna, alternis ad minimùm diebus, vnde concoctio iuuetur, flatus, vapores difcutiantur: ℞. fem. Coriand. ʒ. ij. fem. Anifi, Fœnicul. ana. ʒ. j. fem. Carui ʒ. ß. flor. Cord. an. ʒ. ß. fol. Melifs. ℈. j. Maior. ʒ. ß. Sacchari rof. tab. ℥. ij. Fiat puluis.

Ventriculus item & hypochondria fequenti oleo ter in feptimana manè vngantur: ℞. olei Anethi. Chamomel. ana ℥. j. de Capparibus ℥. ß. Irini ʒ. ij. fucci Abfynth. ℥. j. Aceti ℥. ß. Coquantur ad fuccorum confumptionem.

Imprimis electuario hoc, tertio die cubitum iturus vtatur, quod ftatim incipere poterit, etiam dum acidas bibit, & poftea: ℞. confer. Rof. cort. Citri cond. ana ℥. j. conf. Maior. Anthos. Buglofs. Melif. ana ʒ. j. confe. Alkermes ʒ. ij. pul. electuarij de Gemmis, Diamarg. frig. an. ℈ j. Cinam. fe Ocimi an. ʒ. ß. fyr. de Papau. ℥. j. Fiat electuarium: Capiat inftar

instar nucis moschat. pro vna vice, vel paulò plus, si vigiliæ vrgeant, angores & perturbationes, quibus egregiè resistit.

Vindemiarum tempore, fundantur musti recentis. mensuræ xij. supra sequentia: ℞. cort. Tamari. ℥.iiij. Cappar. ℥.ij. Zarsæ parill. ℥.iij. fl. Buglos. Borag. an. P.ij. fol. Melissæ, Absynthij ana M.j. Incidantur, efferuescant in dolio. Hoc Vinum, vti absynthites solent, bibat in mensæ principio, aliquando etiam manè, post exhibitum priùs iusculum.

Hæc remedia non admodùm naturam commouent, sed sensim vitia enarrata corrigunt, & citra molestiam assumuntur.

Assuescat interim ordinariè bis in die cibos certâ semper horâ sumere. Cibo vtatur simplici, non vario, illoque, qui facilè concoquatur. Non vtatur salsis admodum cibis, aut nimiùm aromatizatis, sed alimentosis, nec nimiâ conditurâ medicamentosis factis.

Bibat Vinum album laudatum, cõsuescat vnius generis vti, & si ardorem ventriculi, ex Vini vsu sentiret, posset Aquâ parùm Chalybeatâ diluere.

Balnei sudatorij vsum interdum non improbo; Vti nec lotiones capitis ex Lixiuio, in quo herbæ capitales coxerint.

Caueat à vehementioribus purgationibus, cùm irritent potiùs malum. Sufficit autumni tempore pilulis frequentiùs suprà scriptis vti.

Si hæmorrhoides fluerent, nullum esset præstantius remedium, quæ sanguisugis admotis promoueri poterunt.

Interim benè speret, nec dubitet de conualescentia, & in cœlibatu diutiùs non viuat.

Domum reuersus, post horum vsum vxorem duxit, quod illi etiam profuturum suaseram. Et sic vti ad me postea scripsit, melancholiam illam deposuit.

Melancholia hypochondriaca, in alio.

HYpochondriacæ Melancholiæ initia haud obſcurè paſſo, ſequentia ordinaui. An. 1596. Vinum ſequens ab initio præſcripſi. 18. Octobris. ℞. rad. Cichorij ℥. j. Fœniculi, Ireos, cort. Tamaric: ana ℥. ß. Enulæ camp. fol. Abſynthij an. ʒ. iij. Maioranæ, Chamæpyth. Chamædr. an. ʒ. ij. flor. Cordial. ana ʒ. j. ſem. Aniſi, Fœniculi, Petroſelini. ana ʒ. j. ß. fol. Senæ ℥. j. ß. ſ. Carthami contuſ. ℥. j. contundantur & incidantur, Vinoq; permiſceantur.

Vſus eſt per quinque dies, & quater quotidie deiecit.

Pilulas ſumpſit 24. Octobr. ℞. maſſæ pilul. Aggregat. ʒ. j. cum Vino formentur pilulæ viiij.

Promouerunt ſedes eodem die ſeptem.

Bolum ſequenti die exhibui: ℞. conſeruæ Roſ. recent. Maioranæ ana ʒ. j. miſce pro bolo.

Sumpſit tribus horis ante prádium, & quia materia ex præcedenti purgatione adhuc in motu erat, ſubſecutæ ſunt à meridie ſedes adhuc quatuor.

Dein Pilulis Vſualibus vti iuſſi: ℞. Aloës ʒ. ij. Myrrhæ ʒ. ß. gummi Ammoniaci in Aceto diſſol. ℈. j Agarici, Rhabarb. el. ana ʒ. j. ß. rad. Aſari. Gentianæ, ana ʒ. ß. Maſtiches ℈. j. Spicæ, ſe. Petroſel. ana ℈. ß. cum ſucco Abſynthij inſtar extract. inſpiſſati fiat maſſa. Capiat ʒ. ß. ſemel in ſeptimana, vel pauló plus, horis duabus ante prandium. Si maiorem deiectionem requirat, permiſceat Aggregatiuas pilulas doſi vni pilularum.

Puluere poſt paſtum ſequenti vtatur: ℞. ſem. Coriandr: ʒ. ij. Fœniculi. Aniſi, ana ʒ. j. Carui ʒ. ß. rad. Liquiritiæ ℥. ß. Zingib. ʒ. ij. rad. Galangæ, Nucis moſ-

cis moschat. Cinamomi, Gariophyl. ana.ʒ.j. Incidantur minutim, addito sacchara q. s. fiat puluis sumendus à pastu, vel fiant tabulæ Saccharo dissol. in aqua Rosacea.

Vnguentum pro Ventriculo & sinistro hypochondrio sequens præscripsi: ℞. ol. Nardini, Amygd. amar. ana ℥.j. ß. succi Paludapij, Petroselini seu veri Apii ana ʒ.j. Aceti ℥. ß. rad. Asari, cort. rad. Ebuli ana ʒ. ß. Spicæ, Masticheś, Ros. rub. ana ℈. j. coquantur succi cum oleis, addendo Vini albi ℥.j. Postea pulueribus additis, & Cerâ fiat Vnguentum.

Vt Vino hoc successiuè vteretur, suasi: ℞. rad. Appetitiuarum ana ℥. ß. Absynthij ʒ. ij. Maioranæ ʒ.j. ß. flor. Cordial. ana P.j. cort. Tamaricis, Capparorum ana ʒ. j. sem. Fœniculi, Anisi ana ʒ. ij. Carui ʒ.j. Spicæ ℈.j. sum. Centaurij ʒ.j. ß. fiat puluis.

Cuius media pars infundatur in Vino albo, & Vtatur interdum in principio mensæ.

Hæc illi plurimùm profuerunt, sanusq; & contentus à nobis discessit.

Melancholia hypochondriaca, cordis palpitatio.

MElancholiâ hypochondriacâ nobilis quidam doctus & eruditus, generosorum Dominorum quorundam Ephorus, à teneris ferè laborabat, nec saltem de accidentibus, quæ aliàs hic affectus in hypochondrio sinistro producit, animi scilicet perturbatione atq; Ventriculi & capitis variis symptomatibus, sed & pluribus aliis quæ sibi imaginabatur, vti solent, continuò conquestus est: cùm tamen interea fungi suo munere, circumire, atq; peregrinari cum suis posset.

Curam itaque aggressus, institutoque decenti regimine, in viuendi ratione, successiuè sequentibus vtebatur.

Primùm sic expurgatus fuit: ℞. Rhabarb. ℈. iiij. puluerizetur, irroretur succo Limonum donec mollescat, postea affunde Vinum albũ, & aquam Melissæ, & post macerationem per noctem, adde syrupi Rof. sol. simpl. ℥. j. ß. syrupi de floribus Persicorum ℥. j. fiat potio, arom. ʒ. ij. aquæ Cinamomi.

Vena sinistri brachij sequenti die aperta fuit.

Postea vsus est vt per vices purgaretur, Syrupo hoc vsuali: ℞. rad. Aperitiuarum ana ℥. ß. cort. Tamaricis, rad. Sambuci an. ℥. j. herb. Cichorij cum toto, Acetosæ, Buglossi vtriusque cum radicibus, Fumariæ. Thymi, Melissæ, Ceterach. veri ana M. j. florum Cord. Genistæ ana P. j. fl. Lauandulæ P. ß. sem. Anisi ℥. ß. se. Citri ʒ. ij. se. Ocimi ʒ. j. Tamar. ℥. j. ß. se. Carthami conquass. ℥. ij. fol. Senæ quart. j. rad. Polypodij ℥. j. ß. fiat decoctio in Aqua & Vini albi quarta parte, & in colatura infunde Rhabarb. elect. ℥. ß. Spicæ ʒ. ß. Mechoacæ ʒ. vj. fiat express. adde Sacchari ℔. ß. Succi pomorum redolen. ℥. iiij. succi Citri ℥. j. Coquantur ad consistentiam syrupi, arom. ℥. j aquę Cinam. Capiat ad ℥. j. ß. primùm experiũdi gratiâ, postea augendo minuẽdoũe quantitatem, prout sedes pauciores pluresũe promouebit, singulis septimanis semel.

Cum intermitteret & fastidiret continuum illius vsum, interiecto spatio, clyster sequẽs iniectus; cuius vsu flatus simul cum fæcibus multi erumpebant, admodũq; probabat: ℞. Betæ rec. vel Mercurialis, Brassicæ fol. rec. Attriplicis satiui, Fumariæ, Abrotani, Thymi. ana M. j. rad Polypod j ℥. j. ß. Epithymi ʒ. ij. Senæ ℥. ß. fl. Chamomil Anethi, Matricariæ, Sambuci an. P. j. sem. Carui. Cimini an. ʒ. ij. baccarum Lauri & Iuniperi ana ℥. ß. fiat decoctio

in

in aqua & tertia parte Vini. dissol.in s. q. Mellis ros. Sacchari rub. ana ℥.j. Hieræ picræ ʒ.ij. ol. Liliorum ℥.ij. Salis parùm fiat enema.

Quando paroxysmus illum vrgebat, circa ventriculum & hypochondria, tunc Fotu sequenti mirè leuabatur, qui talis erat: ℞. cort. Ebuli & rad. Sambuci ana ℥.j. rad. Azari ℥.ß. herb. Abrotani, Matricariæ. Absynthij. Thymi. ana M. j. florum Chamom. Meliloti. Sambuci an. P. j. sem. Carui. ℥.ß. Cimini ʒ. ij. Spicæ celt. P. j. fiat decoctio in Vino & Aqua: Pro fotu hypochondrij sinistri.

Quia cordis palpitatio, atque imbecillitas illum certo tempore angebat, iussi inungere cordis regionem, illic vbi pulsus illius sentitur, hoc vnguento: ℞. succi Cardiacæ, succi Citri ana ℥.ß. ol. Nardini ℥.j. ol. Garyophyl. per destillationem eliciti ℈.j. Camphoræ ℈.j. Croci ℈. ß. cum Terebinth. dissoluta in oleo Nardino, parùm fiat vnguen.

Cùm aliquando ita remitteret hic affectus, vt se sanum si ita duraret iudicaret, interim tamē vel leue quid sentiens, metueret & perturbaretur. Duo sequentia remedia illi ordinaui, quibus mutatis vicibus vteretur eaq; ad tempus continuaret.

Primum erat Vinum medicatū sic compositum: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j. rad. Fœniculi ℥.j.ß. rad. Enulæ ʒ vj. cort. Capparorum, Tamaricis & Sambuci ana ℥.ß. rad. Angelicæ, Galangæ ana ʒ. ij. cort. Citri sicci ℥.ß. herb. Absynthij ʒ.iij Ceterach veri & Maioranæ ana ʒ.ij. fol. Melissæ ʒ.iij. fl. Cordial. ana P. j. sem. Anisi, Fœniculi ana ʒ.iij. se. Carui ℥.ij. se. Angelicæ ʒ.j. ß. sem. Ocimi ʒ.j. Gariophyl. Nucis mosc. an. ℥.ij. Limaturæ chalybis præpar. ℥. ß. in nodulo ligatæ, ponatur in dolio, affunde Vini albi mensur. viij. vel Mustum recenter expressum, (cùm tunc Vindemiæ essent) stent ad dies aliquot: Postea manè alternis diebus, bibat haustum, sumpto

prius iusculo, ad tempus donec meliùs se habeat.

Imprimis pilulæ sequentes, illi, vti & alijs in hoc casu admodùm profuerunt; sic paratæ: ℞. Aloës succocitr. ℥. j. ß. Rhabarb. Agarici ana ʒ. j. Zingib. Masticbes. Gentianę ana ℈. j gumini Ammon. dis. in Aceto ʒ. ß. succi Absynthij inspis. vel illius loco fol. Absynthij, sum. Centaurij min. an. ℈. j. Limaturæ chalybis ʒ. ß. vel croci Martis parati cum Aceto tantůdem, Terebinthinæ q. s. fiat massa pilularum: Capiat ʒ. ß. pro vice.

Vtebatur interdum confectione illa cordiali, Alkermes appellatâ, quæ propter lapidem Lazuli, in melancholicis affectibus, eò magis conuenire videtur.

Ne quid negligeret, egoque è Venis meseraicis vbi causa & fomes mali potissimùm hæreret, sanguinem nō per alias vias commodiùs educi posse, quàm per venas hæmorrhoidales, idque admotis sanguisugis, sæpè illi prædicarem, etiam hoc remedij genus experiri voluit. Atque illo primùm recusante tandem verò consentiente, hirudines per arundinem podici admotam, eò fuerunt transmissæ, vbi se illic affigentes, plurimum sanguinis exhauserunt.

Reuocati tandem illius Domini aliò, cum illis discessit, meliusculè habens & gratus.

Melancholia cum variis capitis affectibus copulata, vti & Scotomia ac Podagra.

VIr quidam magni nominis in Burgundia, se sequentibus affectibus infestari, ad me prolixè scripsit. An. 1611. Capitis se sentire ferè perpetuam grauedinem, sensuumque interiorum; memoriæ

præsertim

præſertim defectum; atq; in externis ſenſibus, viſione præcipuè imbecillitatem, viſumq́; interdum penitùs obſcurari, cum vertigine manè potiſſimùm, cùm ieiunus & lectioni intentus eſſet; Accedere hiſce incommodis, triſtitiam & mœrorem, omnes ſuas actiones impedientem, & ab hominum conſortio diuertentem, adeò vt ſolitudines amet magis, quàm cum hominibus conuerſationem. Alioquin aliis grauioribus accidentibus, in vitalibus ac naturalibus functionibus, ſe non admodum moleſtari, niſi quòd defluxionibus frequenter laboraret, quæ nunc in dorſum, nunc articulorum externorum regionem deſcenderent, doloremque illic adferrent. Hiſce incommodis ſe iam viginti quinq; & vltra annorum ſpatio, obnoxium eſſe, in literis ad me datis referebat. Quo tempore præſtantiſſimorum totius ferè Europæ Medicorum conſilio ſe fuiſſe vſum, verùm parùm, aut nihil profeciſſe, meum requirens, ſuper hiſce caſibus iudicium atq; auxilium.

Ex conſilijs Medicorum diuerſorum, quæ ad me mittebat, pleroſq; in eo conuenire cognoſcebam, Melancholiâ illum hypochondriacâ laborare. Inter quos ſequentes erant, quos viros clariſſimos honoris causâ nominare volui.

Aluarus Medicus Hiſpanus, Anno 1584. in ſuo conſilio, Melancholiam hypochondriacam eſſe aſſerebat, & pleraq; remedia capiti confirmando accommodabat.

Bernardus Bertramus Patauinus eandem cauſam ſtatuens, venæ ſectionem & purgationes per vices ad Melancholiam educendam, & corrigendam, per remedia alterantia præſcribebat.

Campalongus Italus, ad pituitam à capite diuertendam, euacuandam, caputq́ue roborandum, ſua accommodabat remedia.

Franciſcus Guiamezus Romanus, ad Melancholiam præcipuè ſua dirigebat conſilia, capitis, ventriculi, & lienis rationem habens.

Augerius Ferrerius Toloſanus, pleraq; præſidia ad arthritidem præſcribebat, tàm interna, quàm externa.

Riolanus idem de hiſce affectibus pronuntiabat, curamque ad Melancholiam ſanandam inſtituebat.

Alexander Bucinellus, ad ſeroſos & pituitoſos humores abſumendos curam inſtituebat; Chinæ decoctum illiuſque vſum per ſeptimanas ſex commendans.

Antonius Darinettus & Antonius Porrei, Burgundi, præter remedia melancholiæ emendandæ conuenientia, & quæ caput reſpicerent, acidas aquas, vt biberet, ſuadebant.

Paſcotius Burgundus & melancholiæ & defluxionibus præcipuè ſua accommodans remedia, curam ab An. 1582. ad annum 1602. continuans, euacuationibus varijs vſus eſt. Decoctum Guaiaci, adhibitâ ſimul cibi parſimoniâ aliquandiu propinauit, hancque per ſudores euacuationem, aliquandiu continuauit. Anno ſequenti thermis Plumbarijs illius conſilio vſus eſt. Annis tribus poſtea etiam acidas aquas Grieſpacenſes bibit. Præter hæc alia multa remedia, melancholiæ dicata, ad expurgationes per ſedes, vomitum & particulares vias faciendas, illi præſcripſit, vti & quæ alterationis cauſâ vſurpantur, atque tum exhibentur varia, tùm iniiciuntur enemata.

Poſt quorum omnium vſum, ſe tamen non curatum, ſed adhuc ſemper hiſce malis infeſtari, vſuq; tot remediorum debilitatem ſentire, eaq; faſtidire, multa interim grauiora, vti melancholici ſolent, ſibi perſuadens, ad me prolixè ſcribebat. An. 1608. menſe

mense Septem. consiliumq; aliquod singulare petens, & ne multis remedijs, quorum summopere eum tæderet, se fatigarem, obnixè rogabat.

Respondi; Curam fore difficilem, cùm iam illius constitutio & temperamentum, tot annorum spatio, in melancholicam constitutionem desierit. Proin multa polliceri nolui, & per grata & amica remedia, curam inchoandam iudicaui.

Vinum itaque medicatum (quâ forma remedij nondum erat vsus) eiusmodi ordinaui: ℞. rad. Aperiti. an. ℥.j. cort. rad. Ebuli & Sambuci an. ʒ.vj. cort. Tamaricis ℥. ij. cort. rad. Capparorum ℥.j. ligni Sassafras ℥.j.ß. fol. Absynthij, Chamæpyt. ana M.j.ß. herbarum Ceterach. Melissæ, Chamædrios an. M.j. flo. Borag. Bugloss. Scabiosæ ana P.ij. fol. Genist. P.j. semin. Fœniculi ℥.j. seminum Carui ʒ.ij. semin. Sileris mont. ʒ.j. conquassentur, imponantur in dolium, in quo scobs ligni Iuniperi posita sit, affundendo mensuras xv. Vini, sicque benè obturatum in caua Vinaria ad vsum asseruetur.

Post macerationem octo diebus factam, iussi vt de eo mensuras iij. sumeret, in ijsque infunderet Rhabarbari ʒ.vj. fol. Senæ ℥.ij. Mechoacæ ℥.ß. Epithymi, Cinnamo. ana. ℥.ß. Gárioph. ʒ.j. Sicque hoc Vinum asseruaret, quod purgans, aliud verò præparans appellaui.

Ad hæc tabulas de Absynthio meę compositionis, vt per vices ijs vteretur, transmisi.

Bibit Vinum præparans, manè duabus horis ante prandium, sumendo simul cochlearia aliquot iusculi Gallinæ, per dies tres, postea de Vino purgante quarto die haustum, vnde leniter purgabatur.

Anno 1609. Martio mense, certiorem me fecit, Vinum sibi admodùm sapere, illudq; probauit. Verùm Podagram quæ interea superuenerat vt ab eo

cessare cogeretur, effecisse. Quâ sanatâ, cùm Vinum deficeret, denuò aliud parari curauit, idque tertiò in Vindemiis sequentibus, loco Vini mustum sumendo, in quo materia hæc pro Vino, efferuesceret.

Cùm postmodum mense Nouembr. denuò ad me scriberet, ab eo tempore, quo podagrâ laborarit, primùm & nunc secunda vice, accedente simul erysipelate crurum cum febri, vti solet, capitis diuturnos affectus cessasse significauit, adeò vt de illis non ampliùs sit sollicitus, petiitque præseruatiua quædam, ne podagra grauiùs illum infestaret, misi illi pilulas & electuarium antipodagrica, vt successiuè iis vteretur.

Melancholia post peripneumoniam.

VIde in Pectoris dolore. Lib. II. Peripneumonia Melancho. &c.

Melancholia ex terrore, ob casum subitaneum epileptici, in melancholico naturâ, cum vertigine & cordis palpitatione.

EX improuiso casu Epileptici, senator quidam nostrâs, naturâ melancholicus, eum concidentem videns, adeò perculsus est, vt in grauem melancholiam inciderit, & de cordis dolore, palpitatione, hemicrania, vertigine, vigiliis conquereretur. Priùs multis vsus est remedijs, acidasq; quas aduehi curauerat, bibit. Verùm non remittente malo, vocatus. Anno 1596.

Præscripsi electuarium 29. Septembr. sequens:

℞. con-

℞.conf.Rof.cort.Citri.cond.ana ℥.ß conf. Maioranæ ʒ.ij.conf.Anthos.Buglofl.Meliffæ,ana ʒ.j. pul. Elect. de gemmis Diamarg. frig.ana ℈.j. fyrup. de Papau.℥.j.fiat electuarium.De quo cubitum iturus fumat ʒ.j.ß.

Super bibendo de fequenti aqua, ℥.j. ℞. aquar. Cinamon.℥.j. aq. Meliffæ ℥.ß. Vini Maluatici ℥.ij. Sacchari rof.tab. ℥.ß.mifce.

Cùm 5. Augufti cordis vehemens pulfus illi imprimis facefferet negotium, & hoc faltem accidens emendari flagitaret, fequentia hæc illi ordinaui remedia.

Epithema primùm cordiale, quo femel in die uteretur: ℞. aquæ Rof.℥.iij.aq. Meliffæ,Lauandulæ, Vini albi odor.ana ℥.j. ß. Camphorę ℈.j.mifce.

Dein vt cordis regionem vngeret: ℞. fucci Cardiacæ,ol.Nardini ana ℥.ß.coquantur parùm, adde ol.Gariophyl.℈.ß.Camphoræ ℈.j.Croci ℈.ß.Ceræ albæ parùm, fiat linim.Pro corde.

Sacculum quoque Cordialem vt adhiberet talem præfcripfi: ℞. cort.Citri ficci, Santali albi & mufcatel. ana ʒ.*j.* ß. ligni Aloës ʒ.*j.* Spicæ celticæ, fl.Lauandulæ, Anthos ana ʒ.j. feminum ocimi, Gariophyl. Maceris, Diamarg. frig. troch. de Camphora ana ʒ.ß.fiat puluis: Pro facculo.

Vinum etiam fequens bibere iuffus eft: ℞.fol. Meliffæ,cort.Citri an. ʒ.*j.* fl.Bugloff.ʒ.j.ß. Anthos, feminum Ocimi ana ʒ.ß.Garioph.ʒ.*ij.*Maceris ʒ.*j.* Cinam. ℥.ß. Sacchari quartar. j. ß. infundantur in Vini menf.*j.*paffetur.Bibat interdum hauftum.

Sequentibus diebus cùm de vigilijs admodum quereretur, propinaui illi cubitum ituro, Diacodij fimpl.cochl.*j.*fequenti nocte reiterando. Quod valde profuit, & fudorem illis noctibus aliquem fenfit.

Cùm dein potiffimùm vertigo illi molefta effet, reliquis fenfim definentibus, tabulis vt hifce vtere-

tur, consului: ℞. puluer. Diacyton. sine speciebus Nucis mosc.an.ʒ.j.fol.Euphrasiæ,Maioranæ,fl.Lauandulæ an. ℈.j. Coralli rubri ℈.ij. ras. Eboris ℈.j. Sacchari dis.in aqua Ros.fiant tabulæ.

Iusculum manè vt sumeret, suasi, cum Maiorana & Macere conditum. Vel vt Ouum sorbile, addito Carui semine, cum Sale, sumeret. Sic sensim restitutus est.

Melancholici hypochondriaci multa & varia sibi imaginantes.

DIuersis & plurimis affectibus se infestari, qui Melancholiâ hypochondriacâ laborant, sibi persuadēt, cùm tamen reuera licet aliqua huic melancholiæ propria experiantur, pleraque tamen sibi falsò imaginentur. Atq; hi maximè qui aliàs sunt ingeniosi & res altiùs rimantur, imprimis Medico studio incumbentes, & causas morborum indagantes, quasuis vel leuissimas, in corpore mutationes, aliquid mali portendere, & à morbo aliquo procedere existimant, Medicosq; horum relatione obtundunt. Quorum aliqui ore & scriptis, singulas corporis partes à capite, vniuersum corpus ad pedes vsque peruadendo, tàm in externis quàm internis, se læsionem aut vitium deprehēdere, magna animi contentione, explicant, cùm tamē præter leuia incommoda, & nullius sæpè momenti, benè comedere, dormire, aliaq; munia obire queāt. Notaui quandoque eos sibi persuadere, se calorem natiuum omnem amisisse, se defluxionibus opprimi, cerebrum, vētriculum, pulmones, hepar, renes, & in mulieribus vterum, omnia debilitata, vitiata excrementis plena, &c. cùm nihil tale sit, sed mera imaginatio melancholica.

Quo-

Quorum aliquos inde deceptos vidi, quòd non possêt iter notare, sudare, & nulla haberēt insomnia eo nomine mire se affligere. Inter quos aliqui verâ hypochondriacâ laborantes, non malè de certis affectibus hypochondriorum conqueruntur, sed insuper multa alia sibi fingunt. Sicuti nobili cuidam vidi accidere, qui quadraginta annorum spatio, non destitit, perpetuò ferè huiusmodi cogitationibus se macerare, remediisque infinitis vti, qui tamen ad profectam peruenit ætatem.

Melancholia grauis & diuturna ex timore exorta.

ALia quædam mulier, vesperi extra vrbem versans, circa patibulum, vbi fur suspensus pendebat, noxq; ingrueret, metuens ne illic vrbe exclusa, pernoctare cogeretur, in peruersam quoq; quæ ægrè curari potuit, melancholiam incidit, in quá similia illi obuersabantur.

Melancholia grauis & diuturna, à terrore ob visum suspensi hominis cadauer.

CVm quidam captiuus, supplicio afficiendus, sibi laqueo in carcere mortem consciuisset, atque à carnifice vt in profluentem cadauer abiiceretur, dolio includeretur, muliercula quædam vicina, hoc viso summopere perterrita, melancholiam grauem contraxit, in qua multa impia, vt diceret & faceret, quin & seipsam suspēderet, in mentem illi continuò veniebant. Quæ quò magis ex animo delere cupiebat, non ausa mihi exponere, cuius consilio vtebatur, tantò magis seipsam mi-

rum in modum cruciabat, & Dei opem ardentibus precibus implorabat. Non persistens autem in vsu remediorum, quę illi assignaueram, Empiricos hinc inde consulendo, peregrè etiam ad eos profecta, penè totam substantiam expendit. Tandē mitiùs habere cœpit, sed admodùm consumpta tot euacuationibus, sanguinis detractionibus, debilis & macilenta suprà annos quadraginta vixit.

Melancholia grauis & diuturna ad desperationem adigens.

HOrum aliquos vtriusq; sexus audiui conquerentes, se esse ex numero damnatorum, Deo non esse curæ, aliaq; infinita sibi imaginatos, quæ proferre non audebāt. E quorum numero vidi, qui templum adire metuerent, qui quando Rhenū, vel cultros intuebantur cohorrescebant, & tremebāt: tunc enim veluti furore perciti, ad se interficiendū incitabantur. E talibus prędiuitis mercatoris vxor, diu hisce tentationibus diuexata, cùm se ampliùs tentari dissimularet, clàm marito, noctu nuda surgens, & per fenestram se in plateam demittens, in pontem Rheni cucurrit, in eum se præcipitauit & submersa fuit. Vti & vir alius noster ciuis, alibi se in aqua suffocauit. Plures laqueo se suspēderunt. Aliqui cultro se vulnerando interfecerunt.

Melancholia grauis mulierem lactantem ad vitæ odium continuò sollicitans.

ALia melancholica rustica venusta, cum lactaret infantem, eamq; curarem, semper hoc dicere solita erat. Non possum in hoc mundo ampliùs manere aut viuere, abeundum mihi est, mo-

riendum eſt, nullas interim cauſas ſe adeò moleſtantes, adferens. Quæ laqueo cùm ſe ſuſpendiſſet domi ſuę, à morte, abſciſſo à quodam interueniēte laqueo, liberata eſt, & tandem vomitorijs pręcipuè exhibitis curata.

Melancholia grauis ex triſtitia, & indignatione, cuidam fœminæ, quod nubere cuidam coacta fuiſſet, exorta, quâ ad deſperationem fuit adacta.

ELegans virgo quædam inuita, nupſit cuidam, maluiſſet alium ex noſtratibus, quem intimè amabat, maritum habere: vnde factum, vt poſtquā nuptias celebraſſet, melancholica reddita, in perpetuo mœrore, etſi maritus illi ſummè gratificari ſtuderet, verſaretur. Tandem ſola in ſuo cubiculo exiſtens, ſeipſam ad lecti ſummitatem, appenſo mantili, ſuſpendit, ſicq; deſperabunda extincta eſt.

Melancholia grauis duorum, in deſperationem verſa, ad quam vulnus conſcientiæ illos impulit.

FRatres duo Viri docti, quos familiariter diu noueram, ob certam præconceptam de quibuſdam dogmatibus, opinionem, ſecus ſentientibus, ipſorum inſtigatione, in exilium pulſis, pœnitentia poſt ducti, in deſperabundam inciderunt melancholiam, in qua alter etſi ſedulò obſeruaretur, ſe per feneſtram præcipitem dans, expirauit: alter paulò poſt, laqueo ſe ſuſpendit, verùm antequam ſuffocaretur, liberatus, non diu tamen ſuperuixit.

Melancholia grauis ex imaginatione & metu captiuitatis, ad homicidium & desperationem impellens.

MVlti inter melancholicos hac phantasia laborant, quòd se capiendos, & ad supplicium ducendos timent, ob eamque causam omnia suspecta habent & præcauent.

Quidam Basileæ patre viro docto, sed egeno natus, & postea patre in Sueuiam profecto, partim illic, partim Argentinę scholas frequentans, in studijs adeò profecit, vt à patre meo, quò hypodidascali fungeretur officio, accersitus fuerit. Qui cùm aliquandiu in schola versatus esset, tandem curâ quorundam adolescentum nostratium susceptâ, cum illis Lutetiam, studiorum gratiâ profectus est, vbi Marchionis Brandenburgici fortissimi illius Principis, & exercituum imperatoris, qui tunc exulabat,, aulicos frequentans, mores illius, adeò principi placuerunt, vt illum sibi adiunxerit; vnde factum, vt studijs neglectis, militiæ deinceps operam dederit. In qua adeò inclaruit, vt postea apud principem Saxoniæ in magna fuerit existimatione, illique præfecturæ quædam fuerint concreditæ. Quarum administratione, cùm summam haud exiguam pecuniæ confecisset, eam primùm ad me, postea Francofurti custodiẽdam deposuit. Reuersus in Ducis quoddam oppidum, & melancholicus factus, in mala gratia se esse Principis, & rationes dispensationis sibi reddendas, adeoq; in mandatis, vt caperetur, aulicos habere, sibi persuasit. Quo metu certis temporibus illum inuadente, vel equès aut pedès, vt elaberetur fugâ, per loca diuersa oberrabat, postea remittente metu, reuertebatur. Ex amicis ipsius, Iureconsultus quidam, vt illi

hanc

hanc finistram opinionem eximeret, eum in monasterium vicinum, vt se illic exhilararet, cum famulo equês deduxit, vbi cùm pransi essent, domumque equites reuerterentur, illius rursum imaginatio hæc falsa animum subiuit, milites armatos se videre, qui illum capere vellent, & amicum suum comitem hoc procurasse, seque fefellisse, dicens, iratusque extracto è theca sclopeto, eoque exploso, Iureconsultû illum amicum suum, qui præcedebat, traiecit, ita vt ex equo delaberetur mortuus. Ipse verò desperatione motus, gladio extracto, ex equo in eius mucronē, in pectus conuersum, se cōiecit. Verùm hoc ob thoracis duritiem non penetrante, detecto pectori ense admoto, magno impetu in arborem vicinam incurrens, seipsum confodit. Quemadmodum id mox postea Stutgardiæ, in aulam tunc temporis, Anno 1570. vocatus, ex Ducis Saxoniæ coniuge, quæ illic apud matrem ægram, cuius curam habebam, versabatur, cognoui, valdeque cùm summus parentis meusque esset amicus, eam ob rem dolui, domumq; horrendum hûc illius casum transcripsi. Certior factus de obitu illius, frater eius, qui ab Hispanis in bello Schmalcaldico, Sueuiam occupātibus, iuuenis abductus, & militiam ab eo tempore sequutus, tribunus militum factus fuit, mox re cognita, festinanter Francofortum properauit, vt decem millia Talerorum, quæ frater defunctus illic deposuerat, inde asportaret. Verùm cum hanc pecuniam DuxSaxoniæ iam arrestasset, re infectâ, vt Senatus nostri, intercessione arrestum relaxaretur, domum rediturus, Argentinâ transiens cùm famulo, capitaneum ciuem nostrum illic inuenit, cum quo ad vesperam vsque, præmisso famulo in pagum, vbi pernoctare volebat, vt cœnam instruere iuberet, commessatus est. Et cùm solus vrbe eques egrederetur, nocte in-

gruente, niueque itinera instrata essent, à via aberrans, in campo niuibus tecto, in paludem illic latentem, cum equo incidit, illicque miserè perijt.

Famulus in pago, cùm non veniret, manè Argentinam reuersus, eum illic & nusquam comparentem postea in tota vicinia quæsiuit. Verùm cùm nihil aliud intelligeret, quàm quod tardè vrbe egressus esset, Basilæam veniens, hoc sorori indicauit, quæ Sabaudo cuidam Principis sui negotia apud Heluetios agenti, nupta erat, qui iuuenis patris mei conuictor & domesticus per septennium fuit, ab eoq; in litterarum studijs institutus, ciuis noster postea factus est. Hic ad res graues tractandas satis idoneus, ad Ducem Saxoniæ literis commendatitijs à magistratu nostro instructus, se festinanter contulit, & dictæ pecuniæ relaxationẽ ab optimo principe impetrauit, ex qua tamen, ob geminum homicidium commissum, in pauperum vsus mille quingenti thaleri fuerunt soluendi. Negotio expedito Basileam reuertens, Argentinam cùm venisset, ea ipsa die aduenerunt, qui se equum mortuum & cadauer hominis ei insidentis in palude inuenisse narrauerunt, quo cognito, statim suspicans affinem suũ iam 18. septimanarum spatio amissum fortè esse, protinus eò se conferens, rem ita habere, cadaueris illius capitis nudâ caluariâ depili & decute è palude prominente, & iã reliquo corpore in aqua merso & integro adhuc existente, deprehendit, quod postea & extrahendum, sepeliendumque curauit. Inuenta fuerunt omnia quæ secum Argentinâ exportauerat, Catena aurea cum Chirogra.thecæ inclusis. Quæ cùm secum affinis Basileam reportasset, parteinq; pecuniæ sorori dedisset, inde ditatus, splendidè viuens & sumptuosè ædificans, Principis negotijs interim neglectis, debitis primùm obrutus fuit, mox in

morbum

morbum, & varias animi afflictiones incidens, ad inopiam redactus, multis relictis debitis, quæ exsolui minimè potuerũt, miserè mortuus est. Quam historiam tragicam horum trium, qui ex humili statu ad magnum peruenerant, quorum exitus adeò funestus fuit, quòd mihi fuerint amicissimi, copiosiùs enarrare volui.

Melancholia grauis, in muliere alioquin melancholica, ob zelotypiam, & terrorem, eam ad desperationem, & inediâ mortem sibi accersendum, adigens.

PIctoris vxor, naturâ solitaria, domesticis rebus intenta, religiosa, tristis & melancholica, cui Zelotypia, quam ex mariti confessione, de amore alterius mulieris, antequam eam duxisset, occasionem quoque præbuit, cùm viginti septem annos in matrimonio vixisset, & nouies peperisset, mense Ianuario, Anni 1600. terrore perculsa, ob rumorem sparsum, filium ipsius iam adultum, absentem tunc, in conflictu quodam interfectũ esse, id quod eò magis credebat, quòd in somno imago filij cæsi ei apparuisset; in melancholiam grauem incidit. In qua primùm zelotypia, quæ ante multos annos in principio matrimonij, eam affecit, redire cœpit, eamque affligere, affirmans maritum adulterium commisisse, mox idem negans, adeò vt è domo se aliquoties subduceret, nec vllam consolationem admitteret. Consilio Medicorum cùm filius reuocaretur, & ad matrem adduceretur, minùs quidem angebatur, non tamen omnino ad se redijt. Quapropter sanguis sæpe detractus, ipsaque purgata fuit; quibus factis, nec tunc remittere malum, sed

augeri perrexit, & de vehementiori animi angore conquerens, adeò inquieta facta est, vt dies noctesque, non vti prius, saltem ambularet; verùm etiam de loco in locum discurreret, nec desineret, etiam cùm cibum caperet, donec lassitudine viribus prostratis, somnus, sed breuis, eam inuadens, quietam nonnihil redderet. Frustra omnibus tentatis, cùm tantum cruciatum animi se non ampliùs ferre posse, continuò exclamaret, tandem mortem ardenter expetebat, nec quidem ab initio sibi manus inferre volebat, sed saltem astantes, vt venenum propinarent, unicè rogabat. Tandem desperâs, Deum sibi minimè ignoturum, damnatam se esse, & cruciatus infernales ac gehennam iam sentire, iterabat: & cùm quatuor mensium spatio, hæc iam durassent, postremò ad eam peruenit insaniam, vt sibi omnino persuaderet, maritum cum liberis venenum propinare sibi velle, sicque mortem struere. A qua falsa impressa opinione, nemo illam potuit, nec consolando nec persuadendo auertere, se non mortem, quam sibi molirentur, sed quòd veneno hausto, diu cruciatus magnos, antequam expirare posset, perpessura sit, metuere, asserens; quam accelerare studens, iam cultros, laqueos, aliaque ad hanc rem perpetrandam apta instrumenta, clam indagabat. In hac itaque opinione, quòd intoxicare eam vellent, obstinatè persistens, nullum amplius cibum nec potum, nec medicamentum admittebat, & si quid tale per vim ori illius intruderetur, ne micam aut guttam aliquam deglutiebat, sed omne denuò expuebat, expuitioneque continuâ, orisque abstersione, veneni reliquias in ore hærere putans, eas propellere nitebatur.

Quòd si fortè dormienti, penna aquæ cordiali intincta, leuiter ori illius inderetur, aut alioquin naribus aut pulsibus cordiale aliquid illineretur, statim

ſtatim excitata, excandeſcens, tanquam furibunda exclamabat, omniaque ſpuendo abſtergendoque denuò auferre laborabat, venenata eſſe prędicans.

Quam ſuſpicionem vt declinarent adſtantes, cibum potumque, qui illi adferebant, prægustabant, venenum minimè eſſe, nec ipſis nocere, hoc pacto ei perſuadere cupientes. Ad quod illa, illis quidem minimè, ſibi autem venenum eſſe, replicabat. Ab omnibus itaque penitùs, quæcunque aſſumi poterant, abſtinens, ſeque inediâ conſumens, decem adhuc dies, totidemque noctes ſuperuixit, quod in ea priùs per quartam anni partem, morbo attenuata, debilitataque, eò admirabilius fuit.

Paulò antequam expiraret, cœlum intuens, ſurſum ſurſum, inquit, in cœlum ferar, nec vltra effari quicquam valens, manibus tanquam precatura, cum de eo admoneretur, compoſitis, ſpiritum 5. Aprilis, Anno 1600. horâ quartâ matutinâ reddidit, &c.

Melancholia grauis, quâ captiuus metu ſupplicij ſibi fame mortem conſciuit,

OB delictum quidam carcere detentus in vrbe noſtra, ſupplicium timens, fame ſibi vitam finire ſtatuit. Itaque ab omni cibo & potu abſtinuit, ad dies quatuordecim. A qua deſperatione vt diuerteretur, plurima licet tentata fuerint, cibi optimi, vina item generoſa, ori admota, conſolationes, promiſsiones variæ factæ, admonitiones item ſeriæ, comminationes æterni ſupplicij, omnia tamen fruſtra. Vltimò cùm iam viribus deficientibus in extremo eſſet, potum petijt, ac parùm bibit, nec inde refocillatus, in hac deſperatione miſerè perijt.

Mania ob mœrorem in muliere à marito pessimè tractata.

IVuenis quidam dissolutè viuens, puellam prædiuitem Milhusio contra parētum voluntatem, abductam, sibi in hac vrbe matrimonio copulauit, ipsiusque bonis mox dilapidatis, eam pessimè tractauit, adeò vt sæpe desperabunda seipsam interficere cogitaret. Tandem ad insaniam redacta, vestes dilacerabat, nudaq; catenis vincta, etiam stramen, in quo eam cubare vidi, minutim vnguibus discerpebat: Ideoq; deuecta ad Empiricum quendam rusticum, qui maniacos curare solebat, septuagesies vnâ septimanâ venis diuersis in locis apertis, atque vniuerso penè illi sanguine detracto, ab eo fuit curata. Inde domum reuersa debilis & pallida, mortuo marito, alteri nupsit, cū quo ad 40. annos vixit, sana, sterilis tamen maleq; colorata.

Mania quâ virgo quædam nupturiens correpta fuit.

AD Principem virginem quandam fui accersitus, quæ ex amore Principis ecclesiastici, cui, ipsi per suos nubere non licuit, in maniam incidit, multaque turpia solita proferre, eâ obijt.

Mania in alia virgine eandem ob causam.

ALia virgo à nobili quodam & strenuo viro adamata, sed quia ignobilis illa erat, prohibito matrimonium cum illa contrahere, quod tamen ille summè expetebat, indignabundus, in militiam abijt. Cuius discessu, illa maniaca facta, longo tempore vinculis & carceri inclusa, semper illum ma-

gno

gno clamore vocabat. Ille cùm multis annis militasset, Serenissimis Imperatoribus Carolo quinto & Ferdinando, summus dux militum factus, domum reuersus, nec illam cum insana esset, nec aliam vxorem illa superstite ducere voluit, sed tandem ipsâ mortuâ, cui sertum imponendum tanquam virgini miserat, diu post vxorem iam senex duxit

Mania quâ quadraginta annos quidam cum summo furore laborauit, à qua liberatus fuit.

COquus quidam in hospitali maniâ grauissimâ correptus fuit, illicque in obscuro carcere, nudus in stramine, quòd omnia alia dilaceraret, iacês, cibumque interim capiens quadraginta annis, vti vidi miserè detentus fuit. Tandem ab ea aliquo pacto liberatus, liberè iam senex canus & decrepitus per vrbem deambulauit, neminemq; amplius lædere tentans, multa secundum rationem dixit & fecit, sed ob senium diutiùs viuere non potuit.

Mania ex furore vterino horrenda, fœminæ cuiusdam.

NObilis quidam Alsatus senex iuuêculam vxorem duxit, verùm mox colico dolore correptus, eoque miserè longo tempore, conuulsionibusque afflictus, membris contractis partim, partim resolutis, quod in nostris regionibus colicis vtplurimùm euenit, lecto detentus miser per biennium ferè cùm esset, tandem mortuus est, vxore relictâ viduâ, quam vix inito matrimonio, æger statim factus attingere poterat. Illa mox eo extin-

cto, in tam horrendum furorem maniacum, ac Venereum incidit, vt non solùm inuisentium eam congressum, voce & gestibus expeteret, sed etiam illi morem gerere nolentibus molossos Anglicos, magno clamore eius rei causâ adduci iuberet. Quę horrenda ipsius verba parentes audientes, vehementer fuerunt contristati, mirati cùm priùs tam pia & casta semper fuerit, ad detestabilem hanc insaniam peruenisse: in qua & postmodum extincta est.

Mania correptus quidam, amicissimum compatrem suum eum compescere volentem confodit.

LAnius quidam hîc Basileæ, furore quoque penè maniaco interdum corripi solitus, præsertim cùm vinum liberaliùs bibisset, insidias sibi strui vt caperetur, dicens, per vrbem stricto gladio discurrebat, & cũ eum nemo verbis aut vi compescere posset, metuentes sibi ab eo, excitatus fuit sartor quidam, qui iam dormitum se contulerat, illi adeò familiaris, vt quæuis ipso monente & obiurgante, faceret. Quem cùm denuò reprimere vellet, nec sibi caueret, ab ipso furioso in vicina nobis platea fuit trãsfossus, ense latum pedem extra dorsum prominente. Hic manè cùm iam furor nonnihil desiisset, captus, & quia maniacus putabatur, non capite plexus sed ad carceres perpetuos damnatus fuit, in quibus semper blasphemando & deierando dies noctesq; conterens, post annos aliquot, hyeme frigore intensissimo periјt, & veluti congelatus manè inuentus est.

Mania ex morsu canis rabidi.

MAniaca puella, à morsu canis rabidi, canis instar latrabat, dein vehementer continuò vociferabatur, quo clamore, cùm adhuc puer essem, & vicinus hospitali, noctu præsertim, valde terrebar, quid cum illa actum fuerit, haud memini.

Mania ex morsu lupi rabidi.

LVpi cùm reuera è canum genere sint, sed agrestes, vti & boues equi & feles syluestris naturæ inueniuntur, in rabiem quoque vertuntur, & ab illis demorsi, in maniam cum vlulatu, & hydrophobiam vt à domesticis incidunt. In pago Biel Benken memini socerum meum chirurgum, inuisisse duos, à Lupo rabido morsos, qui è vicina sylua sub vesperam in pagum furiosè irruens, duos viros adortus, morsibus multis faciem ipsorum dilaniauit, qui & ambo post dies aliquot extincti fuerunt.

Hydrophobiæ species, alia ab illa quæ à morsu canis rabidi euenit, cum animi perturbatione & conuulsiua inter deglutiendum suffocatione, à terrore inducta, lethalis.

SVtoris vxor Anno 1593. vndeci. Martij, cùm corium in Birsæ fluuiolo, sub concamerato opere, vrbem interluente, vesperi lauaret, nocteque instante, eam vicini solam illic reliquissent, solitudine perterrita, existimans se splendorem aliquem è fornice erumpentem, cernere, torrentemq; inundantem, auctumq; cum impetu affluere, eo perculsa, domumque reuersa, ab eo tempore, neque

aquam,nec vinũ, nec iuſculũ, nec aliud quicquam liquidum deglutire potuit, ſed ſtatim hiſce oblatis magiſque ori inditis, ſuffocandæ ſimilis, ſpiritum cum vociferatione, veluti interclusum, trahebat. Et quod mirum, ex ſolo contactu liquidorũ idem accidens, patiebatur, immò ſi liquida in conclaue inferrentur, illis conſpectis cohorreſcebat, denuóque afficiebatur,adeò vt non priùs graue hoc ſymptoma ceſſaret, niſi hiſce è conſpectu ablatis. Sed & aërem nonnihil agitatum, vel auram aliquam lenem ſentiens,idem patiebatur,eodem modo vti alteri cuidam mulieri accidiſſe, intra biduum anguſtia hac extinctæ, in praxi mea memini.

Ob metum itaq; hunc non ſolum aquæ,ſed & reliquorum liquidorum, ab omni potu abſtinuit, nec ſuſtentabatur aliâ re quàm pane, ſolidiſque cibis,quæ deglutire potuit. Cumque panem vino maceratum exhibere iuſsiſſem, corroborationis causâ, non niſi bene expreſſum admittebat; ſomnum interim minimè capeſcens.

Adſtantes ob deglutitionis difficultatem, in collo vitium eſſe,exiſtimantes, Chirurgum primò vocarunt; verùm cùm ille nullum in faucibus impedimentum inueniret,rem mihi quinto demum die expoſuerunt.Ego adſtantibus ex affectu ſextæ vel ſeptimæ neruorum coniugationis hoc procedere, eo modo, ſicuti in praxi mea docui, vtcunq; expoſui, illiq; Hydrophobiam ex latente veneno, vti in morſis à cane rabido,accidere ſolet,copulari, periculumq; prædixi; iuſsique ſtatim cucurbitulas in ſcapulis applicare, & ſub veſperá repetere.

Manè vocatus, rem ita habere, vti retulerat domeſtici atque hoc admiratione dignum obſeruaui: Sedebat infantem in gremio tenens, loquebaturque piè & cordatè, atq; quo pacto afficeretur, oblatis liquidis, mihi patefaciebat. Cùm iuberem adſtan-

adſtantes illi decoctum calidum, vt pedes in eo mergeret, reuulſionis cauſâ, clam apponere, illa, vbi primùm adferri ſenſit, paroxyſmum paſſa eſt. Quia autem menſes ſuperuenerant, nec aliquid admitteret, nolui aliquid hoc die tentare, nec narcoticum dare.

Octauo à prima inuaſione die, matutino tempore, ſuperuenit diarrhœa, admodumque debilitari cœpit; Iuſsi experiri an hunc bolum poſſet ſumere: ℞. Mitridati elect. ℥.j. Philonij ℈.j. Cum ſaccharo fiat Bolus.

Verùm cùm offeretur, renuit, ſancteque & piè multa de electorum beatitudine prædicans, mortemq; ſibi prædicens, horâ quartâ poſt meridiem, ſenſim voce remittẽte, viribus quoq; paulatim deficientibus, exſpirauit.

Viti ſaltus. S. Vits Dantz *Maniæ ſpecies in fœmina quadam.*

CVm puer adhuc eſſem, hoc horrendo affectu quædam fœmina laborans, in tribus ſuburbij cinericij hîc Baſileæ Zum Kupf domum dictam, non procul à parentis ædibus, à lictoribus ducebatur, cui magiſtratus, vti in Praxi mea annotaui, viros aliquot robuſtos, qui alternatim, vno feſſo, altero ſuccedente, cum ea dies noctesque tripudiarent, conſtituit, quod ferè menſis ſpatio, ſpectãtibus multis, durauit, ſine ferè intermiſsione, etſi ſolearum pedum eius cutis attrita eſſet. Et licet aliquando vt cibum caperet, & ſomno correpta ſedere cogeretur, tamen geſtu motuque corporis inquieto, interim nihilominus corpus veluti ſaltans agitabat: donec omnino viribus proſtratis, adeò vt nec ſtare ampliùs poſſet, à ſaltu ceſſare coacta, in hoſpitale vecta eſt, vbi refecta, ſenſim denuò conualuit.

Viti saltui similis corporis agitatio.

PRinceps quidam Ecclesiasticus, Conuulsionis grauis aliquot paroxysmos passus, tandem in similem Maniam incidit, in qua corpus illius vniuersum, saltaturi in modum agitabatur, quod & si vires suffecissent, atque è lecto prodire potuisset, vti facere nitebatur, sed detentus vi non potuit, egisset. Sicque corpus agitando, ridendo, aliosque vt secum saltarent inuitando, ad agonem mortis vsque perseuerauit.

Phrenitis vera, in puerpera.

PVerpera iuuencula, non bene post partũ purgata, in graue delirium subitò nullo prægresso alio morbo, incidit, irascebatur illis potissimùm, quos maximè amare debebat, marito scilicet & parentibus; multa tamen religiosa locuta, facie vehementer rubebat & oculis. Febris aderat acuta, quare Phrenitidem veram esse statim iudicaui.

11. Ianuarij, Anno 1593. vocatus, Venam vt aperiret suasi, sed ob inquietudinem fieri minimè potuit. Itaque scarificationem in scapulis & humero adhibere iussi, quod magna difficultate factum.

Dein ob vigilias & inquietudinem dedi syrupum de papauere dilutum.

Oxyrhodinum item fronti apponere iussi, quod tamen continuò detrahebat, nec quieuit.

12. Ianuarij Gallinam per medium dissectam tepentem & cruentam, capitis vertici iussi imponi; quo facto, vapor copiosus & spissus, ita vt conspici posset, mox ab ea sede sursum euaporabat, & cum gallina remoueretur, tosta esse videbatur, quod mirè profuit.

Nam 13. Ian. ad se redire cœpit, & adstantes agnoscere, & rationi consentanea loqui, atque ob-

temperare. Itaque Iulepum refrigerantem & humectantem, nam adhuc febricitabat, præscripsi. Quo bis terve vsa, accedente idoneâ viuendi ratione, mox conualuit.

Paraphrenitis, quâ delirans quidam lusu scaccho dicto ludebat.

EPidemio morbo adolescens quidam correptus in ædibus parentis mei, etsi manifestè delira- ret, per dies aliquot, nihilominus è lecto surgens, scacchorum ludum nobiscum, qui eo nos exercere consueueramus, exercebat, satis industriè, idque aliquoties, nec ad se reuersus, ampliùs eius recordabatur.

Delirans quidam se suamq́ vxorem perdidit.

QVidam in vrbe Waldtshut, febre continua laborans, in delirio, furore percitus, vxorem per vim compressit, statimque postea exspirauit. Vxor verò mox eodem morbo correpta, licet ab eo fuerit liberata, nunquam tamen postea se rectè habuit, tandéq; in tympanitidē incidit, quâ obijt.

Delirium ob Septi inflammationem.

VIde in Mentis consternatione. Lib. I. Dispnœa à defluxione supra septum, &c.

Delirium in causone.

VIde in Febribus. Lib. II. Febris ardens seu causus, &c.

IN TACTVS LAESIONE Obſeruationes.

Stupor brachij, Capitis grauedo, atque è cute capitis veluti pinguedinis exudatio.



Iliæ adultæ Nobilis cuiuſdam Nancei primarij, ſtupebat brachium cum formicationis ſenſu, & mouendi aliqua impotentia: quærebam an ex compreſſione per decubitum brachij vel refrigeratione aliqua hoc illi accidiſſet. Verùm cùm cauſam explicari non poſſet, ſed de capitis dolore & grauedine conquereretur, & præter hæc è cute capitis, pinguis quædam exudaret materia, excrementa copioſa congeri obſeruans, frigidamque defluxionem ad brachij neruos decubuiſſe ſuſpicatus, vt purgaretur, ordinaui pilul. ſine quib. ℈.ij. hebdomadatim.

Alternis quoq; diebus de conſeru. ſequenti capiat: ℞ conſ. Roſ. Anthos, Saluiæ ana ℥.j. Chamæp. puluer. cum conſeruam non haberet ʒ.ij. cum ſyrupo de Betonica fiat mixtura.

Vt Lixiuio item caput lauaret quarto ſemper die: ℞. Lixiuij tonſorum menſur. ij. decoq. in eo Maioran. Saluiæ, Spicæ celticæ an. M.j. Agarici ℥.ß ſum. Roſ. p.j. Tartari Vini albi ℥.ß.

Poſt lotionem ſiccet pannis ſuffumigatis, Maſtiche, Thure & Succino.

Poſtea præſcripſi ſeq. inunctionem pro brachio, quâ manè ad focum, interdum etiam poſt ſudores, vſu ſtuphæ motos, brachium fricaret eò vſque donec ruberet, cuius hæc deſcriptio: ℞. rad. Ireos, Acori, Enulæ an. ʒ.j. fol. Rutæ, Thymi, Chamæp. Saluiæ ana ℥.ß. Hyperic. Chamom. ſum. Roſm. an. ʒ.ij.

bacc.

bacc. Iunip, bacc. Laur. ana ʒ.vj. Nucis mosch. Benzoini, Storac. ana ʒ.ij. Terebinth. seu resin. laricea ℥.j. affunde Vini generosi ℔.ij. Vrinæ pueri. ℔.ß. destillentur; Aquâ oleaginosâ, quam Balsamoleon voco, vtatur.

Cùm aliquandiu eo vsa esset, cœpit formicatio nonnihil minui, brachiumque minori cum impedimento moueri.

Iussi vt in aceruum vinaceorum calentem brachium intruderet indies, horamque integram retineret.

Postremò dropacem adhibuit, ex Pice cum ol. Laurino dissoluta miscendo Stercoris columb. sic. puluer. & sem. Sinap. & detraheret indies bis vel ter, rursumq; reponeret, vnde tandem restituta.

Stupor brachij ex compressione.

LApicidæ dormienti, totaque nocte cubito incumbenti, brachium adeò obstupuit, vt veluti emortuum, nihil amplius sentiret, cum resolutione quoq; aliqua illius. Hic licet varia tentasset remedia, vix toto biennio, sensum tactus iterum recepit, eoque vti potuit.

Sensus tactus deprauatus, ardentem & veluti vrentem dolorem in partium extremitatum superficie discurrentem, percipiens, ad multos annos durans.

QVidam chartarum lusoriarum confector & pictor, spacio viginti octo annorum, affectu raro atque admirando diuexabatur. In extremitatibus corporis hinc inde, nunc in digitorum ma-

nus & pedis summitatibus, nunc in labijs, nunc in apice nasi, ardorem intolerabilem sentiebat, ab vno loco in alium, in iam enarratis partibus discurrentem, locumq; aliàs citiùs, aliàs tardiùs permutantem, sæpè & in pluribus simul infestantem, eo omnino modo, vti aiebat, sicuti ex cõtusione nerui, in cubiti articulo, dolor in minimo illiq; vicino digito aliquandiu summus, cum formicatione aliqua se offerre solet. Qui dolor in illo, nullis aliàs caloris morbiuè alterius indicijs sese prodebat, nisi q lutea macula quandoq; illic appareret, quæ tamen subitò iterum euanescebat. Hisce ille doloribus per interualla redeuntibus, & nunc longiùs interdum breuiùs durantibus, per annos tam multos conflictatus, domi se continere, & in lecto plerunque decumbere cogebatur, emaciatus a omnihil & pallidus, membris diuersimodè in lecto collocatis, cùm ea dolore vrgente, variis modis nunc attraheret nunc extenderet. Cibum interea capiebat, & suas chartas nihilominus, cùm dolor indutias dabat, pingebat, liberosque procreabat sanos & incolumes. Hunc ego sæpè ex Gallijs reuersus An. 1557. inuisi consilioque vt dolor aliquo pacto mitigari posset, certis præsidijs iuui, & cùm spem aliquam sanationis conciperem, pestis eum Anno 64. iam senem è medio sustulit, & à longo illo languore liberauit.

In Lingua sensus ardoris & veluti vrentis doloris.

IN linguæ extremitatibus & lateribus, similem ardorem mulierem quandam, multos quoque annos passam, & ad extremum vsq; eneruatam, illius.

illiusq; præcipuè causâ, succedêtibus tandem grauioribus noxis extinctam, similiter vidi.

In Labio sensus ardentis & veluti pungentis doloris.

DEin & in labio dextro, virum robustum alioquin, iam toto triênio simili modo affectum, accedentibus tum etiam interdum punctionibus, in caput vsque ascendentibus, ac si ferro candenti, vt referre solebat, vreretur, lecto decumbentem visitaui, qui & tandem occubuit. Quæ neruorum causâ accidere, illorumque affectus aliquos, sic excruciare quàm diutissime homines, posse, nullo indicio aliàs apparente, manifesto, in Praxi nostra ostendimus.

Sensus ardoris & punctionis hinc inde per corporis superficiem, maculis & pustulis simul erumpentibus, cum Capitis dolore & Aurium tinnitu.

VIr quidam rusticus Burgunddus, corpore valido venit ad me consilij gratiâ, Anno 1607. Septembr. 18. Conquerebatur de dolore ardente & pungente, discurrente per vniuersam corporis superficiem, maximeq; in extremitatibus vt manibus, pedibus, facie & scapulis: atq; erumpebant interdum maculæ luteæ & pustulæ hinc inde, quæ tamen mox iterum euanescebant. Circa scrotum ardor præcipuus erat. Accedebat his capitis dolor & aurium tinnitus.

Vsus erat Chirurgi consilio, qui eum Lue Vene-

rea infectum suspicabatur, vti verisimile erat, licet ille negaret, nec se cum impura muliere congressum testaretur. Post purgationem & venam sectam, diætâ vsus est, parcè edendo & non nisi decoctum Guaiaci bibendo, sudandoq;, sicq; hanc curam ad dies decem octo continuauit, sed nihilo melius inde habuit: Postea vsus thermis Plumbarijs recruduit malum.

Suasi illi vt non solùm sudoribus sed & simul alui deiectionibus, per vices aliquandiu continuatis, corpus ab eiusmodi acribus, biliosis & malignis humoribus, cum sanguine per venas & corporis superficiem dispersis, & discurrentibus euacuaret.

Ad quæ promouenda, hoc purgans decoctum illi præscripsi: ℞.rad.Polypodij ℥.ij. ß.fol.Senæ ℥.ij. Epithymi ʒ.ij. Myrobal.citr.℥.ß. ligni Guaiaci rasi ℥.iiij.fl.Cord.P.ij.cort.Hellebori nigri ʒ.iij.bulliant in Aquæ ℔ viij. & Vini ℔.j.ß. ad consumptio. tertiæ partis, dulcoretur Melle: Bibat manè haustum, & continuet si ferre possit per mensem vnum, sin minus interdum quiescat per diem vnum alterumúe.

Sudatorium hoc ordinaui: ℞.rob.de Sambuco ℥.iij.rob.de baccis Iuniperi ℥.j.ß. syr. de Papauere. ℥.ij. Narcotici tui ʒ.j. spiritus Iuniperi ʒ.ij. misce. Capiat alternis diebus cubitum iturus & sudet ea nocte.

Atq; ita in cura & purgando & sudando perrexit ad spacium illi definitum.

Reuersus ad me Anno 1608. mense Aprili, dicebat se post illam curam benè habuisse. Et intra mensis spatium, denuò discurrentem illum dolorem redijsse. Suasi cùm robustus esset, vt curam priorem repeteret, præsente chirurgo illius loci. Iterum post Annum reuersus, dicebat se curam inchoasse.

choaſſe, ſed poſtea neglexiſſe. Quare denuò repetendam ſuaſi, quod & fecit, & poſtea iterum conualuit.

IN VISVS LAESIONE Obſeruationes.

Vertigo epilepſiæ proxima.

QVidam amicus meus iam ſeneſcẽs, Vertigine interdum ſubitò corripiebatur, nũc ante cibum, mox poſt eum, in quâ, quia cubiculum aut locum in quo erat, inuerti illi videbatur, ſtatim corruebat, & ſe retinere ſtudens, vnguibus terram radebat, pedibuſq; eam epilepticorum inſtar pulſabat, niſi quòd mens in eo conſtaret. Paroxyſmo autem ſoluto, capitis dolorem aliquamdiu ſentiebat, lentamq; pituitam euomebat, antequam autem vertigo eum inuaderet, priùs de ventriculi grauitate & cardialgia conquerebatur.

Frequenter autem pilulis vtens, illorum vſu vt rariùs eum affectus hic inuaderet, præcauebat.

Victui ſimplici & moderato ſe aſſuefaciebat.

Puluere poſt paſtum, interdum quoque concoctionem iuuabat.

Verùm cùm aliquando horum intermiſſione, aliquoties in publico cecidiſſet, omneſque eum iam verè epilepſiâ laborare crederent, vomitorium illi exhibui ex decoct. Azari in Vino, quod illi valdè profuit. Quam vomitionem poſtea ſumptâ ſtibij infuſione in Vino factâ, continuauit.

Vomitionem facilè ferebat, niſi quod ſpaſmum flatulẽtum in cruribus, ſumptis vomitorijs ſentiebat, non tamen aliquid grauius inde pati ſolitus.

Cùm aliquando recrudeſceret malum, hoc Vi-

num ita illi profuit, vt postea nũquam amplius, et si leuis vertigo sese adhuc offerret, caderet, vel de vertigine admodùm conquereretur, quod tale fuit: ℞. Senæ ℥.ij. Turbith. ℥. ß. Agarici ʒ.iij. Zingib. ʒ.j. Piperis ʒ.ß.ſ. Coriandri ʒ.j. Absynth. ʒ.ij. sum. Centaurij, Maioran. an. ℥.j. infundantur. in menſ.j. Vini, Bibat diebus aliquot.j.

Vixit diu postea incolumis & iam penè septuagenarius, casu camerati cauæ Vinariæ obrutus, vitam finijt. 6. Ianu. Anno 1596.

Vertigo multos annos durans in quodam, adeò vt erectus esse minimè posset.

ITalus quidam mercator ciuis, benè coloratus, & benè habitus, in virili ætate sensim cœpit vertigine laborare, quæ ætatis decursu adeò inualuit, vt nec ambulare nec in lecto se erigere, quin corrueret, posset: sic autem ociosus decumbens dies noctesque in lectulo, cibum nihilominus capiens, & bibens, sanorum instar, & dormiens mirè factus est obæsus, atq; eo modo multos annos, scabie interim quandoque infestatus, perdurauit, tandem verò Caro correptus, in somnum profundum incidit, quo diebus aliquot elapsis expirauit.

Causam indagaturi, caluariam serra circulatim diuisimus, subitoque antequam caluariæ scutella detraheretur, è sectione, vulneratâ illic crassâ cerebri meninge, aqueus humor copiosè per faciem in corporis, quod erectum nonnihil erat humeros, pectusque defluens, linteamina admodùm madefaciebat. Caluariæ dein pars separata, cùm tenaciter duræ matri connata esset, ægrè ab ea, & non citra illius dilacerationem auelli potuit. Intrinsecùs omnes

omnes cerebri anfractus, & ventriculi aquâ madebant. Vas venosum omnesque arteriæ induratæ callosæq; factæ, occaluerant, distinctisque globulis, toto ductu vndiq; in capite, ad ipsorum iuxta infundibulum insertionem vsque, protuberabant. Ex quibus, & aquam longo tempore in capite collectam, fluctuantemque, & Vertiginis & Cari subsequentis causam fuisse, vti & arteriarum illam obstructionem, vertiginis, sicuti in Praxi nostra annotaui, deprehendimus.

Vertigo ob ieiunium & vigilias.

PAter meus Thomas Platerus, Medico studio aliquandiu operam dans, vtq; praxim illius rectiùs addisceret, cum Doctore Medico insigni, Iohanne Epiphanio natione Veneto, Medico Episcopi Basiliensis, cum vxore aliquandiu vixit, & cùm non solùm interdiu studijs incumberet, sed & noctu aliquot horas insumeret, vertigine laborare cœpit, adeò vehementer, vt matutino tempore vix nisi alicui rei innixus, citra periculum casus, ambulare posset. Cui consilium super hoc casu petenti, Doctor respondit, habes pharmacopœum, vxorem tuam, quæ remedium tibi parare potest; iube eam ientaculi loco offam tibi indies manè prębere, nec ieiunus maneto, & horas somni decentes completo. Hisce factis vertigo desijt, nec postea ad præcipitem ætatem 83. annorum viuenti, cùm indies ientaret, & loco offæ, cùm in schola matutino tēpore maneret, panem & caseum comedere consueuisset, ampliùs ei molesta fuit. Idem pro vertigine auertentenda remedij genus, cùm D. Martino Borhao Theologo alijsq; pater meus indicasset, & ipsi sic liberati ab ea fuerunt.

Scotomia in Melancholia hypochondriaca.

VIde in Mentis Alienatione. Lib. 1. Melancholia cum varijs affectibus copulata, &c.

Visus hallucinatio post carum secuta.

VIde in Mentis alienatione. Lib. 1. Sopor grauis seu caros &c.

Visio deprauata in resolutione.

VIde in Motus impotentia Lib. 1. Resolutio sinistri lateris &c.

Visio deprauata, ob maculam nigram, quæ nubeculæ instar ante oculum sinistrum volitare videtur.

CVm ante quinquennium An. 1608. cùm quodam manè colloquerer, subitò offusa fuit mihi ante sinistrum oculum, macula quædam nigra rotunda lentis instar maioris ampla, ante oculum visa mihi volitare quam cùm depellere vellem, existimans aliquod filamẽrum de pileo nigro illic dependere, deprehendi nihil esse corporei, sed tãtùm vti nubeculæ solent, in oculo aliquid ante pupillam sese offerre, quod visionem sic deprauaret. Et cùm alioquin visionem non impediret, qui nihilominus sine perspicillo, iam annum superãs septuagesimum septimum, etiam minutas literas legere possum,

possum, hactenus neglexi, etsi hæc macula ante sinistrum oculum discurrens, tunc maximè cùm inter videndum oculum in sinistrum latus flecto, perseueret, nec minuatur cessétve. Cuius caus- mcum scrutor, existimo, à ciliaris processus filamento aliquo, à nexu cum sua membrana libero, & in aqueo humore natante, sicque ante pupill. m oberrante, visumq; obfuscante, hoc proficisci.

Suffusio in oculo dextro confirmata, in sinistro incipiens, visionem in vno auferens, in altero obfuscans.

QVidam iam longo tempore Alchymiæ operam dans, sensim cœpit in vno oculo defectum visionis, qualis in suffusione in oculo nata, ab initio, cum nubecula, mox cum maiore obscuritate se manifestare solet, sentire, & licet multis vsus esset remedijs, quæ omnia ad defluxiones auertendas dirigebantur, præsertim cùm & oculi nonnunquam ruberent, fortè quia frequenter illos perfricare solebat, & tandem consilio chirurgi setonem in collo gestaret, nihil tamen hæc effecerant, sed tandem incrassatâ pelliculâ, & albidâ in pupilla apparente, cæcus eo oculo factus est.

Verùm cùm & in altero oculo, idem defectus sese patefaceret, metuens ne & in eodem hoc accideret, penitusque cœcus fieret, consilio meo, cui prius parere noluit, quia vitium in oculo esse dixeram, ipseque à vaporibus hoc tantùm accidere sibi persuaderet, postmodum vsus est.

Cui si fieri posset, vt sucurrerem, remedia sequentia ad discutiendam, quæ iam in pupilla videbatur, obscuritatem, ab aqueo humore illic se affigente, & telam formante, procedentem, quod à

calore ignis, quem sæpe cùm fornacibus chymicis adesset, exiccante oculi globum profectum conijciebam, præscripsi.

Primumque ea, quorum vires euacuando, vt caput magis mundum esset, curatioque sic melius succederet, & quæ alterando visui accommodata essent, ac simul discuterent, operarentur.

Pilulæ eiusmodi per vices vsurpandæ, sic fuerat ordinatæ: ℞. fol. Senæ mund. ℥. ß. semin. Fœniculi ʒ. ij. aquarum Verbenæ, Chelidoniæ, Euphrasiæ ana q. s. pro infusione & decoctione eousque, donec in formam spissam extracti redigatur, cui adde Aloës lotæ aquâ Fœniculi ʒ. ij. Rhabar. op. ʒ. ij. ß. Turbith. ʒ. j. ſe. Rutæ, Fœniculi an. ʒ. ß. Cubebar. Maceris an. ℈. j. Mastiches ℈. ij. fiat massa pilul. Capiat â ℈. ij. ad ʒ. j. Possunt acui Diagrydij granis aliquot, si major debet fieri euacuatio.

Aqua hac efficaci, cuius vires si assumatur, ad cerebrum & neruos oculosque vsq; pertingunt, aliquoties vtatur, summo manê cochl. j. bibendo: ℞. herb. Fœniculi, Rutæ, Euphrasiæ, Verbenæ, Chelidoniæ, an. M. j. sum. Rosmar. Saluiæ, fl. Rosar. an. P. j. bac. Iuniperi, ʒ. vj. bac. Lauri ℥. ß. Garioph. Piperis an. ʒ. j. Cinam. ℥. ß. ligni Aloes ʒ. ß. sem. Fœniculi ʒ. ij. Sileris mont. ʒ. j. Rutæ sem. ʒ. ß. Infundantur in Vino generoso, & destillentur.

Secundò topica præscripsi oculo occluso adhibenda noctu cùm dormire vult: ℞. Fellis Carpionum, Mellis, Succi chelid an. ℥. ß. coquantur parùm donec inspissentur, dein adde Tuthiæ ʒ. j. Camphoræ ℈. ß. axungiæ Thymali piscis ℥. ß. fiat linimentum, pro palpebris extrinsecùs vngendis.

Cùm hisce aliquamdiu vsus esset, & profectum aliquem experiretur spemq; sanationis bonam concepisset, interueniente morbo alio decessit.

Visus imbecillitas, seu Amaurosis.

COmes quidam Lotharingus de visionis imbecillitate conquerebatur, quòd res exactè, siue propinquas siue distantes diiudicare non posset, obstare dicēs veluti fumum seu nubeculam quandam, quæ sibi visum obscurarent. Cùm omnia diligenter inquirerem, nihilque in pupilla obscuri appareret, & non semper in eodem statu permaneret hic visionis defectus, sed nunc maior nunc minor esset, à vaporibus potiùs quàm vitio in oculo hoc euenire iudicaui, atque ostendi, vapores non oculũ subire, vti credebat, sed cerebrum iuxta neruorum opticorum exortum, vti in praxi mea descripsi, impetere.

Vsus iam erat multis euacuationibus, & diuersionibus, atq; inter reliqua etiam setaceum in ceruice gestabat, quod quia vtrinq; labia foraminum, etsi indies traheretur, idque cum magno cruciatu, coalescebant, molestiam illi parebat, præsertim cum ea pulu. corrosiuo, ne penitùs occluderetur, chordâ non ampliùs sequente aspergere multoties oporteret.

Præscripsi illi pilulas sequentes: ℞. fol. Senæ, (quæ oculis appropriata esse creditur) ʒ.ij. Semin. Fœniculi ʒ.j. Turbith. ʒ ij. pilul. Sine quibus & Lucis ana ʒ. ij. cum syrupo de Fumaria, quæ & ipsa oxydorcica est, fiat massa. Capiat ʒ.j. singulis mensibus ter, sine custodia, cùm leuiores sint.

Cucurbitulas applicet menstruatim, duas in collo, duas in scapulis sine scarificatione, continuando per triduum.

Vinum medicatum paret euphrasiatum, visioni conuenientissimum, de quo nonnunquam haustum in mensæ principio vel manè bibat ieiunus, sic enim eius vis per vapores cũ Vino rectiùs ad ca-

put ascendit: ℞.fol.Euphrasiæ siccæ ℥.j.rad.Fœniculi ℥.ij.fol.Cariophyllatæ ʒ.vj.Betonicæ, Verbenæ, Maioranæ ana ℥.ß.fl.Rosmar.ʒ ij.sem.Fœniculi ℥.ß. gran. Iuniperi ℥.j.incidantur,atque in doliolo collocentur, inter scobes ligni Iuniperini affunde Vini albi generosi mensuras 10. vel 12. seruentur ad vsum. Vel Vindemiarum tempore, affunde mustum recens, & finito efferuescere. Poterit & Cinamomum ad gratiam addi.

Puluerem sequentem mensurâ vnius cochlearis, noctu cubitum iturus præcedenti leui cœnâ sumat, superbibendo parùm Vini vel proiectum in Vinum,sic cum eo bibat: ℞. sem.Coriandri ʒ.ij. sem.Fœniculi.Anisi ana ʒ.j.Carui. Sileris mont.an. ʒ ß.Sinapis ℈.j. fol. Euphrasiæ,Maioranæ ana ʒ.ß. Cinamom.ʒ.j.Maceris ʒ.ß. Garioph ℈.j. Sacchari tabul. cum aqua Rosarum ℥. iij. fiat puluis subtilissimus.

Sal in mensa ad manum habeat, quo oua recentia vel etiam alios cibos quandoque saliat: ℞. Salis puri ℥. ij. sem. Carui ʒ.j. fol. Euphrasiæ, Maioranæ ana ℈.j.Nucis mosc.ʒ.ß.fiat.puluis.

Comedat frequẽter iecora caprarum iuniorum, assa, confixa Gariophyllis & Cinamomo.

Aquâ sequenti oculos manè abluat: ℞. Chelidoniæ, Verbenæ, Euphrasiæ, Fœniculi herbæ,recent. ana bonam quantitatem, Ros. rubr. recent. Pugillos aliquot, si haberi possunt, sin minùs, affundatur Aquæ rosarum Cyathus vnus; Eliciatur aqua ad vsum.

Hæc & illi atque alteri cuidam, qui eadem cura vsus est, admodùm profuerunt.

Cœcitas à tumore globoso, in cerebro neruos opticos premente, proueniens.

GAllus quidam Iurium studiosus, annos natus 24. hîc versans, dolore capitis correptus est, mox sequuta febris, quâ cessante, cephalalgiæ reliquiæ aliquæ nihilominus remanserunt, cum vigilijs & capitis imbecillitate. Tandem in oculo sinistro visio obscurari cœpit, & post mensem, etiam in dextro oculo, sequutaq; est paulò post in vtroq; oculo omnimoda Amaurosis, seu Cœcitas nullo vitio in oculo apparente. Postmodum etiam cœcus ille conuulsionibus laborauit, quæ illum per vices totâ hyeme affligebant. Quibus initio veris cessantibus, superuenit tussis, febris hectica, exspuitio purulenta & tabes, quâ diu molestatus & consumptus, tandem exspirauit.

Corpore per Anatomen aperto, pulmonum vitium deprehendimus; verùm cùm causam cœcitatis apertâ caluariâ in cerebro perquireremus, inuenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum, partemq; illius anteriore sinistra præsertim in sede tumidiorem, à qua cum portio adimeretur, inuêtus est, tumor seu globus quidam glandulę seu strumę instar, inclusus in cerebri substâtia, ab ea tamen separatus, propriaq; mêbranâ durâ contêtus, per quam venæ aliquæ capitulares dispersæ erant, oui gallinacei magnitudinem superans, inæqualis & formam pineæ nucis exprimens, cuius interior substantia albida & æqualis, oui albumen coctione induratum referebat, sed durior illo erat. Hic cono obtusiore nonnihil sursum prominebat, basi verò latiore ventriculo cerebri, anteriore sede innitebatur, & pondere suo, quod erat drachmarum quatuordecim, neruorum opticorum exortui in cerebro incumbebat, eosque comprimebat, quam

causam fuisse cœcitatis, quòd cùm spiritus animalis transitus ad oculos fuerit impeditus, conclusimus, cùm alioquin in neruis opticis nulla obstructio, aut aliud vitium, vti nec in oculo, apparuerit.

Non admodùm absimilem globum glandulosum, cùm etiā in cerebri substantia, in nobili quodam equite, Obstupescentia graui & diuturna laborante, (vt eo loco exposuimus) inuenerimus, satis conijcere licet, graues & diuturnos cerebri vitio accidentes & incurabiles morbos, ab eiusmodi occultis in cerebro latētibus tumoribus, aut vitijs frequenter accidere, & cùm rarissimè hæc sectione indagentur, Medicos, qui causam cerebri intemperiei, aut humoribus attribuunt, atque hisce remedia accommodando oleum & operam perdunt, latere.

Cœcitas post conuulsiones, aliquandiu perseuerans.

EX colico dolore, quædam conuulsionibus correpta, visum omnem amisit, adeò vt admotum lumen oculis apertis intueretur, vel scintillā splendoris se videre negans.

Post triduum iterum visum recuperauit. Exactis aliquot annis, denuò colicis passionibus obruta, & conuulsionibus, cœca facta, sed iterum visum recepit, redeuntibusque postea ferè quotannis hisce affectibus, tandem extincta est.

Cœcitas post conuulsiones, incurabilis.

ALiam nobilem post colicos dolores & cōuulsiones similiter excœcatam vidi, causam epithematibus frigidis, quæ fronti suæ frequenter apposita fuisse dicebat, imputans. Hæc nullo modo amplius ab hoc affectu sanari potuit, sed ad finem vitæ cœca permansit.

Cœcus ab infantia, ex consuetudine nihilominus multa artificiosè fabricans.

COecus quidam à septimo ætatis anno, à teneris in parandis organis ita se exercuit, vt organa, fistulis ligneis & stanneis maximi precij, proprijs manibus elaboraret. Quale organum Dux Wirtenbergicus Fridericus, à cœco isto paratum, mihi ostendit, illudque artificem illum pulsantem audiui, cuius & oculos inspiciendo, nullam maculam in illis deprehendere potui, omnes tamen qui à multis annis illi conuixerant, cœcum esse, eademq; præstare posse, firmo hoc argumento probabant: quòd & in tenebris hæc elaborare posset, soloque contactu, aiebant illum lignorum quoque diuersa genera cognoscere.

Pupillæ dilatatio visum obfuscans.

EX ictu pilæ paruę in oculum cuiusdam inter ludendum magna vi delatæ, ita fuit pupilla eius, iam diu dilatata, vt totus circulus, iridis ferè niger appareret, dicebat se paulò minus in illo oculo quàm altero posse cernere. Et quod mirum erat, aliquando rursum pupilla ad decẽtem & eam qualis in sano oculo erat, angustiam redibat. Ex quo conijcere potui, vueæ processum hunc, qui pupillæ foramen in se habet, retrorsum conuerti nec disruptum esse, ob eamq; causam remeare posse.

Iussi imponere aquam peculi ros. in qua cort. Granatorum ebullierint, an hac ratione denuò firmari posset, ne ampliùs se inuerteret.

Pupilla obscura, visum obfuscans, in Oculi inflam.

VIde in Oculorum dolore Lib.II. Oculi inflam.

Pupilla obscura cum lachrymis.

VIde ibid. Oculi tumor, rudebo lachrymæ. &c.

Macula in pupillæ oculi regione cum rubore in ambitu. Visum obfuscans.

PVella annorum circiter 18. mens. Febr. 1609. imbecillitatē visionis in oculo sentiebat, adeò vt res eo oculo non rectè dijudicare posset: & cùm macula quædam in pupilla appareret, rubedoque in ambitu & veluti initium panniculi, Chirurgi operâ vsa, multa citra successum oculo indita fuerunt, licet aliquoties purgaretur, tandem ad me ventum mense Martio. Ego præmissa denuò purgatione exhibēdo pilulas Sine quibus, oculo hoc cataplasma iussi applicare sic paratum: ℞. pulpæ Pomorum Grünacher incisorum & repurgatorum ℔ ß. coquatur in aqua Ros. & Fœniculi donec in pultē redigatur, contundatur, adde mucilag. sem. Fœnogr. ℥ ij. Album ouor. nu. ij. cort. Granat. subt. pulu. ℥ j. lap. Hæmatitis exactè triti ʒ. j. Cremoris lactis parùm. fiat Cataplasma; Applicetur tempore somni & manè, reiterando indies.

Vsa fuit insuper Cucurbitulis, quas colli regioni & scapulis vtrinq; tribus diebus continuò in mense semel adhibuit, citra scarrificationem.

Hisce restituta fuit adeò, vt nihil ampliùs in oculo vitij appareret, visusque nullum in eo oculo impedimentum sentiret. Sed nouum superuenit accidens, nam redeunte interdum defluxione glandulæ

dulæ circa mentum illi intumescere cœperunt, & tumor tandem illic enasci, cuius historiam in Tumore menti infra proponemus.

Albugo in oculi pupillæ sede, post ophthalmiam nata, visui incommodans.

PVellæ cuiusdam sinister oculus admodùm rubebat, pruriebatque, lachrymæque continuò ex illo fluebant. Et quia iam diu hic affectus durauerat, albugo in oculo nata, mediam ferè iridis partem obtexit, ita vt de visus amissione esset periculum.

Iussi cucurbitulas ceruicis regioni aliquoties applicare.

Et cataplasma sequens oculo clauso imponere, continuoque gestare, & bis in die renouare: quod sic parabatur: ℞. pulpæ Pomorum odoratorum acidulorum, Grünacher dictorum quartar. j. ß. incidatur minutim, & in aqua Ros. & Fœniculi coquatur, donec in pultem redigatur: cui contusæ permisce mucilag. seminis Fænogr. ℥.ij. albũ. Ouorum nu.iij. lap. Hæmatitis ʒ.ß. cort. Granat. ʒ.j. olei Rosacei parùm, misce.

Huius remedij per dies quinque vsu, oculus ad colorem statumque naturalem rediјt, albugoque & macula penitùs sublata sunt. Anno 1560. hoc factum fuit.

Cicatrix in oculi pupillæ regione visionem impediens, casu deleta.

PVellæ cùm ex cicatrice in corneæ media sede nata, visus impediretur, chirurgus sacch. candi puluerem oculo inspergere volens, ad eam extergendam, errore quodam pixidem eam arripuit, in qua sublimati puluis continebatur, quem cum im-

prudens oculo inspergeret, tanta suborta est inflammatio, vt periculum esset de oculo. Eâ tamen sanatâ, tantùm absuit, vt quid obfuerit, vt potiùs multũ profuerit: nam cicatrice penè vniuersâ detersâ, remanente leui duntaxat maculâ, visum recuperauit. Quod indicio est globum oculi fortia quoque perferre posse medicamenta, cùm sit durissima & insensibilis.

Panniculus in oculo, & Nares coalitæ.

VIde in Deformatione. Lib. III. Nares in morbillis.

Crystallini humoris ex oculo effluxus cœcitatis causa.

VItriarius quidã cùm peste laboraret, An. 1564. inter alia symptomata, capitis dolore vehementi atq; ophthalmiâ afficiebatur, quæ adeò inualuit, vt in tumorem oculo eleuato, suppuratóque, crystallinus humor, vnâ cum alijs humoribus, subitô ex oculo erumperet & in barbam illius flueret. Quod cùm in vno oculo, decimo ferè, post primam pestis inuasionem die factum esset, decimo quarto postea, dum in agone mortis esset, ex altero quoque eodem modo humores effluxerunt. Mirum sanè, tam breui temporis spacio, duram oculi tunicam & crassam exedi potuisse.

IN AVDITVS LAESIONE Obseruationes.

Surditas in vna aure, in altera grauis auditio.



N vna aure surda erat penitùs mulier quædam iuuenis adhuc, alterâ verò difficulter audiebat, metuens ne & illic penitùs auditus deficeret.

Proprio

Proprio suo ipsius consilio venam sæpius aperuerat, sed peius inde semper habuit.

Consideratis considerandis, Pilulas sumpsit bis terve Sine quibus cum aqua Fœniculi formatas.

Cucurbitulas citra scarificationem post aures, in scapulis & humero vtrinque, tribus diebus continuis singulis mensibus admouit: Vnde magnum sensit commodum.

Lotionibus pedum & frictionibus eorundem vsa est ex Lixiuio, in quo herbæ Capitales decoctę: Quo & caput die præcedenti pilulis primùm vsa, duarum septimanarum spacio semel abluit, adhibitâ frictione cum pectine.

Cucupham noctu capiti imposuit, ex puluere radic. Ireos Coriandri, Maioranæ, &c.

Masticatorio vsa, ex radice Pyrethri, Angelicæ, Zedoariæ, semin. Staphisagri, pulu. cum Cera subactis, multùm expuit, magnaque ab auribus facta est reuulsio.

Auribus noctu aquam hanc indidit, quæ; ℞. aquæ Fœniculi, aquæ semin. Carui remanentis post extract. olei an. ℥.j. spiritus Iuniperi ʒ. ß. Instillauit addendo semper guttam j. fellis Carpionum, postea siuit iterum effluere.

Suffitum manè auribus suscepit per infundibulum ex decocto Origani, Rutæ, Maioranæ, Spicæ celtic. baccar. Lauri, Iuniperi, sem. Fœniculi, Carui, Cimini decoctis in Vino.

Egregiè profuerunt hæc quibus An. 1601, Martio mense vsa fuit adeò vt non ampliùs de defectu hoc conqueretur.

Auditio amissa post resolutionem.

VIde in Motus impotentia Lib. 1. Resolutio ab ictu.

Surda & Muta puella ab infantia.

NObilisſimi atque illuſtriſsimi Domini cuiuſdam filia, annos ſeptẽ nata, nec audire nec loqui, vocem tamen edere potuit. Ingenua alioquin & induſtria, & quæ verba exprimere, & vocem articulatam proferre conata eſt.

E quibus primùm manifeſtum eſt, in neruis extra organa horum ſenſuum adhuc conſiſtentibus, coniugationibus nimirum cerebri, tertia ad linguam, & quarta ad auditum definentibus, cauſam totius mali conſiſtere, præſertim verò in illo ramo nerui, qui communis eſt hiſce coniugationibus, ab auditorio neruo ad linguæ neruos propagato. Cùm lingua, quæ ad motum, ſenſum guſtus & tactus, pluribus neruis opus habuit, ſi in vno illius ramo tantùm vitium hæreat, motum ſufficienter qui in ſyllabis efferendis requiritur, efficere non poſsit, quàuis lingua moueatur & ſenſum nõ amittat. Ob hanc cauſam fit, vt propter communem hunc ramum nerui, auditui & loquelæ, ſi hic lædatur, & muti & ſurdi fiant, ſicuti pleroſque ſurdos natos, etiam mutos eſſe videmus.

Cæterum an hoc ab ortu, huic quoque virgini acciderit, dubium eſt. Licet exiſtimarint, illam primo anno ad ſonos ita ſe comparaſſe, atque ſi illos audiret. Dein etiam capitis dolor, quem paſſa eſt, videtur huic malo cauſam præbuiſſe. De loquela nihil certi conſtat, cùm infantes alioquin ob imbecillitatem loqui nondum poſsint, veriſimile tamen, tunc & loquelam periiſſe, quando & auditus, cùm nerui causâ hoc factum eſſe non ſit dubium, interiit.

Vtut ſit, caſus ſatis fuit grauis, qui ſi ab ortu extitit, cum vitia originalia vix emendentur: difficulter in eiusmodi aliquid præſtari poteſt. Si verò poſtmo-

postmodum accidit, ex defluxione eô delapsa, humoris alicuius, hoc persistente, cùm adhuc ætas sit tenera, meatus aperti & laxi, & crescendo multa corrigantur, sicuti mutatione ætatis, grauissimi casus sæpe mutantur, non est desperandum, sed aliquid tentandum.

Imprimis autem varias diuersiones à capite tentare, An. 1595. suasi, vt fortè diu hæc continuando, causa à neruis occupatis recedat, frustra enim aliàs & linguæ & auribus remedia adhibebuntur, in quibus causa mali minimè latet.

Præcipuè cauterium in nucha seu ceruicis postica regione, mox sub capillis probaui, quod sine omni dolore parare solitus sum.

Cucurbitularum frequens applicatio, sine scarificatione plurimùm proderit, unam sub auribus, mox in collo, alteram in humero, tertiam in scapula, nunc in vno latere per dies duos vel tres vsurpando, postea per alios tres dies in alio latere, semel in mensis spacio, etiam ante cauterij vsum, & tunc quando cauterium iam inustum est adhibendo.

Setacea loco cauterij applicari possent, nisi maius esset impedimentum.

Si Masticaret aliquando sequentes formulas ieiuna atque egregiè expueret, plurimùm prodesset, quę sic parantur. ℞. rad. Pyrethri ℥. j. ß. seminis Staphis agriæ ʒ. j. Cubebarum, sem. Nigellæ an. ʒ. ß. fiat puluis excipiatur Cera fiant formulæ pro Masticatorio.

In Nares si aliquando succum hunc traheret, valde conueniret, nihil enim æquè ab auribus deriuat, atque fluxus narium: ℞. succi Anagallidis. rad. Betæ an. ℥. ß. misce trahat naribus vel penna intincta in eo, naribus indatur.

Veris tempore non esset inutile, si per dies quatuordecim aut ampliùs, manè lac caprinum biberet, in quo parùm Senæ decoctum esset, vt singulis diebus duas sedes haberet, quod ex quantitate senæ auctâ vel imminutâ facilè commode iustitui poterit.

Experientiâ comperi, si fistulam illa dentibus mordeat dum fistula inflatur, & audiat sonum, vel manubrium aut collum testudinis dum pulsatur, bonum esse signum, sin minùs malum.

Surdus & mutus ab ortu, qui scribere potuit, & ex motu labiorum aliquid intelligere.

SVrdus quidam & mutus ab ortu, nihilominus creta in tabella, quam secum continuò gestabat, animi sensum depingebat, & ab alijs scripta in ea notabat. Narrabat pater meus, illum cùm Oecolampadium concionantem magno cum zelo audiret, ex motu labiorum & gestibus ipsius, multa potuisse intelligere, vti etiam ex alijs.

Surdus, qui etiam verba ex solo ductu digitorum literas exprimente, percipiebat.

SVrdus quidam, qui vt eum curarem huc venerat, diù hîc moratus, cùm aliquid illi indicandum esset, deficiente pennâ, vel cretâ, quibus hæc illi annotari possent, nam cùm doctus esset, optimè quæ scribebantur legebat, etiam in horum defectu, si quis digitum saltem ducendo in mensa, literarum figuram expresisset, mox quid esset, intelligebat.

Surdus, Mutus, & Cœcus simul, cui eadem opera literæ & verba ex primi potuerunt.

ABbas quidam in thermis erat Plumbariis, ex lue Venerea vti aiebant, cœcus mutus & surdus factus, qui mentem aliorum non aliter, quàm hoc pacto intelligere & percipere potuit, quam illi supra brachium nudũ, literas digito vel ligno sententiam aliquam exprimentes, ducendo, ex quibus singulis sensu perceptis verbum, atque ex pluribus verbis sententiam colligebat: Quod quàm fuerit miserum, pœnaque horrenda peccati commissi, quilibet intelligere potest.

Auditus difficilis, Barycoia dicta.

ADmodùm difficulter audiebat mulier quædam, idque iam aliquot annos. Et quia sæpe purgata fuerat, topicaque tantùm expetebat, sequentia præscripsi An. 1597.

Suffitum primùm hoc pacto: ℞. rad. Ireos. Imperatoriæ an. ℥. ß. herb. Saluiæ, Rosmarini, Maioranæ, Thymi, Lauri fol. an. M. ß. seminis Carui ℥. ß. baccarum Lauri ʒ. vj. coquátur in Vino; Suffitum auribus excipiat indies.

Dein: ℞. aquæ exstillatæ ex Fellibus, Melle, Laricea, semine Fœniculi & Sulphure viuo, addita Euphrasia: inmittat guttas tres in aurem tepidas, sinatque mox iterum vbi auris intrinsecus bene commaduerit, effluere, repetatque sæpe.

Post aliquot menses ad me scripserunt, illam auditum pristinum denuò horum vsu recuperasse.

Auditus difficultas in febre continua.

VIde in Febribus Lib. 11. Febris continua, &c.

Tinnitus aurium, auditionem deprauans.

QVantum ex relatis cognoſcere potui, cerebro admodum humido, in quo multa excrementa pituitoſa generantur, & ſeroſa, conſtat clariſsimus Dominus Doctor, idque à teneris, licet calidius habeat hepar, vnde & defluxiones citiùs mouentur venterque conſtipatur. Augentur autem hæc cerebri excrementa, immoderatione, & præſertim vini nimio vſu, ob quam cauſam & peius habet, quando ei indulget. Inprimis ſonus ille qui auditui obſtrepit, à vaporibus ab excrementis cerebri elevatis, & in auditus organum irrepentibus naſcitur, tamque diu, donec illa rurſum diſcutiantur, moleſtiam parit.

Hiſce omnibus obuiam ire licebit, ſi moderatâ vtatur victus ratione: parcè cœnet: vitet ciborum in vno prandio aut cœna varietatem: Caueat à cibis nimiùm ſalſis, aut aromatiſatis, qui hepar accendunt & conſtipationem alui faciunt, ſitimque irritando, vt liberalius bibatur, efficiunt.

Purgetur corpus ſemel in menſe, Pilulis ſequentibus, ſumendo eas tribus horis ante prandium: ℞. pil. Sine quibus, Coccia. an. ℈. j. ol. Maceris gut. ij. cum aqua Origani fiant pilulæ 9.

Maſticet poſt vſum pilularum formulas manè, expuendo, idque diebus 5. vel 6. poſtea ceſſet donec denuò pilulis fuerit vſus: ℞. Maſtiches ʒ. iij. ſem. Staphiſag. rad. Pyrethri an. ʒ. ij. rad. Angelicæ ʒ. ß. Cubeb. Nucis moſc. an. ʒ. j. Euphorbij ℈. ß. puluerizentur excipiantur, Cerâ. fiant formulę.

Poſt

Post masticationem factam, abluat os vino, in quo Saluia maduerit & Maiorana.

Applicet quoq; cucurbitulas quatuor, sine scarificatione, post vsum pilularum colli posteriori regioni, duas in latere dextro, duas in sinistro, è quibus inferior sit versus scapulam, idque sequenti quoque die. Si post vsum illarum semel aut bis in anno, scarificationem quoque adhiberet, valde conueniens esset.

Post cibum comedat frequenter in fine mensæ semen Anisi, Fœniculi, Carui, Coriandri, sacharo cooperta, cùm carne cydoniorum condita.

Pani quoque semen Carui indat, vel Fœniculi, eoque sæpe vtatur.

Sali quoque addat semen Carui, Maioranam siccam & parùm nucis Moscatæ, quo res saliat.

Pruna dulcia, si aluus constipata sit, sæpe comedat & Spinachiæ Violariam recentem coctam addat, & cum butyro comedat.

Hisce obseruatis quod sonum in auribus attinet, & capitis imbecillitatem, hæc erunt singularia præsidia.

Puluerem in pileolo nocturno insuendum curet, addito Gossipio & noctu gestet, non continuò sed aliquando, & si deficiat & fiat inutilis, nouum parari curet, ex sequentibus: ℞. rad. Ireos ℥. ß. Cyperi, Angelicæ an. ʒ. j. seminum Coriandri ʒ. ij. Nigellæ. fol. Maioranæ. fol. Lauandulę, Rosarũ, Granor. tinctorum an. ʒ. ß. Storacis Calamitæ ʒ. j. Masstiches ℥. j. ß. Gariophyl. Nucis mosc. an. ʒ. j. misce fiat puluis.

Tabulas sequentes bis in septimana manè ieiunus comedat, quæ cerebro & organis sensuum robur adferunt, quæ hoc modo parari debent: ℞. nuces Mosc. nu. ij. rad. Pyrethri ℥. j. fol. Saluiæ, Maioranæ. fol. Lauandulæ Anthos. f. Nigellæ an. ℥. ß. Ci-

nam.℥.ij.Gariophyl.ʒ.ß. Diamosci dul.ʒ.ß.sacchari dis.in aqua Origani fiant Tabulæ.

Liquorem quoque sumat, illiusque portionem aliquam calefaciat, & in eo bombycem compressam madefaciat, & parùm exprimat, aurique imprimat, sic enim dum siccatur, vapores emittendo, flatus interiores aurium dissipat, cuius descriptio hęc est: ℞. rad. Raphani. Porri Cœparũ an.℥.j. rad. Cyclaminis ℥.ß. Hellebori albi ʒ.j. herb. Origani Rutæ Maioranæ an.ʒ.ij. fl. Lauandulæ, Anthos seminum Fœniculi Cimini an.ʒ.j. baccarum Lauri n. 15. contundantur omnia, addendo Fellis vaccini ℥.ß. Vini fortis. q.s. misce, eliciatur aqua, cui adde ol. Gariophyl. Spicæ, de baccis Iuniperi, an. gut. iij. misce.

Sudores valde quoque proderunt, si ieiunus in balneo sicco, aliquando illos eliciat, sumptâ prius Theriacâ ad ʒ. j. quantitatem, & postea quoque in lecto sudet, nec mox aëri frigido post corpus exponat.

Hæc profutura si rectè obseruentur, non dubito, quòd vt Deus opt. max. secundet, opto. Consului hæc An. 1597.

Tinnitus in auribus, auditionem deprauans ex casu.

EX casu mulier ætate prouectâ, An. 1592. in latus sinistrum, temporibus contra terram illisis, tinnitu aurium adeò perseuerante laborabat, vt illo sono exteriorem impediente, nihil ferè audiret: etsi autem multa prius adhibuisset, & de cura desperaret, tamen extrema tentare volens, meo consilio vsa est.

Affluxisse ad aures sanguinem suspicatus, phlebotomiam primum facere iussi.

Dein cucurbitulas in vtroque latere tres, superiorem

riorem sub auribus, mediam in summo humero, infimam in scapula, cum flamma, adhibui, sequentique die repetere, idemque tertio die sed cum scarificatione, iussi.

Postea purgaui illam: ℞. pilul. Fœtid. Aurearum an. ℈.j. cum aqua Cerefolij fiant pilulæ.

Vtatur dein confectione sicca post pastum, ad Vapores, ne caput petant, impediendos: ℞. s. Coriandri, Fœniculi, Anisi, Carui, saccharo semiobductorum, an. ℥. ß. pul. Diacyton. sine speciebus ʒ.j. s. Cimini ℥.ß. gr. Iuniperi incis. ℥. ij. Sacchari parum misce.

In aures sequens instillet: ℞. Aquæ vitæ coch.j. succi Cæparum, coch.ß. olei Spicæ per destill. guttas quatuor misce, valde hoc profuit.

Cucupham hanc gestet: ℞. rad. Ireos, s. Coriandri an. ℥.ß. fol. Maioranæ, fl. Ros. rub. & Lauandulæ s. Carui, Nigellæ, Nucis mosc. an. ʒ.ß. fiat puluis, insuatur in pileolo nocturno.

In balneo sicco interdum ieiuna sudet, & in eo caput Lixiuio abluat, parato ex colatura frequenti cinerum Quercus, addendo parum Calcis, in quo decocta sint, Spica Celtica, & Lauandula.

Pedes eodem lixiuio frequenter lauare sub noctem iussi.

Hisce tinnitus omnis cessauit, nec amplius de eo conquesta est. Anno vero sexto postea, obstupescētia eam corripuit, quæ in apoplexiam versa, illam An. 1598. è vita sustulit.

Tinnitus in auribus, auditionem impediens, in alia.

MAtrona iam senex eundem tinnitum passa, An. 1594. cucurbitularum applicatione supradicto modo, & scarificatione, postmodum fa-

ctâ, vſuque balnei, & pedum lotionum, integrè fuit reſtituta.

Poſt biennium denuò hoc affectu prehenſa, auditum ferè penitus amiſerat, curâ vti prior inſtitutâ, per cucurbitulam, ſcarificationem & balneum, in quod ingreſſa, pannum linteum calidiſsimæ aquæ immerſum, denuoque expreſſum auribus intruſit, toties donec aures intrinſecùs egregiè incaleſcerent, ſicque affectus hic planè ſublatus fuit.

Auditus grauis cum ſtrepitu in auribus, Vocis interceptio & Alui conſtipatio.

Religioſus quidam ab An. 1607. à ſex annis auditus difficultate laborabat, adeò vt non niſi alta voce loquentes ad aurem, audiret. Dein & de impedimento vocis edendæ cõquerebatur, quando in templo cantabat, quæ illi ſubitò ſupprimebatur, donec lentam pituitam excreans, rurſum eam edere poterat. Accedebat hiſce alui conſtipatio frequens.

Pro auditus difficultate, iuſsi eum aquam ex fellibus auribus indere, eaque interiora madefacere, nec diutiùs retinere, ſed poſtquam effluxit, aures bombyce muſcatâ obturare noctu.

Item ſuffitum excipere ex decocto baccarum Lauri, ſem. Carui. rad. Gariophyl. Iridis. herbarum Rutæ, Saluiæ, Betonicæ, Spondilij. Myrrhidis. an. cum Vino.

Pro phlegmate vocem intercipiente, & fortè defluxione neruos recurrentes occupante, iuſsi ſumere ſemicochleare ſpiritus Aniſi, cum ſpiritu Iuniperi, tunc cùm vox interciperetur.

Præſcripſi pilulas, cucurbitulas, veſicatorium ad ceruicis poſteriora: Iam priùs cauterium in brachio gerebat.

Vt

Vt aluus liberiùs responderet, iussi infundere Sennam, Passulas in doliolo Vini, & de eo in mensa interdum bibere.

Aliquando syrupum Ros. Lax. cum aqua Fontis frigida dilutum, Iulepi instar bibere.

Et Prunis & Passulis laxatiuis per vices vti.

Auditio grauis & penè Surditas in vtraque aure cum sono strepente. Excoriatio faucium & Vuulæ amissio.

OB mutationem temporis, ante hyemem, An. 1596. mensis Nouembris, 21. die, mercator quidam ex defluxione subitanea, noctu facta, auditum in vtraque aure penitùs ferè amiserat, sentiens in auribus sonitum strepentem, cum capitis grauedine & dolore; Palatum excoriatum habebat, ex quibus acrem defluxionem esse iudicauimus; Ante aliquot annos simili modo se affectum dicebat.

Mox ea die manè sumpsit pilular. Aggregat. Sine quibus & Cocciar. an. ℈.j. & sufficienter deiecit.

23. Cucurbitulas sex, cum flamma, sine scarificatione, in vtroque latere ternas, in collo, humero, scapulis apposuit, matutino tempore. Noctu cubitum iturus, pedes abluit decocto Saluiæ, Chamomill. calidè, addendo parùm Lixiuij & Vini.

24. Repetiit cucurbitulas manè, ante cœnam pastam ex pane cũ puluere sem. Carui & fol. Origani siccis subactam, & parùm in clibano coctam, confractam calidam auri vtrique adhibuit. Noctu iterum pedes abluit.

25. Cucurbitulis cum scarificatione vsus est.

26. Iterũ pilulas sumpsit, Cochiarum & Aureanum an. ʒ. ß. Et quia de excoriatione palati cõquerebatur, iussi decocto fl. Maluæ autumnalis, ad-

dito pauco Aceto Rof. & Diamoron & Melle rof. fauces abluere, frequenter. Paftâ ad aures iterum fub vefperam vfus eft.

27. Ad præparationem materiæ dedimus: ℞ fy. rupi de Hyfopo, Betonica, Stœch. an. ℥. ß. aquę Betonicæ, Cichoreæ an. q. f. fiat Iulep. Bibat manè.

Errhinum naribus ante prandium indidit, Maioranam contufam, tinctam prius in fucco Betæ, intrufit & valde promouit pituitam mucofam, & incepit verba quæ dicebantur, percipere.

28. Repetiit Iulepum & errhinum, quod iterum multùm eduxit. Iufsi vt decoqueret Origanum cum baccis Lauri & femine Carui cum Vino & Aqua, & fuffitum in aures per infundibulum intromitteret.

Reliquis diebus in errhini vfu & fuffitus perrexit.

30. Nou. Vfus eft hoc Vino per triduum: ℞. Maior. Betonicæ, Saluiæ an ʒ. ij. fl. Lauandulæ ʒ. j. Abfynth. ℥. ß. Senæ ℥. j. ß. Agar. troch. ℥. ß. rad. Cich. ℥. ß. fem. Anifi ʒ. ij. Zingib. ʒ. j. Cort. citri ficci ʒ. ij. infundantur in Vino; Egregiè deiecit, prima vice cum torminibus, poftea non amplius: Pergens nihilominus in vfu errhini, fuffitus & gargarifmatis.

2. Decemb. Quia auditus ea die denuò nonnihil ftrepitu in aure impediebatur, iufsi fuccũ Porri cum æqua portione Aquæ vitæ cum cottone intincto in eo, in aures intrudere: Et quia tufsis moleftabat. Tab. Diatragach. noctu in ore retinere.

3. Decemb. Abfoluta purgatione manè fumpfit conf. Maior. Anthos, Rofar. an. ʒ. ß. fiat Bolus, Sumat.

4. Decemb. Manè fuccum Maioranæ, & Betæ naribus attraxit, ita vt in fauces illaberetur, ab eoq; fenfit ab auribus ad nares pituitam deriuari, quam emungens, cœpit auditum recuperare. Perrexit tum

tum in vsu suffitus & succi porri in aures, & errhini, ex succo Betæ tantùm.

8. Decemb. Quia ob intermissum vsum eorum quæ auribus adhibuisse debuisset, denuò difficulter audiebat. Iussi Balneum intrare, sudare, & in balneo suffitu vti, & succo Porri, ea nocte, & scarificare dum in balneo esset.

Ab eo, vno die peiùs, alio meliùs audiebat. Dedi illi aquam ex Fellibus meam, vt in aures guttas aliquot tepidas instillaret, & vbi parùm continuasset, sineret iterum effluere; Iussi item repetere balneũ post ostiduum cum scarificatione. Et quia nares obturatæ erant, & nihil olfaciebat, iussi continuare Maioranæ contusæ cum succo Betæ in nares vsum.

22. Decemb. Cùm illum accederem, iam meliùs audiebat, & aliquid olfaciebat, prædixi vbi primũ olfactus exactè redierit, auditionem quoque perfectam iterum fore. Iussi post biduum denuò in balneo sudare, manè, caputque diligenter Lixiuio forti, in quo Saluia, Origanum, Chamomilla, Tartarum coxerint lauare & siccare.

Et quia fauces excoriatæ, nondum omnino sanatæ erant, & de illis potissimùm conquereretur, ordinaui gargarismum: ℞. rad. Pentaphylli. Bistortæ an. ℥. j. fol. Ligustri. M. j. fl. Rosar. rub. P. j. fl. Balaust. ℥. ß. sem. Cydon ʒ. ij. fiat decoctio in equis Aquæ & Vini portionibus, & in mens. j. dissolue Mellis ℥. ij. Abluat sæpe os.

Cum post aliquot dies illum inuiserem & fauces inspicerem, vidi adhuc in ambitu exulceratos, ab sumptâ penitus columellâ. Ord. seq. Gargarismum: ℞. rad. Pentaph. Bistortæ an. ℥. j. fol. Ligustri, Plantag. Agrimon. an. M. j. Hordei, Lentium, Rosr. rub. an. P. j. fl. Balaust. Cort. gran. an. ℥. ß. coquantur in aqua ext. ferri dis. in Mens. j. mel. Ros. ℥. iij. Oxymel.

ſquill. ℥.j. Aceti ſquill. ʒ.ij. fiat Gargariſmus.

Atque ita exulceratio hæc quoque ſanata fuit, amiſsâ tamen vuulâ, neque ob id raucus erat, aut aliud impedimentum in voce obſeruari potuit.

Menſe Martio ſequenti, qui ob frigus & pluuias aſper erat, delabente rurſum à capite humore, denuò ſurdus eſt factus. Verùm Scarificatione vſus atque Errhino, rurſum auditũ recuperauit. Quod niſi factum fuiſſet, cauterium illi inuſsiſſem.

Poſt annos aliquot, nouum & horrendum accidens in nare illius & ore ſuperuenit, quod cũ cancroſum eſſe iudicarem in Oris dolore Lib. 11. deſcripſi. Vide Cancer in nare & palato.

Auditio difficilis cum tinnitu, & vlcere aurium.

VIde in Aurium dolore Lib. 11. Aurium vlcus cum tinnitu, &c.

Strepitus in aure & temporibus in Hemicrania.

VIde in capitis dolore. Lib. 11. Hemicrania ſiniſtri lateris, &c.

IN MOTVS IMPOTENTIA Obſeruationes.

Paralyſis ſeu reſolutio corporis inferioris mediæ ſedis, à globo ſclopeti, ſpinalem medullam contundente, ſubſequente Conuulſione.

PVella nubilis, è pago vicino comitibus quibuſdam, inter quos & ſoror erat, An. 1611. Aug. menſe

menſe Baſileam reuertens, & à tergo cuidam in equo aſſidens, exploſo ſclopeto à quodam, ſtatim reſoluta inferiore corporis à media lumborum ſede penitùs facta eſt, adeò vt nec pedes, nec illorum digitos vllo pacto mouere poſſet, nec ſenſum vllum perciperet: ſicque domum deuecta eſt.

Chirurgus vulnus in dorſi media ferè ſede deprehēdit, cui curam adhibuit, quod à caſu ab equo factum putabant. Verùm cùm in ſuperioribus partibus nullum alium ſentiret defectum, atque inferiores omninò reſolutæ & ſtupidæ manerēt, hiſce curandis & chirurgus & mulierculæ conſilia varia dantes, inter cætera, ſtuphas pedibus adhibuerunt, à quibus vapor adeò feruens ſuſcitabatur, vt, cùm ob ſtuporem ardorem non ſentiret, pedes ab imo ad coxam vſq;, ac ſi aquâ feruidiſſimâ combuſta eſſet cutis, aduſti nigricantesq; apparerent, admodumque tumerent.

Vocatus ad eam, cùm de principio & cauſa huius caſus rogarem, narrauit mihi, ſe cum bombum bombardæ, quam comes itineris equitans diſploſerat, audiuiſſet, eodem momento, ac ſi tergum ſuum tactum eſſet, dolorem ſenſiſſe, ſubitoq; animo defeciſſe, nec an ceciderit, an à comitibus retenta fuerit, & ab equo releuata, ſe ſcire, donec recepto animo ſe vulneratam & reſolutam ſenſerit. Cùm vulnus inſpicerem, erat illud in latere dextro dorſi, iuxta octauam, vel nonam illius vertebram, & ad ſpinam vertebrarum illius, obliquè intrinſecùs declinabat. Erat autem vulnus, exactè in cute rotundum, in ſinum profundum deſinens, & cùm in ambitu contuſionis nullum ſignum appareret, ex ictu glandis accidiſſe ſuſpicans, iuſſi veſtes adferri, quæ ſimiliter rotundo foramine, vti & induſium perforata, meam ſententiam, globulo ſclopeti, hoc vulnus factum, & ſpinalem medullam læſam fuiſſe,

confirmabant, vti & chirurgi alij, postea vocati, idem iudicabant, & præsertim cum stylo immisso, vertebræ portionem abruptam deprehenderent. Quia verò iam exactis à læsione decem diebus, quibus de superiorum partium affectu aliquo, non admodùm conquerebatur, tunc verò peius habere inciperet, vomituque grauari & de ardore superioris partis spinæ, capitis dolore, ac spasmo circa ceruicem conqueri, hisce emendandis remedia, vti & vulneri fuêre adhibita, prognostico interim præmisso, incurabilem hunc fore affectum, vti mox apparuit, nam vigesimo post eum, quo hoc accidit die, expirauit. Et cùm adhuc dubium apud authorem facti, vti alios aliquos esset, an à sclopeto, vel casu ab equo, hoc euenisset, licet constaret, eam non ab equo cecidisse, sed post sclopetum explosum, animoque mox deficientem, ne ab equo caderet, ab eo cui à tergo assidebat, retentam fuisse, vt globus adhuc in corpore detineretur, si ab ictu illius factum fuit, cùm nullus alius pateret illius exitus, necesse erat. Itaque cùm in vulnere per sectionem post mortem dilatato, nihil inueniretur, illudq; vertebram subiret, exemptâ spinę dorsi aliqua portione, eaq; iuxta vulneris ingressum dissectâ, globus plumbeus, spinalem medullam disrupisse, atq; in corpore vertebræ substitisse tandem deprehendimus. Globus is appendicem habebat, cui chartam, quæ puluerem tormentarium recipit, adligare solent, eratque globus ex parte illa, quâ os tetigerat, nonnihil dilatatus, vti sæpè hoc, si globus os in corpore tangat, nec illud penetret, accidere obseruaui.

Resolutio

Resolutio ab ictu, vtriusq; lateris, Loquelâ simul amissâ & Auditione.

CVm luctarentur pueri, alterque annos circiter decem natus, alterum in terram prostrauisset, illique incumberet, mater succumbenti filio auxilium latura, scopæ inuersæ manubrio, ceruicem alterius percussit, vnde ille statim mutus factus & surdus, ac vtroque simul latere resolutus, & cùm vbi nam doleret, ab eo quæreretur, caput nutans, in eo se aliquid pati, videbatur innuere. Cibũ alioquin capiebat, egerebat & dormiebat. Sic itaque lecto per multos menses affixus, cùm spes omnis sanationis, post vsum quorũdam remediorum sublata esset, in hospitale receptus, & insigni pecuniæ summâ, decreto magistratus, à muliere quæ ipsum percusserat, mulctæ loco annumeratâ, ipsa quasi desperabunda, manus aliquoties sibi ipsi intulisset, nisi sedulò custodita fuisset. Æger verò per annum vnum aut alterum illic miserè viuens, tandem obijt.

Resolutio sinistri lateris, ab ictu procedens, cum Oris tortura & Visione deprauata.

LApicida puer, ab alio percussus tegulâ supra caput, sinistro latere, ex parte resolutus, difficulter incedebat, osque distortum gerebat, & res quas intuebatur, geminas sibi videri dicebat. Hic quoque in hospitale receptus est, quid cum eo sit actum, mihi non constat.

Resolutio in pedibus, cum Loquela impedita, atque Oculorum conuulsione seu spasmo ab ictu procedens.

IN balneo sedenti cuidam æditu, ciuis quidam à tergo stans, transuersa manu ioco ceruicem percutiens, hoc pacto caput illi amputari facilè posse, dicebat.

Verùm ab eo tempore, misero huic, sensim pedes labascere, & resolui cœperunt, ob quam causam, ægrè incedere pedesque eundo trahere cógebatur: Adhæc cùm alioquin naturâ blæsus esset, verba deinceps minùs expreßè pronuntiare potuit, & oculis toruis ac veluti contortis & conuulsis, res intuebatur, donec tandem increscentibus omnibus, hoc pacto quoq; extinctus fuit.

Linguæ paralysis, Loquelam impediens.

POst casum apoplecticum, mercator quidam senex, resolutus aliquandiu permansit in vno latere, & paralysin linguæ passus est; curatus postea aliquo modo, vt ambulare denuò potuerit, remanente tamen linguæ resolutione, loqui vt intelligeretur, quid vellet, minimè potuit, eratq; iam inueteratum malum.

Cùm fortè illac iter facerem Anno 1558. & à me consilium efflagitaret. Primùm etsi iam sæpè purgatus esset, vt ante vsum topicorum denuò purgaretur, has pilulas præscripsi: ℞. pilul. Cocciarum, Fœtidarum ana ℈. j. cum melle Scillitico fiant pilulæ.

Postea vt sequētibus per vices vteretur, ter quaterùe ʒ. j. sumendo in mense iussi: ℞. Agarici troch. ʒ. ij.

℥.ij.Turbith.gummosi in hydrom.infusi ʒ.ß. Myrrhæ, Sarcocoll. nutritæ in succo Ros. ana ℈.ij. Castorij ℈.j.ß. Mastiches, salis Gemmæ ana ℈.j.Aloës ℥.ß.cum melle Scillit.fiat massa.

Masticatione sequenti manè vtatur sępe: ℞. Cubeb.nucis Mosc.seminis Sinapis an.ʒ.j.Gariophyl. Galangæ.Piperis longi an.ʒ.ß.Salis cõmunis ℥.j.ß. excipiantur Cerâ fiant formulæ.

Abluat postea os Aquâ salsâ,quâ oliuæ conditæ ad nos vehuntur, nam eiusmodi merces mercator hic habebat.

Nares intrinsecùs Vnguento hoc, ad eò diuertendam materiam, illinire iussi: ℞. Troch. Alhandal,Diagrydij an.ʒ.j.rad.Hellebori albi ℈.j.Castorij ℈.ß.Mellis scill.q.s.fiat Vnguentum.

Vngatur pars posterior capitis rasa, & ceruicis nuda, hoc modo: ℞. ol. de Piperibus, de Euphorbio an.℥.j.ß.Ceræ rubræ q.s.fiat linimentum.

Postquam his aliquãdiu vsus fuisset, iussi postea frequenter lambere, electuarium ex Melle scillitico & Anthosato, inuicem permixtis.

Colluere deinhoc decocto ós, atq; aliquandiu in eo retinere: ℞.nucis Mos.℥.j.rad.Galangæ, Costi an.ʒ.ß. Zingiberis ʒ.ij.f.Sinapis ʒ.iij.decoquantur in Vino & Melle.Pro oris collutione.

Victus rationem idoneam pręscripsi,& vt interdum ieiunus in balneo sudaret, niteretur; loqui.

Hac ratione etsi non perfectè verba proferre posset, tamen vt intelligeretur balbutiendo loquebatur.

Lingua impedita vti & loquela, à resolutione illius, vti & digitorum.

INeunte senectâ, cuidam præconi verbi Dei, facies inflata, phlyctenis seu vesicis amplis subflauâ aquâ repletis & distentis facta est, quibus

discissis forfice, aquaque effluxa, iterum subsedit. Paulo post subitò impedimentum, cùm loqui vellet, in pronuntiatione sensit, atque insuper digitos moturus, & apprehensurus res dextra manu, præsertim calamum ad scribendum, imbecillitatem quandam passus est. Vti & in crure illius lateris, in quo etiam vesica, sicuti prius in facie, aquâ citrinâ plena apparebat. Quæ omnia accidentia tamen mox remiserunt, remanente tantùm loquelę leui hoc impedimẽto, quod eò magis illi molestum erat, quòd inter contionandum hoc in eo loquente, vitium obseruaretur.

Consiliũ à me efflagitans, quòd minùs remedijs assuetus esset, leuiora hæc sed efficacia præscripsi.

Vino sequenti ex musto quod tunc Vindemiarum tempore ad manum habebat, hoc pacto parato vsus est: ℞. herb. Chamæpitheos aridæ ℥. ß. herb. Saluiæ, Absynthij ana ʒ.ij. florum Rosmarini, Primulæ ana ʒ.j. Musti albi laudati mensuras v. vel vj. finatur donec mustum, vti solet, efferuescat: Bibat sæpè de hoc Vino.

Quia pilulas nõ poterat deglutire, ord. sequentem potionem, quâ interdum se purgaret, leuiorem, ne si validè operaretur, defluxiones mouendo, nouam excitaret, vt sæpè in paralysi & podagra fieri obseruaui: ℞. Rhabarb. ℈.iiij. Mechoacæ ℥.j.ß. fol. Senæ ʒ. ij. infundantur in Vino prædicto Chamæpitheos, fiat expressio, adde syrup. Ros. sol. ℥.j. Bibat.

Paret condituram ex herba Chamæpitheos & fl. Saluiæ recentibus, cum Melle coctis & conditis, sumendo interdum manè bolum, & superbibendo parùm aquæ Rosmarini, & Thymi.

Masticet manè, de hoc masticatorio aliquando: ℞. Cubebarum ʒ.j. Piperis longi ʒ. ß. Nucis mosc. ʒ.j.ß. Mastiches ʒ.j. sem. Angelicæ, ʒ.ß. sem. Sinapis & Na-

& Nasturtij ana ℈. j. Euphorbij gran. iij. cum Cera fiat masticatoria.

Colluat os frequenter Aquâ Rosmarini, ex infusione in Vino facta & exstillata.

Fricet quandoq, linguá, Bellario Sinapis, mensis consueto, & abluat Vino.

Lingua impedita, vnde Balbuties, ab opio, per clysma infuso, progressa.

NEphritico seni, cùm inter alia remedia, quæ dolorem, quo interdum vehementissimo laborabat, sedarent, Clysterem inijciendum curarem, cui portioné aliquam Opij dissoluti miscueram, post somnum, qui superuenit, dolore mitigato, excitatus à somno, balbutire cœpit, ex quo neruos linguæ stuporem quoque concepisse, indeque balbutiem hanc prodijsse, vti eandem in ebrijs, eodem modo à Vino contingere, obseruamus, conijcere potui. Verùm vti in ebrijs remittente narcosi Vini, loquelam rursum integram redire videmus, ita & in illo postquam opij vis discussa fuit, balbuties cessauit.

Oris tortura à resolutione.

VIde in Motus impotentia Lib. 1. Resolutio sinistri lateris, &c.

Palpitatio conuulsiua in buccis, labrum & narem sinistram in sinistrum latus continuò trahens.

MAtrona nobilissima, annos nata 47. quæ plures liberos pepererat, menstruis adhuc laborans, ante biennium, prægresso ictero, cœpit in sinistra buccæ regione attractionem quandam in-

uoluntariam ſentire, quæ labium vtrumque, & vicinam narem, nonnunquam & palpebram inferiorem, ad latus leuiter trahebat, ſæpè repetitis vicibus, & ferè continuo motu non tamen osadmodùm diſtorquens, vti in perfecta oris tortura accidit, vno latere minimè deorſum tracto, ſed ad latus ſaltem diducto. Tota alioquin illius facies puſtuloſa erat & rubra, quibus duobus vitijs remedia adhiberi cupiebat, eoque nomine huc ad me magno comitatu venit, cui conſilium hoc ſcriptum, Anno 1613. April. men. dedi.

Palpitationem conuulſiuam, hunc affectum, ſicuti hanc ſpeciem in praxi mea deſcripſi, vocaui, cui ſubueniendum eo potiſſimũ modo dixi, ne reſolutio aliqua, aut conuulſio, quæ interdum hunc anteambulonẽ ſequuntur, ſuperueniat, præſertim cùm ſtupor aliquis in brachio, & crure, ante menſes aliquot, ſed obiter tantùm, ſe manifeſtarint.

Ante omnia euacuatio generalis, per præparantia, purgantia, & ſanguinis detractionem, cùm plethorica eſſet, fuit præſcripta, & poſt eam alterantia quædam, in hanc rem conferẽtia pharmaca.

Topica buccis intus foriſq; adhibenda ſequentia, & primùm Maſticatorium ſequens: ℞. Nucis moſc. ℥. ij. rad. Pyrethri, Angelicæ, ſem. Staphiſagri. Sinapis ana ʒ. j. ſeminis Angelicæ ʒ. ß. Cubeb. ℈. j. Piperis ℈. ß. Maſtiches ℥. j. ß. Ceræ q. ſ. fiant formulæ rotularum inſtar, vel orbiculares, quas maſticet ieiuna frequenter.

Aquam dein ſequentem in ore contineat, tepidulam, præſertim in ſiniſtra ſede: ℞. rad. Pyrethri, Angelicæ, Acori veri, Ireos ana ʒ. ij. herb. ſicc. Saluiæ, Maioranæ, Thymi, Chamæpitheos, Origani ana ʒ. ij. fl. Lauandulæ, Stæchados ana ʒ. j. Nucis moſc. Cinamom. ana ℥. j. ſem. Fœniculi, Carui ana ʒ. j. ſem. Erucæ ʒ. ij. pulueriſ. omnia, affunde Vini generoſi

generosi ℔. v. destilletur: Aquâ vtatur vti dictum.

In Sacculo vel puluino sequentia, insuenda curet, interposita Bombyce vel Lanâ, ne premant, atque buccæ laboranti, prius calefacta, frequenter admoueat, vel noctu eâ faciei parte, quæ ægra, puluino sic parato incumbat, puluis autem talis est: ℞. rad. Ireos ℥. vj. rad. Enulæ, Angelicæ ana ℥. ß. herb. Saluiæ, Betonicæ, Chamæpitheos. florum Chamomil. nobilis, Meliloti, Sambuci, Rosarum, Lauandulæ ana ℥. j. seminis Coriandri ℥. ij. semin. Milij solis ℥. j. semin. Carui, Fœnic. ana ʒ. j. Salis ℥. j. conquassentur.

Pro facie rubra & Pustulosa, vtatur sequenti lacte, cum penicillo frequenter illinendo: ℞. Fragorum non plenè maturorum ℔. j. ß. Lactis caprini ℔. iiij. rad. Oxylapathij rec. ℥. iij. herb. Portulacæ, Plantag. rec. ana M. j. Ros. rubr. rec. (quæ tunc florebant) P. iij. Album ou. num. xij, Limonia vel arantia poma incisa. num. vj. Aluminis ℥. j. ß. Aceti ℥. j. Camphoræ ʒ. j. Eliciatur aqua ad vsum.

℞. Lithargyrij ℥. j. Cerusæ ʒ. ij. Boracis ʒ. j. affunde Aceti albi ℥. iiij. stent in infusione. Misceat cum portione huius infusionis, portionem aquæ, eoq; lacte illinat faciem, & manè si quid albedinis remansit, priore aqua abstergat.

Cucurbitulas binas collo, binas scapulis, vtrinq; vnam applicet, repetatque altero & postea tertio die, Denuoque post mensem idem faciat. Cauterium quod inussit sub aure, cum molestum sit, rursum coalescere permittat.

Victus ratio conueniens præscripta, & reliquarum sex rerum non naturalium decens vsus obseruandus.

Spasmus in bucca seu Oris tortura.

QVidam pagano, quoties loqui volebat, bucca vniuersa, dextræ faciei sedis tremebat, & sursum-deorsumq; conuellebatur, atq; os distorquebatur, idq; magnâ, vti aiebat, & re ipsa apparebat, molestiâ, ita, vt eam adhibitis manibus nonnihil retinere, & premendo motum hunc violentum cohibere cogeretur. De vigilijs perpetuis simul conquerebatur. Ad anni spatium & ampliùs cum hoc malo conflictatus, frustra empiricorum vsus remedijs, tandem ad me consilij causâ venit. Purgaui illum ante omnia; Cucurbitulis vsus siccis, citra scarificationem, sub auribus & humero ac scapulis: Postea quòd penitùs insomnis esset, dedi ipsi Mitridatum: verùm cùm nec sic tum dormiret, exhibui syrupum de Papauere, idque ter, augendo semper quantitatem, donec ad ℥. ij. ß. peruentum est. Sed cùm ne minimum quidem inde dormiret, tandem Narcoticum meum illi propinaui, vnde eâ nocte dormiuit & copiosè sudauit, eoq; repetito, ad somnum naturalem redijt, & buccarum illa agitatio cessauit.

Spasmus Maxillam inferiorem adeò constringens, vt os non sufficienter aperiri potuerit.

EOdem affectu Arthritide nimirum, mulier nobilis, quæ annos conceptioni aptos nondum prætergressa fuerat, adeò miserè afflicta fuit, vt licèt plurimis purgationibus, sudoribus exhausta esset, tamen incedere difficulter potuerit, articulis maioribus hinc inde tumescentibus.

Post thermarum sulphurearum vsum, melius habuit, sed propter membrorum ad motum difficultatem

sultatem, hoc superuenit accidens, quòd maxillæ inferioris articulus vtrinque iuxta aures, adeò immobilis sit factus, vt os aliquousque saltem, ita vt cibus crassior vix intromitti potuerit, aperiri posset, quo incommodo, ad dies vitæ, per annos aliquot miserè afflicta, tandem ore penitùs ferè occluso, in periculo ne fame enecaretur, ad finem vitæ vsque fuit.

Spasmus in Oculis.

ET mihi & alijs, qui de hoc affectu cõquesti sunt, sæpè accidit, vt post somnum, quando oculos aperire volumus, illud cum labore & dolore, qualis in spasmo flatulento dicto, in alijs membris sentitur, fiat, nimirum, vt oculi sic veluti tracti, & astricti ægrè cedant, nec sine cruciatu, nisi priùs fricentur manibus, aperiri queant, vti & spasmus in alijs locis cum contrario nixu & motu, musculi contracti reducuntur, cessat, & sic oculorum musculi veluti conuulsi, hac frictione reducti, rursum moueri, palpebræq; aperiri possunt.

Oculorum conuulsio seu spasmus in Resolutione.

VIde in Motus impotentia. Lib. 1. Resolutio in pedibus &c.

Spasmus quidam in ceruice post congressum, atq; ardor in glande.

COnquestus mihi est, Princeps quidam, post concubitum, subitò dolore quodam tensiuo & veluti conuulsiuo, in nuchæ regione & posteriore capitis seu occipitij sede affici, ardoremq; vehementem in glandis extremitate, tamdiu, quam-

diu glãs semine adhuc madebat, sentire, madoreq; abstersо, acrimoniam mitigari: causas vnde hæc prodire possent, aliquas exposui, illiq; satisfeci.

Spasmi species, in qua caput in sinistrum latus torquebatur.

VEnit ad me mercator quidam, insignis Anno 1612. de diuturno affectu cõquestus, quem & mihi explicabat, egoque in ipso mox obseruabam, cùm capite in latus verso, non rectà me inspiceret. Cuius affectus initium, vt mihi narrabat, sic se habuit. Ante annum, cùm ingruẽte hyeme, ex Italia domum tendens, per alpes iter faceret, frigusq; sæpè pateretur, & in naui lacum traijciens dormiret, atque excitatus totus frigeret, cœpit primùm dolores in ceruicis sede posteriore, quam nucham vocant, sentire, quibus continuatis, secuta est capitis in sinistrã sedem, inclinatio inuoluntaria, seu contractio, quæ adhuc durat, illique admodùm molesta est, atque eum inspicientibus admirationem præbet.

Vt huic vitio mederetur, varijs & generalibus & topicis vsus erat remedijs, atque inter reliqua, cùm nullam inde sentiret mutationem, thermas adijt Sulphureas, quarum vsu leuamen aliquod, ità vt caput minùs rigidè quam priùs in latus tunc torquere cogeretur, sensit.

Cùm causam huius accidentis, ex me intelligere cuperet, & qualenam illud esset, Spasmi speciem seu contractionis à me appellatæ, distinctam à conuulsione, multis argumentis probaui esse. Talem nimirum, in qua præter voluntatem, caput in latus sinistrum traheretur, & cum voluntario motu, rursum retraheretur, mox inuoluntario motu relaberetur.

Partem

Partem verò affectam musculos caput, in latus illud mouentes, à ceruice & dorso progressos, capitiq; insertos esse, dixi, & ab illorum affectu, hoc procedere, partemque sic ægram sanam, vti in spasmo fieri solet, attrahere. Hincque accidere, vt dolorem & molestiam, quam sentit, non solùm in ceruicis, sed & dorsi aliqua superiore regione, vnde longi illi ad caput protensi musculi, progrediuntur, & per hæc loca ad caput feruntur, æger percipiat.

Maximè verò hosce musculos, ea sede, vbi in tendines & latas aponeuroses desinunt, & circa nuchæ superiora in caput inseruntur, affici ea ratione, vt tendines hi astricti breuioresque sic redditi, caput in latus continuò attrahant, qui tamen capite moto, contrario motui, tantisper cedere, & in latus dextrum aliquousque retrahi queant. Quo tamen motu cessante, rursum caput retrahitur.

Morbus verò quisnam sit, qui adeò membraneas illas, seu neruosas vt vocant insertiones, vt astrictæ sint, efficiat, existimare me intemperiem esse frigidam, quæ vti neruis, sic membraneis, & exanguibus partibus inimica, eas lędit, & constringendo breuiores reddit, ita vt ægrè postea, rursum ad pristinam figuram remeare valeant.

Hanc autem ab aëre frigido progressam, satis præcedens frigus ostendere dixi, quod eo magis hasce sedes, cùm nudæ nec vestibus tectæ sint, quàm aliàs effecit. Accedit, quòd cùm procliuis sit ad sudores, ab ijsq; corpus adhuc madens refrigeratum, grauius eo in loco læsum fuerit, & quòd capite nudo, cùm sudat, sudoresque abstergit, plerumque existat.

Hisce sic expositis, cùm quid sperandum & agendum, à me quæreret, etsi in hoc diuturno affe-

ctu, & pertinaci, de cura diffiderem, præsertim tendinibus iam exiccatis & induratis, tamen eam tentari posse, per summè emollientia ea, quæ simul neruoso generi essent appropriata, administrata, è quibus Vnguentum singulare eiusmodi, quo ceruicis latus sinistrum inungeret, ei præscripsi, sicq; illum dimisi.

Circa finem Decembris ad me æger scripsit, se vnguento à me præscripto duodecim dierum spatio, indies nucham, cum tota spina, quod tamen non iusseram, sed tantùm ceruicis posteriorem regionem, inunxisse, atque tumorem inde mollem, iuxta sinistram scapulam, fuisse subortum, & veluti duos nodos, in vtraque ceruicis postica regione, vnde dolorem sentiat, spasmum verò illum adhuc perseuerare.

Post mensem circa finem Ianuarij, rursum scripto à me petijt, vt curam, cùm ver appropinquet, suscipiam, erupisse in eo loco vbi inunctio facta est, phlyctenas, illisque disruptis aquam aliquam effluxisse. Quod ego ab vnguenti vsu emollientis, relaxatis & dilatatis inde quoque poris, seroque sub cuticulam effuso, non defluxione aliqua, à capite eo delapsâ, accidisse, demonstraui, defluxionesq; à capite, quibus alioquin etiam obnoxius erat, alia potius loca petere.

Quid porrò agendum esset, cùm rogaret, denuò emollientia, quibus non diu vsus erat, repetenda, atque ea in forma fotus, emplastri, cataplasmatis, præscripsi, pilulasque simul corpus mundum efficientes, & neruoso quoque generi accommodas. De thermis autem adeundis, vere inchoante, cum esset quæstio, Sulphureas quæ priùs profuerant, cæteris præferebam.

Cùm itaq; enarratis vteretur ad mēsem Maium vsque remedijs, & simul cauterium brachio vtriq; adhi-

adhibuisset, affectusq; in eodem persisteret, sponte cùm frater ipsius eò quoque abiret, in thermas non Sulphureas, sed Leucenses Vallesianorum, se contulit, atque in illis balneando, moram septimanarum trium traxit, multumque sudauit, atq; aquâ illâ calente ceruicem continuò perfundere iussit, & per epistomium irrorauit.

A thermis reuersus, ad me, adducto secum sibi familiari erudito Medico, consilij conferendi causâ, Basilæam venit. Exponens, caput illi non ampliùs adeò vti prius, in sinistrum latus trahi, sed rectum manere posse, vt iam rectà homines intueatur, nec amplius hoc vitium in eo adeò obseruari. Verùm aliud accesisse, quòd nimirum caput in sinistrum latus, nulla ratione posit vertere, dein quòd scapula sinistra, cùm humero, viciniq́ue dorsi sede, deorsum adeò trahatur violenter, vt nisi scipione, manu sinistra, nixus, brachium & per consequens fulchra illius sustentet, erectus manere nō posit, sed humi procumbere cogatur, ob quam causam, sine hoc sustentaculo, nec ambulare, nec equitare valeat, scipione stapedi sinistro innitatur, sicque se sustentet. Sentire insuper se adhuc interdum dolorem aliquem, qualis in spasmo flatulento euenit.

Consilium cùm caperemus, conclusum inter Medicum ipsius ordinarium & me, cùm adeò pertinaciter perseueraret hoc malum, etsi spes salutis esset exigua, aliquid tamen, vt illi animum aliquomodo adderemus, & extrema tentaremus, esse agendum. Pilulas priores, quorum successum se sensisse aiebat, repetendas; Oleo medicato dorsum inungendum. Balneo humido ex decocto herbarum cui insideret, vtendum.

Sicque per caniculares horum usu pergendum. Cauterium quod in brachio sinistro vlcus fecerat,

sanandum, aliud in dextro adhuc apertum seruandum.

Circa medium Augusti, Medicus illius denuò ad me scripsit, post vsum prædictorum remediorum, nihilo melius illum habere, sed spinam nunc in sinistrum latus, adeò curuari, vt quasi pondere grauatus, in terram procideret, nisi scipione sustentaretur: dubitare se, an ex retractione musculorum tendinum vnius lateris, an verò relaxatione oppositi (cùm vi quadam in sinistrum latus trahantur) hoc oriatur. Addidit porrò, mirari se, quod cùm æger non nisi baculo innixus obambulare possit, pondere tamen graui multarum librarum, humero sinistro imposito, sine baculo erectus possit incedere.

Ad hæc sic respondi, hoc à dorsi musculis, spinam dorsi à ceruice ad lumbos vsque in vtroque latere opplentibus, proficisci, è quibus profundiores, spinę toto ductu connati sunt, qui dorsum, hoc est spinam illius mouent, quorum vtrinque octo sunt paria, quatuor ceruicem, quatuor dorsum flectentes, & rursum oppositis motibus erigentes. In his causam mali latere, maximeque ab initio in illis, qui ceruicem & cum ea caput mouent, latuisse, vt ostensum fuit, cùm caput tunc solùm in sinistrũ traheretur, nunc verò etiam reliquos, dorsum mouentes musculos, affici, spinamque sic in latus trahi. Hocque non in vtroque latere, aliàs enim spina rigeret, sed sinistro tantùm, quo dorsum vi trahitur, & pars ægra sanam, vti in contractione fit, trahit. Quod autem non ex resolutione oppositi dextri lateris musculorum dorsalium fiat, quòd tunc pars sana ægram traheret, indicio esse, quòd inclinatio illa dorsi, in sinistrum latus, non vti in paralysi, ob partis pondus, vnde leuiter & obiter eò tantùm inclinaret, fiat, sed per vim validissimè, vti

æger ipse nominat, in suo scripto, eò trahatur, idq; cum dolore, sicuti in spasmo solet accidere, adeò membrum trahi, vt oppositi musculi sequi cogantur, in resolutione verò nulla sit attractio, sed membrum fiat languidum & pendulum, idque sine doloris sensu, cùm tunc potius stupidum existat. Ex quibus patet in hoc spasmo, musculos iam dorsi toto illorum ductu, in sinistro latere affici. Sed & quòd hoc verum sit, illud etiam demonstrare asserui, quod vti in spasmo flatulẽto dicto, si musculi contracti, oppositis musculis per vim rursum retrahantur, vel etiam manuum operâ sic impellantur, contractio & dolor inde natus remittat; ita in hoc simili casu, quando sinistrum latus, illicq; contracti dorsi musculi, vel scipione contra terram innixo impelluntur, vel pondere humeris imposito, hoc fiat, dorsum sic erigi rursum, vt tunc procedere & ambulare tam diu, quàm hoc fit, possit.

Præterea nihil amplius addidi, cùm æger defessus medicamentorum usu, hoc non adeò expeteret. Cui libenter, tanquam optimo Viro, vlteriùs operâ meâ, si modò quid effici posset, operâ & arte sucurrerem, quem adhuc in eodem statu & corporis habitu viuere, cuius sanè ipsius conditionis me miseret, audio.

Contractio digitorum in manibus, & resolutio manuum.

Post diuturnum morbum colicum, & resolutiones contractionesque secutas in manibus & pedibus, in nobili quodã iam sene, remanserant contracti digiti in vtraq; manu: inter nodijs duob. exterioribus adeò astrictis, vt incuruati in volã manus, digiti, nulla vi extendi ampliùs possent, quibus tamen res, quas apprehendebat, firmiter reti-

nebat. Manus quoque pendulæ nonnihil, resolutæque erant, quas vix sine adminiculo, aut veluti iactu eleuare posset. Articuliq; digitorum, præsertim in pollice & indice, nonnihil disiuncti, admodumque laxi, apparebant. Multis vsus remediis & thermis quoque, nihil profecit, durante malo, & ad biennium vsq; perseuerante.

Tandem in desperato malo extrema tentans, thermas Pipermas adire decreuit: quâ in re, cùm meo vteretur consilio, in eoque curandi quandam rationem, quæ in aliis successerat, intellexisset, omnino eam, antequam thermas adiret, tentare voluit.

Itaque circa finem Aprilis, Anno 1597. curam hoc pacto inchoauit: Purgato priùs decenter corpore, per triduum, Vino Cathartico, neruis simul accommodato, in dextra, topicorum vsum, hoc pacto, experiri voluit.

Emplastrum sequens, supra alutam extensum, manus interiori sedi vniuersæ applicuit, & in plicaturam astrictorum digitorum impressit, & scissum illic in partes tot, quot digiti erant, chirothecæ instar, appositis petiis, singulis digitis obuolutis, vt exactè illis iungeretur, coërcuit: postea Pittacio, ex panno duplicato formato, impressoque firmiter asserculoque, panno inuoluto, transuersim collocato, sic vt emplastrum vndique se digitis incuruatis accommodaret, eosque nonnihil, extrorsum premeret, industriâ vxoris fasciâ colligauit, totamque noctem sic collocatam retinuit, aliquotque noctibus continuauit.

Manè verò hisce impedimentis remotis, singulis digitis plumbeam massulam, chordâ planâ appensam, quæ illos sensim extenderet, gestauit.

Emplastrum verò tale erat: ℞. gummi Ammon. ℥. ij. Galbani, Oppopanacis, Bdellij an. ℥. j. dissol-

uan-

uantur in Aqua vitæ; adde Styra. calam. ℥. ß. ax. Anseris, medullæ Cruris vituli an. ℥. j. Thuris ℥. ij. rad. Ireos ℥. j. Hermodact. ℥. j. Laricee & Resinæ communis q. s. fiat emplastrum.

Suffitu insuper manè vsus est, ex trochiscis sequentibus, carbonibus ignitis impositis, parato, quem in vase, ad id apto fumum & manum excipiente, aliquandiu admittebat. Cuius hæc erat descriptio: ℞. Marcas. ℥. j. ß. Myrrhæ, Mastiches an. ʒ. ij. Storacis, Benzoini an. ʒ. j. rad. Ireos ʒ. ß. cum Laricea fiant trochisci.

Quibus vix dum octiduo vsus, cùm digitos, premendo tamen eos, extendere posset, emplastrum sinistræ quoque manui tribus noctibus tantùm apponens, eos quoque digitos iam cedere nonnihil sensit. Quibus ad me scriptis, iussi vt articulorum roboris causâ, bis aut ter manum decocto Saluiæ, in Lixiuio, in quo Chalybs extinctus esset, foueret, vsuque horum pergeret.

Verùm cùm iam ferè penitùs digiti extendi possent, præsertim in dextra manu, licet vi propria musculorum efficere id nequiret, vt huic quoque impotentiæ, suppetias ferrem, ad me veniens, petebat.

Iussi itaque vt emplastri vsum continuaret, & quia extrinsecùs internodia digitorum, dura apparebant, non solùm intus, sed & foris emplastrum noctu applicaret.

Suffitu tantùm bis in septimana vteretur, nec nimiùm calido, cùm si calidissimum adhiberet, stringi digitos se nonnihil sentire diceret.

Adhæc vt vnguento ante emplastri appositionem, vtramque manum, digitosque intus forisque illiniret; quod tale erat: ℞. ol. Lumbricor. Liliorum an. ℥. ij. ß. ol. Cheirini, Irini an. ℥. ß. Lytharg. ℥. j. coquantur parùm, adde gummi. Ammon. dis. in aq.

vitæ ℥. j. Styracis ʒ. ij. Laricea ℥. ß. Ceræ q. f. fiat vnguentum.

Manè dein sepositis emplastris, fomentatio hæc adhibebatur: ℞. rad. Altheæ, Bryoniæ, Ireos, Liliorum, recentium, incisorum, de singulis quantum poculum vulgare caperet, Absynthij, Thymi, Saluiæ an. M. j. flor. Chamom. Melilot. Sambuci an. P. j. seminum Lini, Fœnog. an. cochl. ȝ. vel quatuor, coquantur in decocto intestinorum Capitis & pedum Vituli, addito pauco Vino: Atque in decocto manus foueat singulis matutinis.

Interea licet omnia in melius tenderent, spesq; integræ restitutionis esset, tamen, quia tempus præfixum aderat, thermas distantes procul, magno labore & sumptu, lacu & alpibus superatis, adijt. Quorum vsu, digiti ampliùs astringi potiùs quam relaxari cœperunt. Et cùm in reditu lacum Tigurinum, naui traijceret, tanta vertigine correptus est, cum vomitu ab initio, vt nec stare nec sedere posset, sed lecticâ vectus ad nos, indeq; domum duceretur. Vnde manus iterum resolutæ sunt. Quarum curam postea desperans, cùm eum puderet, denuò meo vti consilio, cui non ad finem usque paruerat, neglexit.

Contractio digitorum sinistræ manus, in volam illius.

INsignis artifex lapicida quidam, saxum immensum voluens, adeò tendines in sinistræ manus vola ad digitos, annularem & minimum desinentes, ei attracti sunt, vt illi à vinculis quib. retinẽtur laxati, eleuatique, duas chordas sub cute tensas in altum referrent, contractique duo hi digiti & attracti, postea semper manserint.

Digiti

Digiti astricti in manu.

VIde in Habitus corporis dolore Lib. I. Arthritis generalis post particularem.

Cruris dextri astrictio & contractio, post coxendicum dolorem.

AFfectus Nobilissimi huius Viri, est cruris dextri ad superiora, cum leui contorsione versus interiora contractio, eousque facta, vt pedem terræ admouere erectus, nisi corpus inclinet, ampliùs nequeat: ob quam causam incessus illius, nisi grallâ adhibitâ, vicem cruris supplente iuuetur, impeditus est. Hisce accedit pedis seu cruris illius elongatio nimia, leuisque quædam atrophia.

Causam huius mali, in articulo illo magno femoris cum coxa esse, tum functio læsa, cùm nullus alius motus, nisi ille quo femur rotari, & sursum deorsumque moueri debebat, læsus sit, ostendit: tum inæqualitas & extuberantia, ac distorsio in articuli huius dextri sede, manifestè apparens, & tactui se offerens, ad quam etiam inferior spinæ, & ossis sacri sedes, nonnihil inuersa apparens, dilucidè patefecit. Imprimis verò præcedens hunc affectum morbus coxendicus, dolor ischiadicus dictus, quem diutiùs perseuerantem, vitium hoc sequutum est. Et hæc de sede affecta.

Morbus verò in dicta sede occurrens, articuli huius est luxatio, femoris capite ex acetabulo suo egresso, & ad inferiora, ad pubis ossis processum inferiorem vsque delapso, illicque subsistente & hærente: ligamentis illis quæ articulum hunc vinciunt, geminaq; existunt, potissimùm læsis.

Cùm enim ligamentũ illud articulũ circum dás, omniũ totius corporis ligamentorũ, quæ articulos ambiunt, sit amplissimũ, fieri potest, vt adeò cedat,

vt (ſicuti ſæpe fit) femoris caput, è ſuo ſinu deuol-uatur, & in membranæ illius (quæ cùm craſsiſsima ſit, præ omnibus totius corporis ligamentis, nunquam vi qualicunque diſrumpi poteſt) amplitudine ſeu capacitate ſubſiſtat, elongato ſimul & vehementer attracto, tereti illo & craſſo, quod caput aliàs in ſuo ſinu retinere ſolet, ligamento. Quod & ob tenſionem illam nimiam, aſtrictum & induratum, chordæ alicuius craſsiſsimæ & firmiſsimæ inſtar, quæ nunquam diſrumpi, nunquam ab acetabulo, cuius cartilagini innata eſt, vel extremis impetibus abrumpi poteſt, femur ſuſpenſum retinet, motumque illius ad inferiora, cum nunc non ampliùs, vt cum femur in ſinu erat laxum, ſed ob illius deſcenſum, vehementer, vti dictum, tenſum ſit, impedit.

Quam ego potiſsimam huius aſtricti cruris cauſam eſſe exiſtimo. Neque enim neruorum hîc aliqua ſtatuenda eſt induratio, vnde ſtupor & contractio illius, vel reſolutio potius ſequerentur; non articuli impedimentum, ad cuius conſtructionem oſſa & ligamenta, non nerui requiruntur. Sed nec tendines muſculorum, femur mouentium, in cauſa eſſe, vel hoc ſatis declarat, quòd femur mouere alioquin poteſt, & ſolùm impedimentum illud eſt, quod veluti ſuſpenſum, quò minus terram attingere poſsit, impedit, & ſic ſtationi & inceſſui obſtat.

Laxationem autem hanc, unde hæc tenſio ſequitur, à fluxione illa, quæ iſchiadicum dolorem pepererat, niſi maior vis huic parti quoque illata ſit, originem ſuam traxiſſe, præcedẽs hunc caſum, hic morbus ſatis oſtendit.

Cæterùm prognoſticum quod attinet, hunc articulum reponi, & luxationem hanc ſanari poſſe, impoſsibile eſſe duco, proin nec vi hîc aliquid eſſe tentandum, ne malum fiat deterius.

Cum

Cum partes hæ astrictę, in osſium hac diſtorſione, nullâ arte in rectum ſitum reponi queant.

Ob quam cauſam in eo omnino laborandum eſſe exiſtimo, vt femur deorſum eouſque ſenſim impellatur, donec pes terram poſsit attingere, tūc enim rurſum Nobilis hic vir, & ſi claudus aliquo pacto permaneret, tamen ſine alio adiumento, & ſtare & incedere poſſet.

Et licet omnes cruris motus perficere nequiret, tamen illud vel attollere, vel ſi perdifficile eſſet, & femur rigidum retinere cogeretur, cum hæc forma ad inceſſum ſit conuenientior, eaq; in qua crus attractum eſt, eum penitus impediat, nihilominus ambulare poſſet.

Vt autem femur deorſum pellatur, arte potiſſimū & induſtriâ, adiuuantibus medicamentis, effici poſſe, ſi nec æger nec Medicus morâ defatigetur, conſiderem, cûm ſæpè & in femoris & genu alijsq; firmatis ac incuruatis articulis, id mihi tentáti fœliciter ſucceſſerit.

Omiſſis autem hîc generalibus præſidijs, quibus corpus mundum & purum redditum atq; ita præſeruatum, faciliùs remediorum Topicorum vires admittit, præcipuos obiter medendi hîc indicabo ſcopos; Qui ſunt, vt ligamenta hæc aſtricta indurataque emolliantur, & crus ſenſim arte deorſum trudatur.

Verùm perdifficilè eſt ligamenta hæc, quæ in abſtruſo latent, prętertimque teres hoc, quod ego præcipuam huius aſtricti cruris cauſam ſtatui, emollire, cùm medicamentorum externorum vires, eouſque ægrè pertingant. Dein & cùm teres hoc ligamentum adeò ſit tenſum, vt vlteriùs ferè extendi nequeat, idq; tamen neceſſe ſit, ſi crus vlteriùs debet deſcendere, ſi vis adhibeatur, eam ægrè perferre poterit.

Nihilominus tamen cùm continuus medicamentorum vſus, illorum præſertim quæ ſummè efficacia ſunt, ad interiora quoque vſque penitiùs vires tandem exerant, & vincula etiam ſummè aſtricta continuo impulſu, tandem aliquo modo remittere neceſſe ſit, non dubito ſucceſſu temporis, ritè ſingulis adminiſtratis, indies aliquid moliẽdo, tandem exoptatum licere finẽ conſequi, Deo opt. max. ſucceſſum fortunante.

Imprimis itaque interdiu laminam plumbi, latè extenſam caligarum regioni illi, quæ femur integit, inſutam, vt geſtaret, ſuaderem. Atq; vt pedem ſuſpenſum, dum ſedet, nulloque adminiculo ſuſtentatum, vt pondere hoc deorſum deprimeretur, quamdiu hoc ferre poſſet, retineret, ſæpeque hoc repeteret.

Quod etſi ab initio cum moleſtia aliqua fieret, conſuetudine tamen, hoc tandem illi minorem offenſam pareret, tuncque pondus augere poſſet. Quòd ſi appenſo cruri pondere alio, id potiùs tentare mallet, illique commodius eſſe experiretur, modo faſciâ, quæ pondus ſuſtinet, latè eam femoris ſedem, quæ genu proxima eſt, amplecteretur, cùm hic melius deorſum trahat, liberum illi erit.

Neq; enim pondus pedis regioni in calceo, aut tibialibus adhibitum, adeò exactè, cùm laxus intercedat genu articulus, femur deorſum, vti cum illi proximè, nullo intermedio appẽſum eſt, aut incumbit, impellere poterit, proin illi potiùs, quàm ſubjectæ parti, pondus erit adhibendum.

Quod ſi vinculo femori appenſo, terræque affixo, contraque nitendo id quoq; mutatis vicibus, tentet, alijsque ingenioſè excogitatis inſtrumentis nitatur, quibus femur continuò deorſum impellat, tantò citiùs & meliùs ſuccedet, quod optamus, vt nimirum pes terram poſſit attingere,

que

quo consequuto, de incessu nullum ampliùs erit dubium.

Cæterùm vt interea ligamenta rectiùs cedant, emplastra ex summè emollientibus, qualia sunt, Bryonia, Hyosquiamus, Iris, Sulphur, similibusque parata, additis illis quę vi penetrandi operationem iuuant, erunt adhibenda. Quæ peritis Medicis describenda relinquo.

Interea tamen thermarum sulphurearum, quales sunt Badenæ Heluetiorum vsum, in similibus casibus mirè profuisse, experientia me docuit, cui & ratio assentitur, cum sulphure, quod pinguedo terræ dicitur, quo & nihil est pinguius, vnde & nil faciliùs accenditur, nil magis emolliat.

Vnde & nobilissimo Viro, eas profuturas, cùm mora illa longa, quæ dum illis vtuntur interlabitur, plurimùm possit iuuare, non dubito, si tunc maximè dum in balneo est, pondere femur artibus iam enarratis, aut alijs etiam, quæ excogitari poterunt, continuò grauaret. Quæ ego syncerè & fideliter consulere volui.

Crurum contractio, ob vlcera in coxendico dolore oborta, claudos efficiens.

QVamplurimos qui curâ meâ vsi sunt, à multis annis obseruaui, postquam diu passi fuerunt coxendicum dolorem, factos fuisse claudos. Idque vlcerum peruersorum causâ, quæ circa articulum coxæ sub clunibus, nunc vno nunc pluribus, illis in locis, & quandoque etiam in inguine, prægressâ inflammatione, in abscessum conuersâ, oriuntur; E quibus profundis & sinuosis, pus copiosè diuque emanat, quæ & ægrè sanantur. Et si aqueus ichor effluat, quem nostri Chirurgi Glidt-

waſſer vocant, indicium eſt, membraneas & neruoſas ac ligamentoſas illas circa articulum coxæ ſedes affici, ideoque eos claudos futuros.

Memini me commilitonem, filium conſulis habuiſſe, ſcholam mecum frequentantem, qui ſic diu afflictus, ſanatus tandem claudus effectus eſt.

In Alio idem accidens.

AB initio Praxeos meæ, puerum ſimili affectu per biennium laborantem, curæ meæ commiſſum, tandem ſanaui, ſed claudus ad hodiernum vſque diem, Archigrammatei munere nihilominus in Heluetica vrbe quadam defungitur.

In Alio idem caſus.

COmitem etiam quendam, iuuenem huc eo nomine miſſum, talia quoque paſſum, adhuc claudicare audio.

In Alio idem affectus ſummè periculoſus.

IMprimis illuſtriſsimus quidam Princeps, magni nominis, ante triennium, varijs peregrinationibus ſuperatis, apud nos ſubſiſtens, iſchiadico dolore crudeliſsimè diuexatus, obortiſque poſtmodum vlceribus profundis, adeò afflictus fuit, vt ad extremum marcorem redactus fuerit, qui tamen Deo auxiliante, diligentique & ſedulâ noſtrâ curâ reſtitutus, in ditione ſua ſubclaudicans tamen, incolumis viuit & regnat.

Cruris

Cruris sinistri contractio, sursum versus nates, cum Tumore duro circa genu atq; atrophiâ illius cruris,

ADolescenti cuidam intumuit genu sinistrum admodùm, tum anteriore circa genu, tum posteriore poplitis sede: totumque articulum ambiens tumor durus, insensilis erat, dolorem tamen certis locis vbi neruus premit, commouebat. Crus totum reliquum supra genu, atque infra atrophiâ laborabat. Articulus qui intumuit, vix apparenter mouebatur, pede adeò sursum retracto, vt calce ferè nates tetigerit. Hunc autem tumorem intrinsecûs tendines illic copiosos, & ligamenta circa illum articulum obsidere putaui, natum ex nutrimento crassiore, & excrementitio, quod ob imbecillitatem illius partis, à casu prægresso, factam, congestum est, accedente quoque defluxione, huc potissimùm fluente & subsistente. Vsus iam erat Parisijs multis remedijs, sudoribus & diætâ, euacuationibus multis, topicis item omnis generis remedijs. Nihilominus tamen curam sic agressi sumus, An. 1576.

Corpus per vicem euacuari sic iussimus: ℞. rad. Lapatij acuti ℥.ij. Fumariæ, Mercurialis, sum. Lupul. an. M.j. sem. Anisi ʒ.ij. Passul. ℥.ij. Sebesten nu. vj. pulpæ Tamarind. ℥.j. Polypodij ℥.ij. Sennæ ℥.ij. ß. fl. Cordial. P.j. Epithymi ℥.ß. fiat decoctio s. artẽ, dissolue syrupi Ros. sol. de Fumaria an. ℥.j.ß. fiat syrupus coctus ad consistent. arom. ʒ.ij. Cinamom. Capiat ℥.j. vel plus, per interualla.

Vtatur aliquoties conseruâ Iuæ, & Rosarum per vices.

Sudet singulis septimanis semel in balneo.

Quod Topica attinet: Crus in vase quodam ad

id conuenienti, in hoc decocto balnei, manè ieiunus contineat, per horam vnam, vel diutius continuando, per septimanas aliquot, & renouando decoctum tertio semper die: ℞.rad.Bryoniæ ℔.ß. Liliorum, Altheæ.an.℥.iij. herb.Maluæ cum toto, Violariæ, Absynthij, Chamæpitheos. an. M. ij. ß. Chamomil.Meliloti, Sambuci an.P.ij.sem.Lini ℥.j. rad. Cucum. as. ℥. j. misce: Pro balneo, adde radic. Ireos ℥.j.

Emplastrum vel ceratum dein hoc genu regioni applicet, quod ℞. gumm: Ammoniaci, Bdellij an. ℥.j. Oppopanacis, Galbani, Thuris, Storacis liquidæ an.℥. ß. medullæ cruris Vituli vel vaccæ ℥.j. rad. Ireos ℥.j. baccarum Lauri ℥. ß. Volubilis ℥.j. Terebinth. Ceræ an. q.s. fiat empl. vel Ceratum.

Vngatur quoque hoc vnguento: ℞. ol. Lumbricorum, Vulpini, Chamom.an.℥.j. de Piperibus, Liliorum, axungiæ Vrsi an.℥.ß. Ceræ parùm, fiat Linim. addendo ol. Spicæ guttas.iij.

Reiteraui postea emplastrum, addendo Volubilis ℥.ij. mucilag.sem.Lini, rad. Altheę an.℥.j. gummi Elemi ℥.ß.

Fomentetur hoc fotu: ℞.rad.Altheæ, ℥.ij.Bryoniæ rec.℔.j.Liliorum quart.ß. Maluæ, Violariæ an. M. ij. Absynthij, Chamæpitheos, Saluiæ an.M. j. sem. Lini, Fœnogr.an. ℥.j. ß. rad. Ireos ℥.j. baccarũ Lauri ℥.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, fomentetur colatura illius, quæ erat. Mens. iij.

Ex residentia formetur Cataplasma hoc modo; Eam contundendo & per cribrum mittendo, addendo ol. Liliorum ℥. quatuor, axung. Gallinę, Anseris an.℥.j.ß. gummi Ammon. dissoluti cum Aqua vitæ ℥.j. summit. Thymi, rad. Ireos siccæ an. ʒ.j. fiat Cataplasma.

Suffumigetur postea crus hoc suffiitu: ℞. Marcasitæ ʒ.iij. Styracis cal. ʒ. ij. rad. Ireos ʒ.ß. cum Aceto acri

to acri & pauca Laricea excipiatur, fiant Trochiſci pro fumo ponderantes ʒ. j. Ex hac cura, tracto interim continuò pede deorſum, per inſtrumenta, quæ in genu flexura, adhibebantur reſtitutus, claudus quidem manſit, eundo ſummis inſiſtens pedis digitis, ſed ambulare quocunque voluit, deinceps potuit.

Brachij circa cubitum contractio, cum Atrophia illius, ob neruum in venæ ſectione læſum.

MVlieri ruſticæ ſeni, cùm lithotomus venam cubiti interiorem, in illius flexura ſecuiſſet, illicò dolor eo in loco ſubortus eſt, qui per cubitum ad digitorum extremitatem vſque ſe extendebat, cum ſtuporis, quem formicationem nominant, ſenſu, in pagum reuerſa, cū dolor increbreſceret, lithotomum, vt medelam adferret, vocauit; verùm ille famulo miſſo, lardum tantùm vulneri, quod in tumorem eleuatum erat, appoſuit. Cùm nec inde dolor & tumor remitterent, & lithothomus eam negligeret, nec dum aliud quid apponeret, excarnificem tandem conſuluit, cuius quoque remedia, cùm nihil proficerent, cœpit brachium atrophiâ laborare, & veluti conuelli: quare excarnifex vnguentis attrahentibus calidis brachium inungens, ſic voluit atrophiam auertere; ſed omnibus fruſtra tentatis, maloque in deteriorem ſtatum vergente, & in loco vulnerato, vlcere putrido nato, cum corruptione partium iſtius loci; Chirurgum ex vrbe accerſiuit, qui eam per mēſes aliquot tractans, vlceri mundando, & ſimiliter brachij extenuationi, balſama, vnguenta cœteraque applicando, intentus, tandem vlcus quod latiſsimum & profundiſsimum fuerat, atque neruos, venas, ar-

terias musculorumque capita corruperat, quorum portiones exemptæ patebant, sanauit, relicto brachio attenuato admodùm, & circa cubiti digitorumque articulos attracto & rigido, & proin ad motum edendum impotente: prominebatque in cubiti flexura, tumor admodùm à brachio eleuatus, chordæ instar crassæ, ab humeri fine in cubitum desinens, eumque veluti alligatum sustinens, stupente simul brachio, nec dum ampliùs dolente, sed vti dictum, inutili.

Sic itaque afflicta, cùm à lithothomi sectione, atque incuriâ hoc sibi euenisse testaretur, eum in ius vocauit, vt sumptus sibi, quos integro anni spatio, in sanatione huius affectus insumpserat, refunderet, & læsionis huius damnum, cuius illum causam esse, accusabat, resarciret. Iudex varijs auditis super hac re Chirurgorum testimonijs, tandem etiam Medicorum iudicium expetiuit: Cui scripto in hanc sententiam responsum dedimus, An. 1611.

Errores qualescunque, qui ex vena vulnerata, dum ea ad sanguinis detractionem aperitur, committuntur, vulgus plerumque inde, quòd vena supra infraque pertundatur, prodire existimat. Verùm si hoc accidat, vti sæpe fit, tunc, quia sanguis non solùm per vulnus externum cutaneum, exilit, verùm etiam per aliud quod subtus est, in carnem cutemque vicinam, venæque adnatam transsudat, locus in vulneris ambitu, in tumorem leuem aliquem attollitur, tandemque liuescit & flauescit, sugillatorum instar, vti ex leui alia aliqua contusione, etiam euenire solet, quæ tamen tandem sponte rursum discussa, euanescunt, nisi fortè ob copiosiorem affluxum sanguinis, inflammatio aliqua accedat, & si illa non discutiatur, in suppurationē conuersa, in vlcus aliquod desinat; quòd rariùs grauiora, nisi in cura illius peccetur, gignat accidentia.

Verùm

Verùm longè maior noxa, dum venã secare cupiunt, ex ictu vel punctura per phlebotomum facta, suboriri potest, videlicet partis eo in loco vbi læsa est, viciniſque ſedibus dolor immenſus, inflammatio, vlcus peruerſum, corruptio & gangræna, & totius membri aliquando in motu impotentia & contractio, vel rigiditas ſtuporque: interdũ & conuulſiones corporis, ſi neruus inſignis venæ ſubiectus pungatur. Quod vel imperitiâ chirurgi, ſi inter venam & neruum non poſsit diſtinguere, accidit, vel eo in loco ſectionem tentet, vbi neruus venæ incumbit, vti certis in locis fit, vel vehementiùs ferrum impellendo venamque pertundendo, neruum ſubiectum etiam vulneret, tunc pro rationatione læſionis, & prout punctura hæc illius negligitur, vel malè gubernatur, accidentia enarrata, ob cauſas in praxi noſtra propoſitas, in punctura nerui, poſſunt ſubſequi.

Sed & capita muſculorum, ſi per ſectiones eiuſmodi læderentur, grauia quoque inducerent ſymptomata, illorumque tendinibus admodùm vulneratis, in motu ſequeretur defectus: verùm cùm vix adeò imperitus ſit chirurgus, qui tantopere à vena, quam ſecare cupit, declinet, aut tam profundas moliatur ſectiones, hoc erratum vix dũ, quando venam ſecare volunt, committunt.

Hoc noſtrum de grauibus caſibus, quos phlebotomia malè errore vel caſu adminiſtrata, adferre poteſt, ſcriptum iudici obtulimus, & an lithothomus illorum quę mulier paſſa eſt, cauſa fuerit, ipſorum diſcretioni commiſimus; cùm ob neruum læſum, hoc illi eueniſſe, facilè ex dolore, quem mox ab ictu ſenſit, & ſtupore, cæteriſque quæ ſuperuenerunt accidentibus, potuerit colligere.

Pedis inferioris inter eundum in latus inclinatio.

ADolescens quidam studiosus, ambulans, pedem vnum introrsum contorquebat, adeò vt non pedis basi, sed latere externo solo insisteret. Accedebat illius lateris brachij & cruris, ad motum languor & imbecillitas, harumque partium atrophia seu extenuatio, nimiaque mollities & frigiditas.

Causam huius imbecillitatis dixi consistere in maioribus, brachiū & crus adeuntibus neruis, vbi in coniunctione parium neruorum iuxta spinam, supra infraque reticularem dictum plexum constituunt, indeque prodeunt: Sicque spiritum animalem impediri, quò minùs sufficienter musculis hasce sedes mouentibus communicetur, & cùm musculi simul nutrimento ex parte destituantur, atrophiæ quoque in hisce locis occasionem præberi.

Cæterū cū non adeò huius imbecillitatis emendandæ, in qua & multi iam Medici tollenda laborarant, quàm curuitatis huius pedis, incessum legitimum summoperè impedientis, in integrum restituendæ causâ, consilium meum peterent: actuali hoc operâ & per instrumenta rectiùs posse fieri, exposui, docuiq; quâ arte Ocrea esset fabricanda, huic rei accommoda: Nimirùm vt ex tenuibus ferri laminis, intus forisque corio obductis, ocrea hæc cum calceo formaretur, quâ indutâ, pes ne in hanc illámve sedem inclinare, aut abscedere inter eundum posset, firmiter retineretur, sicq; latâ suâ basi, terræ inniteretur, ita enim futurum, longo temporis vsu, pede confirmato, vt astrictis denuò ligamentis tendinibusque, quæ priùs laxa erant, in conuenientem situm pes reducatur. Vti & factum est,

eſt, nam poſt annos aliquot, rectè incedere potuit, nullumq́ue incommodum ampliùs in inceſſu ipſius apparuit.

In alio, ſimilis Pedis inuerſio.

Filius Abbatis cuiuſdam, ab ortu pedem adeò inuerſum habebat, vt conuexâ illius ſede, non plantâ terræ inſiſteret, cui in infantia ocream ſimilem, ſed ex ligno ſic vt induere eam poſſet, fabrefactam, parari curaui, in qua tanquam in modulo, pedem in ſuo ſitu naturali retinendo, idq́ue longo tempore, tandem vt etiam citra illius adminiculum ambulare potuerit, hac arte effeci.

Gibbus.

Gibboſo puero cuidam nobili, cui ſpina dorſi extrorſum admodùm extuberabat, in infantia, thoracem ferreum, qualem armati ferre ſolent, ex tenuiſſimis laminis fabricatum, atque intus foriſq́ue ne nimium illum premeret, pannis ſuffultum, indutum vt geſtaret, docui. Quo facto, cùm eum integri anni ſpatio, dies nocteſq́ue geſtaſſet, eiq; ſic aſſueuiſſet, vt non magnam inde ſentiret moleſtiam, ſenſim preſsâ illâ curuaturâ, ſpina rectitudinem iterum ſuam naturalem eſt adepta, poſteaq; ſemper recto corpore incedens, procerus admodùm eſt factus.

Impotentia crus mouendi, ob fracturam femoris, in deſcenſu ex equo factam.

MVlier nobilis, mediæ ætatis, aliquoties Iſchiadico dolore affligi ſolita, cùm ab equo deſcẽdens, impetu magno in terram pedibus inſiliret,

grauiſſimo dolore, circa coxam ſubitò perculſa, concidit, nec ſtare ampliùs potuit. In lectum deportata, Medicus accerſitus, ex defluxione ſubita, coxēdicum dolorem natum eſſe, ex eo, quòd huic malo eſſet obnoxia, conijciens, quę in eo caſu conueniunt, multa adhibuit remedia. Verùm omnia fruſtra, vnde decocti Guaiaci vſum, cum diæta illi iniunxit, ſed nec ſic malum mitigatum, nec ſtare nec ambulare potuit, crure ſenſim ſeſe abbreuiante, ita vt longum pedem, altero crure breuius eſſet. Sicque lecto, ad annos aliquot detenta, cancro mammillæ inſuper laborare cœpit, ad cuius inſpectionem vocatus, cùm prioris caſus inſcius, inter reliqua, cauſam diuturni decubitus inquirerem, cruſque abbreuiatum viderem, & circa coxam callum durum, in femore contactu deprehenderem, hiſtoriamque, quomodo ab impetuoſo deſcenſu, ab equo hoc illi accidiſſet, audirem, femur ſub coxa fractum, ex eo impetu, dein ex cruris hac abbreuiatione, & callo, collegi, illique expoſui: quod illa verum eſſe, vti & adſtantes, cùm fateretur, & fragorem ſe audiuiſſe, cùm terræ inſiliret, diceret; quod à Medicis & Chirurgis, non fuiſſet obſeruatum, ſed curam coxendico dolori, omnem tam diu fruſtra accommodatam, omnes mirabantur & deteſtabantur.

Dixi eos falſos fuiſſe, ex ſitu doloris, cùm ad Iſchiadicum dolorem prona eſſet: dein & fracturam, cùm adhuc obeſa eſſet, contactu non potuiſſe obſeruari, vti nec callum, qui poſtea in attenuatâ ex morbi longitudine, rectiùs pateret, adhæc non credidiſſe illos, ex ſaltu hoc, crus poſſe frangi.

Quod tamen femur ſub coxa, ab eo impetu perfractum fuerit, atque ex illa fractura abbreuiatum, nec repoſitum, nec inuicem per callum coaluiſſe, collegi ex omnibus circumſtantijs. Hoc cùm illi expo-

exposuissem, & certis his argumentis comprobassem, illa maximè mirabatur, neminem vnquã causam mali deprehendisse, adiecit se neutiquam existimasse, ex tali descensu femur frangi posse, ac licet fragorem audiuisset, ob momentaneum motum, fracturam animaduertere non potuisse, cùm verò exemplo alterius, cui idem eodem contigit modo, illi declarassem, credidit sicuti iam subijciam.

Tibiæ motus impeditus, ob eam in descensu ab equo confractam.

SCultetus quidam, cùm concitato equo, confractis habenis, equum velocissimè currẽtem, ampliùs retinere minimè posset, ne præcipitem illum daret metuens, in ipso cursu, è sella se in terram, supra pedem dextrum, tanto impetu deiecit, vt tibiâ perfractâ, malequè curatâ & curuâ remanente, claudus postea semper permanserit.

Tibiæ confractæ insignis portio adempta.

EX casu tibiæ, portione digitos aliquot latâ exemptâ, nihilominus curatus æger, callo spatium illud adimplente, denuò ambulare potuit.

IN MOTV DEPRAVATO Obseruationes.

Motus totius corporis inuoluntarius, constante nihilominus mente.

INuisi aliquoties mulierem, quæ supina decumbens, pectus in altum adeò attollebat, dorso introrsum flexo, vt inter illud & lectum amplum esset spatium, quod & puer peruadere potuisset:

dein dorso denuò demisso, lectum validissimè concutiebat, sicuti epileptici quidam eiusmodi motus in ordinatos perpeti solent.

Tremor generalis multarum partium, diuturnus.

TRemere seu agitari & concuti inuoluntariè, quorundam non solùm manus, in quibus hoc frequentiùs accidit, sed & brachia, nonnunquam & caput simul, idque non solùm manè, dum ieiuni sunt, sed & reliquo diei tempore, noctuque in recumbentibus, & dormientibus, aliquando obseruaui, atque in plerisq; ad finem vitæ vsque durasse, nec curari potuisse.

Ab ortu quoque hoc cuidam ex ciuibus nostris accidit, qui ad extremam ætatem vsque brachijs, manibus, digitis, pedibus, quibus inter eũdum veluti saltabat, capite item quod agitabat, & maxillâ quâ veluti masticabat, totius corporis tremore & concussione, hac laborabat, nec vnquam quietus, etiam dormiens esse potuit. Et nihilominus tamen in caueis ex filo æneo artificiosè conficiendis auicularum, alijsq; minutis operibus laborans, se suosq; liberos & vxorem alebat. Hunc à continuo hoc tremore, Zitterhanß/ vocabant.

Risus præternaturalis.

CVIusdam monasterij Prior dici solitus, cùm morbo epidemio seu febri malignâ, quæ tunc grassabatur, & multos è medio sustulerat, extremè laboraret, in risum, qui eum nolentem, constante nihilominus mente, exercebat, incidit, adeò validum, vt etiam pręrisu vociferari cogeretur, & perseuerantem, vt præ eo nec dormire nec quiescere posset,

poſſet, vnde tandem adeò accedente vi morbi, debilitatus fuit, vt viribus deficientibus, tandem ſuccumberet.

IN RESPIRATIONIS DEFECTV Obſeruationes.

Dyſpnœa diuturna cum tuſsi, ob defluxum humorum in pectus.

TVſſiebat quidam iam à longo tempore, manè præſertim & ſub veſperam, crudamq; expuebat materiam, ſternutabat frequenter, & coryzâ aliquando quoq; laborans, locaq; montoſa aſcendens, admodùm anhelabat.

Cùm defluxionem à capite in pulmones deſcendere, illicque coaceruari, cæteriſq; pulmonum excrementis per congeſtionem illic natis, cumulari, ex prædictis cognoſceretur; Corpore priùs decenter euacuato, bonaque viuendi ratione, parcâ præcipuè cœnâ inſtitutâ, ſequentia fuerunt preſcripta.

Ad tuſſim mitigandam, Diacodium cum ſapa ſecundùm deſcriptionem Galeni paratum, in introitu lecti, cochlearis vnius menſurâ ſumpſit, ſenſim deglutiendo, vnde tuſſis mitigata fuit.

Præterea vt ſiſteretur catarrhus, vſus eſt placentis, quæ: ℞. nucleorum Pini, maceratorum in decocto Hordei, nucl. Piſtaciorum, Amygd. dul. excort. ana ʒ.vj. pul. Diatragach. Diapenid. ſine ſpeciebus an. ʒ.ij. pulu. Diaieos ſimp. ʒ.j. pulpæ Paſſul. ℥.ß. Sacchari albiſ. ℥. iiij. vel plus, cum inf. gummi Tragach. factâ, in aquâ Roſ. fiant placentæ. De quibus frequenter comedat.

Sumpſit ad eundem vſum, noctu cubitum itu-

rus, vel summo manè, superdormiendo, de sequenti pulte, non nimis spissa sed liquida: ℞. Hordei mundati, in aqua donec dissoluatur, lento igne decocti ℔. ß. adde sequentis emulsionis ℔. ij. extractę ex Amygdal. dulc. excort. ℥. iij. iiij. semin. Frig. mai. ana ℥. ß. sem. Papauer. albi ʒ. iij. semin. Lactucæ ʒ. j. cum decocto Hordei misceantur, & parùm coquantur, donec in pultem, liquidam tamen adhuc, redigantur: Capiat ℥. j. pro vice, addendo Saccharum rosſ. tab.

Capiti adhibuit noctu, Cannabinas stupas, fumo sequenti priùs suffumigatas, dein & cucuphâ, quæ capiti imponenda noctuque gestanda erat, similem fumum excepit: ℞. Thuris, Mastiches, Styracis cal. Ladani. ana ʒ. ij. gummi Iuniperi & Hederæ ana ʒ. j. gummi Sandaracæ ʒ. j. Rosſ. rubr. se. Coriandri an. ℈. ij. puuerisſ. & excipiantur, infuſ. gum. formentur trochisci: Pro fumo.

Vsus est singulis decem diebus exactis, sequenti purgatione, in forma electuarij, sumẽdo ad ʒ. j. pro vice: ℞. Cassiæ recenter extr. Catholici ana ℥. j. ß. Mannæ granatæ ℥. ij. Diacarthami tab. in puluerem redacti ℥. j. cum syrupo Rosar. solutiuo fiat electuarium.

Regimen decens fuit institutum, nec dum postea de defluxionibus, ampliùs est conquestus.

Dyspnœa à defluxione supra septum, subsequente Delirio, ob illius inflammationem.

MEdicus primarius è nostris, An. 1570. Febr. menſ. morbo correptus, de dolore è regione vẽtriculi, cinguli instar ventrem supra lumbos ambiente, potissimùm conquerebatur: respiratio insuper nonnihil impedita erat, pulsus febrilis, quibus

bus per dies octo perseuerátibus, accessit delirium ante obitum, ad extremum vsque de cingulo hoc quo stringeretur & suffocaretur, conquestus. De quibus etsi variæ essent Medicorum sentétiæ, ego septi transuersi causâ hoc euenire, pronuntiaui, defluxionemque primò supra illud, per neruorum ad eum dispersorum, insignium ductum, lapsam, principium morbi fuisse, quam ex itinere, pluuioso & frigido cælo, sibi contraxerat, inde subsecutam inflammationem, calorem, dispnœam summam, tandemque delirium & mortem Anno 1570. sequutam.

Dyspnœa subitanea cum tussi & expuitione, ob defluxionem.

SEnex appropinquante hyeme, cùm aëri frigido nebuloso se exposuisset, profectus ad conuentum Heluetiorum, domum iterum reuersus, noctu catharro subitò infestatus fuit, angustiâ pectoris summâ laborabat, cùm tussi, & excreatione pituitæ albæ, crudæ tenacissimæ, calebat caput & dolebat, sternutatio, vomitus pituitosus, appetentia prostrata, pulsus celer, febris lenta, vrinæ tinctæ, vires admodum prostratæ fuerunt.

Decoctum pectorale, consilio cuiusdam bibit, & tab. Diaireos vtebatur.

Verùm cùm non remitterent accidentia, ab eo vocatus, Lucernam veni Anno 1593. Et quia difficulter admittebat medicamenta, ac morosus erat, coactus fui illi plus quam voluissem, morem gerere. Itaque gratum hunc, primùm exhibui Iulepum: ℞. Aquæ vitæ rectificatæ eousque donec adustionis illum gustum deponeret ℥. ß. aquæ Cinamom. ℥. j. aquæ Rosar. ℥. ß. Sacchari candi albiss. ℥. ij. puluer. rad. Ireos Venetæ ʒ. ß. misce: Capiat

cochl.j.frequenter: cuius vſu tenaciſsimam excrea- bat materiam.

Quia oxymel ſcilliticum,quod dare cupiebam, reſpuebat.& quæ offerre vellem, in Vino vt exhiberem,rogabat,tale illi Vinum præſcripſi: ℞.fol. Marrubij albi, Cardui bened.Tuſsilaginis ſicc.ana M.j. Abſynthij parùm (quia huius guſtu delectabatur) infundantur in Vino albo; Bibat hauſtum manè,ceſſauit vomitus, multumque peſsimæ materiæ expuebat.

Perſuaſi vt pilulas ſumeret,cònſenſit: ℞.pilul. Cocciarum ʒ.j.ol. Cinamom. gutt.iij.fiant pilulæ; Capiat media nocte. Vigeſies ea die deiecit, & ſequenti quoq; aliquoties,ita vt dyarrhœam metueret.Verùm vt benè ſperaret, profuturá enim cum vitreæ pituitæ tantam egereret copiam monui.

Pectori,propter diſpnœá Lac amygd.cùm Oleo amygd.dul. applicare volui,ſed renuit.

Cucupham paraui,quam vna tantum nocte geſtauit,poſtea quia odor illi non placebat,abiecit.

Lotionem itaq; pedum reuellentem talem præſcripſi: ℞.fl.Saluiæ,Betonicæ, Maioranę,Origani, Pulegij, Spicæ celticæ ana M.j. fl. Stæchados P.j. Agarici ℥.ß.bacc.Lauri,Salis an.P.j.coquátur in Lixiuio & Vino albo, & noctu cubitum iturus, aliquandiu in hoc decocto pedes immergat,repetatque diluculo, idq; aliquot dies continuet.

Ad ſiſtendum catharrum,formulas ſequentes in buccis tempore ſomni retinere iuſſi: ℞.ſpec. Diatrag.frig.ʒ.j.Sacchari candi ℥.ß.Roſ.rubr.pulu.℈.j. ſucci Liquiritiæ ℈.ß.ol. Cinam.gut.iij.excipiantur infuſione gummi Tragachant. factæ in aqua Roſ. fiant formulæ.

Hiſce factis & continuatis per dies duodecim, meliùs habere cœpit. Bonâ interim vſus victus ratione, Vinum ſaccharo dulcoratum, Cinamom.

aroma-

aromatizatum & rad. Enulæ & Ireos medicatum, bibere interdum iussi. Atque ita conualuit. Verùm proprio consilio, sequenti æstate thermis vsus, hyeme post apoplexiâ tactus expirauit.

Dyspnœa periodica à defluxione.

NObilissimus ac illustris vir, annos quadraginta quinque natus, his accidentibus, per circuitus infestantibus, jam multos annos diuexatus fuit. Sicuti mihi cum huc ad me veniret consilij causâ Anno 1573. exposuit.

Repentè angustiam & compressionem pectoris sensit, cnm difficultate spirandi, subsequente mox pituitæ aqueæ copiosâ, per screatum, expuitione, tandem quoque tussi, sed circa finem demum, subsequente, concocta quædam reiecta sunt. Quæ incommoda, postquam diem vnum aut alterum perseuerarunt, denuò cessarunt, sed elapsis diebus aliquibus mox iterum redierunt, nouusque paroxysmus superueniens nouam illi peperit molestiam. Per cætera sanus benè habitus & coloratus, nullam in reliquis functionibus corporis sensit læsionem.

In capite autem hanc pituitam, ob excrementorum cerebri copiam illiusq; imbecillitatem natam esse, cùm ille ipse à superioribus eam defluere senserit, non esse dixi quod dubitaret, screatumq;, quo etiam sine tussi pituitá excreauit, hanc ad fauces descendisse, satis ostendere.

Verùm vnde hæc dispnœa, quæ potissimum illum angebat, & primò omniũ inuaserat, prouenerit, de eo fuit quæsitum.

Ego verò, huic dubio respondens, existimaui, eandem aqueam pituitam, cuius portio in fauces illapsa fuit, in musculos thoracē mouentes, non solùm illi incumbentes, sed & costis intertextos, &

ad ſeptum quoq; vſq; neruorum ductum ſecutam, ſtatim in prima inuaſione defluxiſſe, maiorique copiâ, quàm ad pulmones perlatam eſſe, cum hæc reſpirandi difficultas ſine ſtertore facta fuerit, ſed cum ſenſu aliquo ponderis, pectori incumbentis, vel alioquin illius motum impedientis; nec pulmonum, licet diuturnus iam ſit affectus, morbi aliqui ſequantur, aut corporis conſumptio; nec tuſſis moleſta ſit, niſi circa finem demum ex irritatione faucium commota, & quæ non illam pituitam aqueam, ſed alia concocta pulmonum excrementa, ex congeſtione, potiùs quàm defluxione, illic colligi conſueta, propellit.

Ob quam cauſam, phtiſim, ne fortè ſuperueniret, quæ ruptâ potiùs vel eroſâ venâ, quàm ab hac defluxione non acri, alioq; maiori ex parte, quàm ad pulmones delatâ, proficiſcitur, fruſtra nobiliſſimum virum metuiſſe, cenſuimus.

Quod autem tam diu durauerit hoc malum, totiesque redierit, non niſi ob copiam, cerebri excremẽtorum pituitoſorum fieri poſſe, manifeſtum eſſe, cùm ea non per viam decentem, vt nares, quæ ſemper illi ſiccæ fuerunt expurgata, aliam viam quærentia, in dictos muſculos procubuerunt, illorumque portio, quæ ad fauces perferebatur, ſcreatu reiecta ſit. Quæ ſi dorſalis medullæ initium peterent, paralyſin, aut ſi tota illa copia ad pulmones deferretur, catharrum ſuffocãtem dictum, aſthmatis ſpeciem induxiſſent.

Curationis itaq; ſcopus, in morbo hoc diuturno, præcipuus erat, vt congeſtio cerebri pituitoſorum excrementorum impediretur. Quod faciendum, materiam quâ cerebrũ nutriri debet, puram & temperatam reddendo, & cerebro humidiori & imbecilliori, vt illam rectè excoquat, robur addendo illudq; ſiccando.

Impri-

Imprimis autẽ ea viuendi ratione institutâ, vnde sanguis laudat⁹ & purus gignitur, à quo ille qui cerebrũ alere debet, deriuatus, pauciora excrementa in illius nutritione deponat. Temperanter cibos sumendo; Interdum quoque, versus noctem præsertim, ieiunando, quod ego inter præcipua si aliquando à cœna abstinere assuesceret, remedia, quę iuuare possent, statuerem. Cibis vteretur concoctu facilibus, laudatumque succum gignentibus, non excremẽtitijs, & qui conditurâ, atq; aromatisatione, ad calorem aliquem inclinarent.

Quæ omnia iam longo vsu, cùm ipsemet Dominus à Medicis edoctus, quænam illa sint, nouerit, non erat cur ego hæc repeterem. Inter quæ Vinum præsertim generosum, sed moderatè bibere iussi.

Studeat corpus exercere, & suo tempore excrementa egerere. In balneo ieiunus hebdomadatim semel sudet, caput à frigore muniat.

Hisce obseruatis, quod reliqua attinet remedia, cùm iam sæpè purgatus sit, deinceps quoq; hac ratione, prouentus excrementorum impediendus.

Pilularum forma, quâ & libentiùs vtitur, huic rei est aptissima, semel dierum quatuordecim spatio, hisce vteur: ℞. pilul. Sine quibus, Aurearum, Cocciarum an. ℈.j. cum aqua Vitæ fiant pilulæ. Sumat manè ieiunus.

Per vices bis in septimana, leuioribus hisce, duabus horis ante cœnam, vtatur: ℞. pilul. de Aromatibus, Mastichinar. ana ℨ.ij. Agregat. ℨ. j. Sine quibus ʒ.ß. fiat massa cum syrupo de Hyssopo: Capiat ℈.ij. pro vna vice.

Post cibum sumptum, sequenti puluere concoctionem iuuet: ℞. sẽ. Coriandri ʒ.ij. sem. Fœniculi, Carui, ana ʒ. iij. rad. Galangæ, Nucis mosc. ana ℨ.j. Cinamom. ℨ.j. ß. Maioranæ ʒ.ß. Coralli ʒ.j. Saccha-

ri Rof.tab.ad pondus omnium, fiat puluis post pa-
stum, vt vocant sumendus.

Tabulis hisce matutino tempore vtatur: ℞. spe-
cierum Rosatæ Nouellæ & Diagalangæ, de nuce Moschata an. ʒ ß. Cinamom ʒ.ij. Coralli ℥.j. semin. Carui ℈.j. fiat pulu. adde Sacchari dissoluti in aqua Rosarum & Cinamom. q. s. fiant Tabulæ.

Lotiones pedum quoq; adhibeat: ℞. folia Saluiæ, flores Chamomillæ, Pulegium & Origanum, decoque in Vino & Lixiuio, adde pugil. j. Salis & pugil. j Tartari; Quo pedes frequenter abluat, calidè.

Errhinum, aliquot matutinis, post purgationem, non diu ante prægressam, hoc modo naribus indatur: ℞. Maioranam contusam, impone in sacculum sericeum tenuissimum, vt sit instar suppositorij, intingatur in succo Betæ albæ, & intrudatur in nares.

Imprimis verò, licet capiti iam multa adhibuerit remedia, emplastrum tanquam efficacissimum, raso capiti, vel capillis ideò abscissis, vt sine labore emplastrum rursum auelli queat, applicarem, ita vt illi adglutinatum hæreret; Vel si hoc illi displiceret, interpositâ tenui syndone, proximè illud attingeret. Quod dies noctesq; gestaret, atque angariatim renouaret, cuius hæc est descriptio: ℞. rad. Ireos, Galangæ, Cyperi, Angelicæ, an. ʒ.ij. rad. Pyrethri, Agarici, Rhab. rad. Scillæ an. ʒ.j. Sennæ ℥.ij. Maioranæ ℥. j. seminum Coriandri, Baccarum lauri, Gariophyl. Nucis mosc. Maceris ana ℥.j. s. Nigellæ, Sinapis ana ʒ. ß. Benzoini, Storacis an. ℥.iiij. Calchanti albi ʒ. ß. lap. Calami. ʒ. ij. Aluminis ʒ. j. olei Nucum antiquis. addendo guttas aliquot olei de Maiorana & Saluia, per destillat: Laricea resinæ & Ceræ q. s. fiat Emplastrum.

Quòd si his aliquandiu vsurpatis, non remitte-
rent

rent paroxyſmi, vt diætam appellatam inſtitueret, ſuaderem; hac ratione.

Per ſeptimanas ſex, ſi perſeuerare poſſet, bis in die parcè cibum ſumẽdo, vnius ferè generis, aſſam ſcilicet carnem volatilium, vel pecudum iuniorum cum pauco pane, nec ſine ſale, vti in ea re temerè ægros affligunt. Atq; interim ab omnibus iuſculis alijsque cibis abſtinendo.

Manè & ſub veſperá decoct. Guaiaci ſequens ad ℥.vj. vel viij. bibendo: ℞. ligni Guaiaci & cort. raſi ana ℔.j. cum ℔. duodecim aquæ ad conſumptionem mediæ partis decoquendo.

Potus ordinarij ſitis extinguẽdæ gratiâ, Vinum biberet ſed dilutum hoc decocto: ℞. Guaiaci raſi ℥. iiij. cum ℔. vj. ad conſumptionem medietatis, coquat; Vinumq; diluat.

In qua cura ſi perſeueret, hæc illi ſummoperè profutura confido.

Dyſpnœa ex congeſtione humorum.

QVidam ſenex diu tuſſi pectoriſque anguſtiâ, hyemis tempore, ad extremum ferè redactus, non ampliùs decumbere, ſed erectus ſpiritum ægrè, dies noctesque ducere cogebatur, cum ſtertore, ita vt periculum mortis iam immineret, & pro deſperato eum vxor, & liberi, quos multos habebat, haberent. Vocatus 4. Decembr. An. 1600. cùm expectorantia nihil proficerent. Dedi illi ſuccum recenter expreſſum ex radic. Iridis ad ℥. ß. boni ponderis, cum hydromellite vinoſo miſtum, à quo dolorem in ventre ſe ſentire aiebat: Iuſſi vt ſi non ceſſaret, iuſculum ſuperbiberet: quibus factis, deiecit ea die nouies; vomuit viridem materiam copioſè, cum tenaci phlegmate: & ſubleuatus dormiuit per 3. horas, in lecto decumbens, quod diu

ante facere minimè potuerat. Sequenti quoque nocte in lecto permansit, dormiuit, & semel adhuc deiecit, maneq; melius se habuit, & sic conualuit.

Dyspnœa ex collectione aquæ in abdomine, in hydrope.

EIusdem succi ℥. ß. cum Sacchari ℥. ß. & Vini Hipp. ℥ j. hydropicæ matronę, magnâ dyspnœâ toto anno laboranti, & pedibus tumidis, triduo ante exhibui: Vomuitq; inde viscosæ tenacissimęque pituitæ, matellam semiplenam, sedesq; ternas habuit; Meliusq; postea spirare & sperare cœpit.

Dyspnœa in dispositа ad hydropem.

DYspnœa vehementi laborabat mulier quædam, disposita ad hydropem, quod ex tumore pedum, & vrina aquea, cruda conijciebam: prescripsi illi Vinum sequens.

℞. rad. Iridis ℥. j. rad. Enulæ, Scillæ præp. an. ℥. ß. Marrubij M. j. corti. rad. Sambuci & Ebuli an. ℥. j. fol. Sennæ ℥. j. ß. Agarici ʒ. ij. Zingib. ʒ. j. côquassentur pro Vino, addendo ℔. iiij. seu mensur. j. coquantur parùm in duplici vase.

Bibit cubitum itura haustum, per dies sex, cessauitque dispnœa, & tumor euanuit, pulchreque curata fuit.

Dyspnœa in Febre tertiana.

VIde in Febribus Lib. II. Tertiana intermittens duplex &c.

Asthma, ob congestionem humoris viscosi in pulmonibus.

GEnerosus quidam quadragenarius, ante septennium subitò dispnœa correptus, & tussi,

quæ

quæ omnia à catharro prouenisse, Medici existimabant, post curam aliquam denuò ad se redijt. Quinquennio postea eundem paroxysmum passus est, & quia Medici iterum hoc à defluxione à capite labente,illi accidisse, existimabant, licet ille tantum de difficultate spirandi, sine magna tussi, conquereretur,multis euacuationibus,reuulsionibus à capite, inter quas & cauterijs, in vtroq; brachio, & in capitis vertice vsi sunt. Tandem remittente hac dyspnœa, per triennium, mense Februario subitò hæc eum adeò violenter inuasit, vt de suffocatione periclitaretur, Medicis denuò omnia hæc à defluxione in pectus,procedere, existimantibus, & huic curam tantùm accommodantibus, in qua cum & Venæ sectio vsurparetur, ab ea se maximè leuari aliquomodo existimabat, ob quam causam,septies in septimestri,sanguis singulis vicibus nouem vnciarum quantitate illi detractus fuit.

Verùm cùm perseueraret hæc angustia pectoris, ad me consilij gratiâ 1. Septembr. Anno 1613. miserunt,singula quæ acciderunt mihi scripto explicâtes. Quibus Asthma hunc affectum esse, eumque potiùs à congestione in pulmonibus tenacis humoris quàm defluxione dependere, multis argumentis ostendi.

Et præcipuè ut id expectorari posset,curam esse instituendam,remediaque in hunc vsum quædam præscripsi.Inter quæ hæc fuerunt præcipua.

Iulepus: ℞. Spiritus anisi part.ij. Mellis scillit. part j.aquæ Cinamom. part.j. misce: Capiat semicochleare pro vice.

Item: ℞. Oxymel.veri ex hydromel.Maluat. parati par.j.misce Mellis scil.par.ij.syrup. de Hyssopo, de Liquiritia tantundem: Capiat eodem modo.

Vinum medicatum, vt interdum bibat: ℞. rad. liquiritiæ ℥.iiij. radic. Ireos ℥.ij.rad.Enulæ ℥.j.rad.

Angelicæ ℥. ß. Scillæ præpar. ℥. j. Porrorum bulbo- rum similiter præparat. ℥. ij. Siliquar. quart. j. semin. Fœniculi, Anisi ana ℥. j. semin. Vrticæ, Angelicæ an. ʒ. ij. sem. Nasturtij. ʒ. j. Mellis ℔. ß. Sacchari ℔. j. Cinamom. ʒ. vj. Spiritus Anisi ℥. ß. Vini gener. mens. vij. vel viij. feruentur in dolio ad vsum.

Nouem exactis septimanis, 11. Nouembris rursum ad me nobilem equitem ablegauit, significans mihi per literas, ab eo tempore quo ceperit remedijs meis, & præsertim Oxymellite & Iulepo vti, de die in diem se meliùs habuisse, neq; vllas defluxiones sensisse, & nunc sine omni impedimento liberè spiritum ducere, neque angustiam aliquam pectoris aut in pulmonibus sentire, Deo agēs gratias, rogans, vt cùm Vinum saltem restet, de quo manè ante prandium, sumpto priùs iusculo, aliquando ei bibendum, ex quo magnum commodum sentiret, rursum Oxymel cum Iulepo, quæ penè absumpta erant, vt si necessitas requireret, ea ad manum haberet, quod & factum, mitterem. Interim tamen cum grauitatem aliquam capitis, & lassitudinē pedum saltem se sentire simul perscriberet, atque alioquin se sanum & incolumem esse, qui appetitum haberet optimū, enarraret, pro ijs, nō multa illi remedia ordinare, necesse esse putaui, ex persuasione quadam hæc illum magis obseruare, quàm reuera se haberent, illi significaui. Aliquid tamen ad caput roborandum transmisi.

Asthma à calculo, in quatuor ægris.

Pvlmonibus innatum calculum reperi in sectione filij Parci, Typographi Anno 1557.

Alium in sectione studiosi alicuius.

Tertium exereatione reiectum.

In pectore circa iugulum, in medio interseptientium

tium thoracis membranarum, glandulis illis calculos accreuisse, in Anatome obseruaui.

Suffocatio impedita, in quatuor fœminis, quæ in Rhenum proiectæ, supplicij causâ viuæ euaserunt.

PRimò famulus fabri ferrarij cuiusdam, binas illius filias sorores compresserat, vnde ambæ grauidæ factæ, è quibus vnam in vxorem duxit, neglectâ alterâ, quam etiam spe matrimonij deceperat. Ob quod illa indignabunda, negotium cum non ausa esset parentibus aperire, ventrem ex hydrope tumere simulans, rem tamdiu celauit, donec noctu in cubili & lecto sola, infantem viuum pareret, quem, ne eiulatu factum proderet, manu ori admota, suffocauit, & postea domo exportatum, abiecit. Verùm cùm deprehensa, delictum mox fateretur, neci adiudicata, è ponte Rheni pedibus manibusque arctè vinctis, in flumen vt illic submergeretur, à carnifice deiecta est. Per quartam autem horæ ferè partem, aquæ immersa, adeò vt non conspiceretur, ad terminum vsque constitutum, extra vrbis mœnia, vbi eas rursum, more antiquo, mortuas vel viuas extrahere solent, in flumine deuecta, illicque à vespilonibus extracta, rursum respirare & à se redire cœpit. Quam postea inuisens frigore penè enectam, maluatico, confectionibusque refectam, sanam reddidi, quæ postmodum cuidam nupsit, liberosq; procreauit, adhucq; elapsis annis iam ab eo tempore quadraginta sex circiter, est superstes. Huius autem causam diligentiùs indagans, & de singulis inquirens, hanc tandem esse deprehendi: Quòd nimirum ob terrorem mortis, cùm Rhenum inspiceret, & casum cùm à ponte deijceretur, animo defecerit, accedēte quod

deliquium illud iuuit, quòd ſupra funem, qui illi alligatus cum veſica fuerat, cadens, faciem illiſerit, ſicuti ex vibice poſtea apparuit, ex qua concuſsione, grauiorem ſyncopen paſſa eſt, quæ tamdiu durauit, quamdiu in flumine merſa ad locũ, vbi è flumine extracta fuit, delata eſt, vbi ad ſe rediens, exiſtimabat ſe modò à ponte decidiſſe, ſicuti ex ore illius audiui. Quod autem in ſyncope, cordis motu tunc ceſſante, reſpiratione etiam donec cordis motus redeat, carere, vitâ adhuc durante poſsint, alibi demonſtrauimus, illudq; ſæpius in ſyncope vehementi & hyſtericis accidentibus accidere vidimus, vt per horæ ſæpe ſpatium, nec pulſus nec reſpirationis aliqua, vel minima inditia, apparuerint, & tamen poſtea ad ſe redierint.

Secundò annis aliquot poſt, Anno nimirũ 1591. alia ruſtica, quæ prolẽ modò natam ſuffocarat, eodem ſupplicio affecta, & in Rhenum proiecta, viua euaſit, idque, ſicuti ipſe obſeruaui, quòd cùm eſſet ſupparo, ex panno lineo nigro cincta, & reſtibus tranſuerſim vincta, factum, vt aëre ſub veſte retento, quæ madefacta poris occluſis, eum facilè retinere potuit, telâ in aquæ ſuperficie, veſicarũ aërem continentium inſtar, fluctuante, ita corpus ſuſtentarit atque eleuarit, quò minùs in aquam demergeretur, ſed incolumis terminum ſupradictum, à rapido flumine vecta attigerit, atque viua ad portum deducta fuerit.

Tertiò idem contigit, vt eandem ob cauſam, quædam quia pedibus, quibus appẽſæ fune erant veſicæ ſurſum, niteretur, caputq; eleuaret, in Rhenum de ponte deiecta, euaſerit, Anno 1600.

Quartò demùm factum, Anno 1608. Cùm quædam à me de vteri tumore præmonita, quod tamen negabat, fœtum poſt editũ enecaſſet, in Rhenum quoque, vt ſubmergeretur, proiecta, ſtrictè à

lictore

lictore ligata, nihilominus tamen & illa, ad metam vſque extra vrbem, à ponte admodum diſtantem cùm perueniſſet, viua extracta & poſtea libera dimiſſa fuerit.

Suffocatio ex congreſſu.

AMmannus quidam pagi cuiuſdam Heluetiorum, iam ſenex & viduus, cum vxore iuuencula quam recens duxerat, ſe commixturus, in ipſo actu, tantâ dyſpnœâ corripiebatur, & angebatur, vt ob ſuffocationis periculum ceſſare cogeretur. Quod cùm ſæpius tentanti accideret, Medicos atque impoſtores circumforaneos conſulebat, atq; imprimis Paracelſiſtas, quibus plurimùm fidebat, adeò vt exiſtimaret, illos (quod ſe adhuc viuente fieret optabat) tandem remedium, quò mors præcaueretur, inuenturos. Fatebatur quidem, hoc pœnæ causâ ſibi à Deo, cùm admodùm diſſolutè & luxurioſè vixerit, pluresque illegitimos liberos procrearit immiſſum, tamen auxilium paſsim multis promiſsionibus Medicis factis quærebat. Sed cùm fruſtra omnia in ipſo tentata, iam annos aliquot fuiſſent, tandem à coryphæo Paracelſiſtarum Bodenſteno, aliquot ſeptimanas, remedijs ſed ſine fructu, excruciatus, & ſudoribus, quos illi per vim mouebat, pecuniaq; inſuper ducentorum coronatorum exhauſtus, cùm domum reuerſus, ſucceſſum huius curæ experiri vellet, cũ vxore congreſſus, ſtatim, vti prius dyſpnœâ correptus fuit, quâ etſi admodum angeretur, tamen fidens Paracelſiſtæ pollicitationibus, cum nihilominus, vt actum venereum ad finem perducere conaretur, in ipſo opere adhuc vxori incumbens, ſuffocatus interijt. Quem miſerum huius viri primarij apud ſuos caſum, vxor celare cupiens, rem vti acta erat, reticebat, vnde plerique apoplexiâ mortuum

credebant. Ego verò tunc temporis in vicinia versans, ex coniecturis, cùm à viuo ipso priùs, vti dictū, hunc illius affectum cognouissem, & ex vxore aliqua intellexissem, quę causa huius subitaneæ mortis fuerit, facilè & certò potui deprehendere.

Suffocatio à Struma interna abscondita, circa iugulum.

FIlius Marci Peresij, quinque menses natus, benè habitus, nullo præcedente alio affectu, subitò cū stridore & respirationis difficultate è medio sublatus est; quo genere mortis priùs quoque cùm duos amisisset filios, causam scire cupiens, ipso rogante, pectus aperuimus, & in regione iuguli, glandulam illius locij in strumam quandam magnam, vnciam vnam cum semisse pendentem, spongiosam, venisque refertam, & quæ beneficio membranarum duntaxat, vasis maximis illis iuxta iugulum ascendentibus, adhærebat, excreuisse, deprehendimus, carniformi quadam materiâ, & sanguine oppleta, quò subitò irruente strumamque illam dilatante, adeò vt vasa illius loci premeret, suffocatum fuisse infantem iudicavimus.

Suffocationis periculum ab aura quadam, aëre commoto, in quibusdam.

FOEmina quędam, in subitaneum incidit morbum, viribus subitò prostratis, se suffocari indesinenter clamitans, etsi nec stertoris, nec tussis aliqua essent indicia, maximè verò de aura quadā adueniente, si vel leuiter aliquis astantium se moueret, quæ illam opprimeret, conquerebatur, seq; suffocari, si quis propiùs accederet, clamitabat, vix dum

dum biduum in ea anxietate perseuerans, expirauit.

Vidi & alios ægros, de simili aura, quæ eos si quis se illis appropinquaret, in suffocationis periculum induceret, conquerentes, quod semper pessimum esse signum deprehendi.

Suffocationis à catharro ad fauces labente, periculum.

QVod subitam illam difficultatem spirandi, & angustiam circa fauces, & suffocationis periculum attinet, quem catharrum suffocantem vocare solent, non ad pulmones sed fauces delabentem, suasi cuidã, An. 1594. Nov. vt Venam semel in anno aperiret, Veris tempore.

Et vt scarrificatione vteretur, in scapulis ter vel quater in anno.

Pedes item frequenter noctu cubitum iturus, calido hoc decocto foueret, vel in illud imponeret. Quod ex lixiuio in quo Saluia & Chamomilla decocta sunt, paratur.

Purgaret corpus, bis in anno, Pilulis Sine quibus esse volo, appellatis, ad ℈. ij. sumendo, circa mediam noctem; & si bene & citra molestiam operantur, possunt singulis mensibus sumi.

In ipso paroxysmo, vtilis est aqua, quæ fit ex Aqua vitæ benè præparata, cui Saccharum candum, tanta quantitate, vt parùm dulcescat additum sit, & parùm aquæ Cinamomi, cum pauca aqua Rosarum: Et cochleare vnum vel duo mox sumat.

Ac postea Lac caprinum tepidum, in quo Aizoon maius grosse Hauswurtz/ decoctum sit, & radix Altheæ, in ore & faucibus contineret.

Extrinsecùs collo commodè circumdaretur Lanâ nigrâ succidâ, oleo Liliorum inunctâ, calefactâ,

panno cannabeo inuolutâ; Vel si perseueret malum, poterit tale emplastrum collo circumdari:

℞. Nidi hirundinũ ℥.vj. pulueriſetur & coquatur in Vino albo, addendo pulueris Baccarũ lauri ℥.j. Mellis ℥.ij. olei Liliorum ℥.iij. fiat instar emplastri: Quod supra pannum extensum, tepidè collo circumdetur.

Hæc plurimum profutura, Deo iuuante, me sperare dixi.

Catharrus suffocans.

IN lotura linteaminum, matrona nobilis, noctu & interdiu frigori se exponẽs, mẽse Nou. An. 1597. linteaque madida & frigida manibus versans, media nocte febre correpta, summam pectoris angustiam sensit, & spirandi difficultatem, cum stertore graui, qui in pulmonibus audiebatur, idq; præsertim, cùm in latus dextrum decumberet, doloremque in sinistro potissimum latere sentiebat, non solùm intrinsecùs sed & in mamma illius loci.

Ostendi defluxionem non solùm in pulmones delapsam, illosque nonnihil accensos, & peripneumoniam esse, sed & in thoracis musculos decubuisse.

Cruda tantùm expuebat: Et licet expectorantia varia propinerentur, forisque pectori, laxantia & maturãtia apponerentur vnguenta, cataplasmata, tamen increbrescente dyspnœa, & stertore, tertio postea die, circa medium noctis, expirauit.

Vteri suffocatio lethalis.

ANcilla mihi famulans, annorum circiter triginta sex, virgo adhuc, robusta, fusca, & sana, cùm 4. Iunij Anno 1613. in ædibus meis, ex conclaui, vt in forum abiret, se in aulam conferret, subitò syncope correpta, in pauimentum prona in faciem

faciem cecidit, quam mox accurrentes cum erigeremus, ad se rediit, rursumque loqui nosque cognoscere cœpit, & conqueri, de eo, quod sibi acciderat; nunquam tale quid antea passa, præsertim verò de dolore vehementi cordis, corque suum à re quadam rodi dicens: statimque cum clamore ad vomitionem aliquoties impellebatur, adeò vt nihil sumere posset, sed mox denuò in deliquium incidens, sedens, retenta à nobis, ne retrorsum caderet, sine sensu & motu, ac respiratione, pulsu penitùs destituta, mortuæ instar, vti reuera erat, mortali flauescente colore, discolorata, sudorem frigidum exsudans, non ampliùs ad se rediit, licet speraremus, cùm viderem vteri hanc suffocationem esse, quæ cordi insidians syncopen grauem efficit, eam fortè cessaturam, quod tamen non euenit, sed intra semihoram, animam efflauit.

Hysterica accidentia, in virgine.

Virgo nobilis, rubicunda, bene habita, nubilis, fastidiens matrimonium, annos viginti & plures ætate superans, frequenter hystericis accidentibus infestabatur, cum incipiente cardialgia, vnde valde circa præcordia angebatur; postea delirabat, corpus concutiebat, inde sine respiratione ac si expirasset, aliquamdiu iacebat, donec vomitu superueniente, somnoque correpta, eo perfecto ad se redibat.

Cùm aliquando præcautionis gratiâ. Diacydonites lucidum scammoneatum, illi vt extra paroxysmum eo vteretur, dedissem, illaque id seruans ad dies aliquot, cum paroxysmi incipientis præludia sentiret, etsi non hoc iusserá, sponte purgans illud, quod ob gratiam libenter sumebat, assumpsit, & mox superueniente deiectione per aluum, à paroxysmo liberata fuit.

Cæterùm cùm nihilominus, post tempus aliquod elapsum, denuò hoc malo corriperetur, quo iam annos aliquot per vices grauiter molestata fuit, sequentibus pilulis aliquoties vsa, curata fuit, quæ tales erant: ℞. pilul. de Hiera, Agregat. an. ℥. j. sem. Viticis, Myrrhæ, Castorei an. ℈. j. cum syrupo de Arthemis. fi. massula: Capiat ℈. ij. pro vna vice, in 9. pilulas formatos.

Vteri suffocatio cum dentium dolore.

Vide in Dentium dolore Lib. 11. Dentium dolor, &c.

Hysterica accidentia in matrona.

MAtrona quædam annos 45. nata, quæ quatuordecies pepererat, ab vltimo partu, ante quinque annos facto, laborabat hystericis accidentibus, quæ certis temporibus, veluti per paroxysmos ipsam inuadebant, sentiebatque ante inuasionem, vapores sursum versus, à sinistro præsertim hypochondrio eleuari, in quo & punctiones experiebatur, vti & dolores stomachi, cum singultu. Aluus insuper difficulter respondebat, menstruorumque fluxus ordinarius cessauerat, quod ob ætatem quâ erat, non mirum fuit.

Post remediorum, ab alijs præscriptorum frequentem vsum, ad vapores illos tetros discutiendos, & obstructiones venarum mesaraicarum, potissimùm circa lienem, soluendas, & illuuiem circa venas vteri collectam, expurgandam, præscripsi sequentia An. 1604. Martio mense.

Pilulas: ℞. sp. Hieræ simpl. ℥ j. Mechoacæ, Rhabarbari, an. ℥ j ß. Turbith ℥. j. Tartari vini albi ℥. ß. Zingib. ℈. j. Myrrhæ, Castorij an. ℈. ß. sem. viticis, Dauci an. ℈. j. Diagryd præpar. ℈. j. cum syrupo de Arthemis.

Arthemisia fiat massa: Capiat ℥.ß. vel ℈.ij. hebdomadatim.

Vinum vsuale, quod in principio mense bibat: ℞. rad. Valerianæ, Mei an. ℥.vj. Imperatoriæ, Angelicæ an. ℥.iij. herb. siccarum Melissæ, Maioranæ, Arthemisiæ, Thymi, an. ℥.j.ß. Absynthij ℥.ij. fol. Rosmar. Pæoniæ, Lauandulæ, an. ℥. j. seminis Cimini ℥.j. sem. Pæoniæ ℥.ij. sem. Fœniculi ℥ iij. bac. Lauri, Iuniperi an. ℥. ß. Plantag. fol. sicc. nu. x. Infundantur in mens. xij. Vini: Et de eo bibat.

Dolore admodum vrgente, iussi vt caperet Mitridati ℥.j. ß. cum Vino.

Crustam Panis intinctam in Vino rubro, inspersso pul. Absynthij & sem. Cimini, adhibuit Ventriculo in paroxysmo.

Et postea sumpsit de hoc puluere ad præcautiotionem aliquoties: ℞. sem. Cimini ℥.ß. rad. Imperat. ℥.j. Piperis ℈.j. cum Vino Maluatico sumat ℥.ß. pro vice. Sicque restituta fuit.

Hysterica accidentia, cum Cardialgia & Animi defectione, quæ multos annos durarunt.

Virgo nobilis, trigesimâ maior, macilenta, candida sæpè ventriculi doloribus, quos cordis vocant, infestari solita, & doloribus lumborum, mensium instantium tempore, mense Februario An. 1598. cùm alteri ægrotæ virgini adesset, quæ morbo subitaneo extincta fuit, perterrefacta, & simul ob mortem amitæ suæ vehementer tristata, in morbum incidit, quo appetitus prostratus, corpusque admodum debilitari, consumique cœpit.

Cùm 12. Februarij id mihi exposuisset, meo Cõsilio, sequens vinum, tribus primùm diebus continuis, postea alternis aliquoties bibit, vnde benè

purgabatur, ſenſimque appetitus & vires redire cœperunt, cuius deſcriptio talis erat: ℞. rad. Aperit. an. ℥. ß. Abſynthij ʒ. iij. ſum. Centaurij ʒ. j. Maioranæ, Chamæpith. Chamædryos an. ʒ. ij. ſeminis Fœniculi ʒ. j. ß. fol. Senæ ℥. j. ß. Agarici ℥. ß. Zingib. ʒ. j. Conquaſſentur pro menſ. j. vini, coquendo in duplici vaſe.

Poſtea ſequenti puluere vſa eſt: ℞. ſp. Arom. Roſ. Diagalangæ an. ʒ. ß. Cinamomi ʒ. j Maioranæ ʒ. ß. ſeminis Fœniculi. ℈. ij. Piperis ℈. ß. Sacchari q. ſ. fiat Tragema: Vtatur cum cruſta panis intincta in vino.

Inungebat ventriculum ſequenti inunctione: ℞. olei Nardini, Amygd. am. Maſtichini an. ℥. ß. Gariophyll. Maſtiches an. ʒ. ß. Ceræ parùm, fiat Linimentum.

Ab hiſce cùm benè ſe haberet aliquandiu, factū eſt primo Aprilis die, vt Cardiacâ ſubitò prehenſa, animo delinqueret, cum horrore pedibus tantùm trementibus, & palpebris oculorum nictantibus, ac veluti præter voluntatem conuulſis, extremis ſummè frigidis, & poſtquam ad ſe redijſſet, de Cardialgia, Cordis palpitatione in ſiniſtro latere, capitiſque ſed non magno dolore, conqueſta fuit, moxque iterum animo deficiebat, idque ſæpius. Pulſus alioquin, cùm ſe recollegiſſet, non febrilis. Quibus ſtatim menſes ſuperuenêre.

Accerſitus, ſuffocationis vteri ſpeciem eſſe, iudicaui, iuſsique mox pedes calidis pannis confricare, vti & manus quæ ſummè frigebant.

Pulſibus Gariophyllos contuſos cum Croco, Aqua & Aceto roſaceo applicui.

Naribus ol. Succini olfaciendum admoui, vti & Caſtoreum.

Volui illam reficere iuſculis, verùm ſtatim propinato cochleari vno, animo deficiebat, vti & exhiben-

hibente me potum; & quando vel tantillum somnus eam prehendebat: ob quam causam tota die nihil sumpsit, præter Piperis grana quinque confracta, cum cochleari vno Vini, quæ illi cùm de summa ventriculi frigiditate conquereretur, exhibui. Interim quoque cort. Citri condito, manu Christi, Morsellis ros. eam reficiebam.

Sub noctem remittentibus nonnihil animi defectionibus, nec nisi aliquid illi offerretur, redeuntibus viribus, admodùm prostrata erat, & cùm sub noctis medium, somnum tantillum capesceret, eo subitò finito, denuò paroxysmo illo, cum tremore pedum, & palpebrarum, animique deliquio, aliquoties correpta fuit.

Manè reuersus, suppositorium commune immittere iussi, sed ferre minimè potuit, nec Clysma admittere voluit. Puluerem sequētem, vt sumeret, cum crusta tenuissima panis, in Maluatico vino intincta; & vini tantillo antiqui diluti, aqua Melissæ, superbiberet, hoc pacto ordinaui: ℞. tab. Diamarg. frig. ℥. ß. sp. Cord. ℈. j. Cinam. ʒ. ß. Sacchari Ros. tab. ℥. j. fiat puluis: Vsa aliquoties eo, Iusculi Caponis cochlearia tria, circa meridiē assumpsit, nec animo defecit.

Pulsibus & Cordi sequens epithema applicatum fuit: ℞ aquæ Ros. ℥. iiij. Melis. Buglos. Scabiosæ an. ℥. j. succi Limon. ℥. ß. Sp. Diamarg. frig. ʒ. j. aceti Ros. ℥. ß. succi Pomorum redol. ℥. j. fiat Epithema cum Serico chermesino.

Et quia sinistrum hypochondrium admodum pulsabat, illique tunc præ cæteris negotium facessebat, fotum hunc cum spongia, aliquoties calidum adhibuit: ℞. rad. Cyperi, Galangæ an. ℥. ß. herb. Maioranæ, Absynth. Spicæ Celt. an. ʒ. iij. Ros. rubr. flor. Rosmar. an. ʒ. ij. sem. Fœnic. Carui an. ʒ. j.

Garioph. Nucis mosc. an. ʒ.j. ß. Conquassentur, decoquantur in vino. Pro fotu.

Sub noctem & circa medium noctis denuò paroxysmos aliquot passa est, quibus remittentibus, aquâ Cinamomi, cui manus Christi permiscebantur, corroborabatur. Nec enim adhuc iuscula frequentiùs exhibita, ferre potuit, & Vinum quod ægrè sumebat, amarum penitùs illi videbatur.

Tertio die persuasi vt Clysterem sumeret talem: ℞. rad. Altheæ, Liliorum an. ℥.ij. herb. Betonicæ, Maioranæ, Matricariæ, Arthemisiæ an. M. j. flor. Stœch. Lauandulæ, Buglos. Borrag. an. P. j. se. Carui ʒ.ij Furf. P. j. fiat decoctio pro duabus vicibus; dissolue in ℔. j. colaturæ, Bened. lax. Hieræ picræ an. ʒ.ij. ol. Rutacei ℥.ij. ß. Mellis anthos. ℥.j. Salis parùm fiat Clyster. Cuius vsu non multùm deiecit, sed tamen eo die paroxysmos pauciores habuit, ita vt non omninò animo deficeret, nec palpebrarum illa agitatio illam exerceret. Pergebat in vsu Pulueris, Epithematis, & Fotus.

Sub noctem sumpsit sequens: ℞. Confect. Alkermes ℈.j. superbibat aquam Cinamomi cũ aquâ Melissæ. Ea nocte bis somno correpta, singulis vicibus ferè per horam dormiuit, nec ita malè, vt priùs, post somnum se habuit.

Matutino tamẽ tempore, quarti diei, iterum imbecillitates illas, palpebrarumque agitationes persensit, atque in imo hypochondrij sinistri, & circa vteri regionem, torsiones & pulsationes.

Clysterem hunc inijciendum curaui: ℞. Clysterem priorem, addendo Lariceæ diss. in vitello oui ʒ.ij. Mellis anthos. ℥. ij. succi Betæ ʒ.vj. Castorei ℈. j. misce, non diu retinuit. Deiecit nigram & duram materiam.

Emplastrum sequens pulsantibus arterijs, circa imum ventris applicui: ℞. Theriacæ ʒ.ij. rad. Pæo-

niæ

niæ ʒ.ß. Cimini ʒ.j. ſucci Meliſſæ q.ſ. ad incorp. adde pul. Meliſſæ & Maior. el. de Baccis lauri: Pro emplaſtro.

Sub veſperam ſitiebat nonnihil, & quia nullum cibum adhuc admittebat, præter Cochl.j. aut alterum iuſculi, cuius vſu tamen Cardialgia redibat, Lac amygdalinum quoque vt biberet, iuſsi, ad ardorem, quem ſentiebat, ventriculi contemperandum.

Quinto die manè, denuò pulſationem in ventre & hypochondrio ſentiebat, dedi lene ſolutiuum, neque enim è lecto ſurgere poterat, quin animo deficeret, Syr. Roſ. ſol. cum infuſ. Rhabarbari ℥.j. cum aqua Buglos. & Meliſſæ diſſol.

Cûm non deijceret, veſperi Clyſterem inijcere iuſsi: ℞. Furfuris, Hordei integr. Cicerum rub. ana P.j. fiat decoctio, diſſolue Mellis roſ. ℥.j.ß. Sacchari rub. ℥.j. Hieræ log. ʒ.ij. olei Anethini ℥.j.ß. Salis parùm, fiat Clyſter.

Deiecit nigram copioſam materiam. Sed horâ nonâ veſpertinâ, grauem ſyncopen paſſa eſt, cum tremore, debiliſque ea nocte fuit.

Sexto, verſus diluculum, vires recolligebat, calebat, & corpore vda erat, vrinæ craſſæ, rubræ, cum ſedimento copioſo fuſco. Exhibui hunc potum: ℞. Mithridati ʒ. ß. ſemin. Cimini ℈. ß. miſce, Capiat hunc bolum, ſuperbibendo aquæ Meliſſæ & Vini an. cochl. ij.

Item: ℞. fol. Filicis, Leuiſtici cum radicibus an. M.j. fol. Rutæ M. ß. coquantur in vino; Pro fotu regionis vteri.

Poſtea affigat cucurbitulam magnam, ſupra vmbilicum, cum flamma.

Quibus remotis, hoc emplaſtrum vteri regioni applicetur: ℞. Galbani ℥.j. Styracis liquid. ʒ.j. cum ol. Nardino ſubigatur, fiat emplaſtrum, extenſum

supra corium, conspergatur puluere Gariophyll.

Vesperi iussi repetere Epithema Cord. addēdo succi Pomorum redol. ℥.j. ß. aquæ Pæoniæ ℥.j. Santali albi & rubri an. ʒ.j. misce.

Iulepum item ordinaui: ℞. Iulep. Rof. Syr. de limonibus, Miuæ Cyton. an. ℥.j. aquæ Meliss. ℥.j. Cinam. ℥. ß. succ. Limonum ʒ.j. misce.

Septimo die Clyster fuit iniectus, post meridiem talis, quem per tres horas retinuit: ℞. Maluæ, Atriplicis, Mercurialis, Matricariæ, Buglossi, Borrag. vtriusque, Fumariæ an. M.j. fl. Cham. Melil. Sambuci an. P.j. Ficuum numero 12. Furf. P.j. sem. Carui, Sesel. an. ʒ.j. Cimini ʒ.ij. fiat decoct. diss. in ℔.j. Mellis Rof. ℥.j. Sacchari rub. ℥. ß. Confect. Hamech ʒ.ij. Cass. cum melle ℥. ß. ol. Chamom. Rutacei an. ℥.j. fiat Clyst. Repetitus fotus & emplastrum. Horror manè & vesperi, subsequente calore, superuenit, quo tempore epithema semper applicatum fuit.

Octauo repetijt Mithridatum, cum Cimino manè, suauiter dormiuit, Epithemate vtebatur, quum calebat.

Verùm quia aluum non deijciebat, nec remittebant horrores, calores, ipsaque tota prostrata esset, orisque ingratia summa adesset, ea die qui nonus erat, cùm non ampliùs animo ita deficeret, sequentem potionem purgantem exhibui: ℞. tab. Diacarthami ʒ.j. ß. el. Diaphoen. ʒ.j. Syr. Rof. sol. cum inf. Rhab. ℥.j. aquæ Cinam. ʒ.ij. aquæ Betonicæ & Bugloss. q.s. fiat potio. Ab ea tota die & nocte sequente, singulis ferè horis, bis deiecit. Sed ventriculus admodùm offensus erat, singultiebat, orisque aderat amaritudo. Iussi itaque sequenti die Crustam panis, in aceto Rof. intinctam, & Vino albo, asperso puluere sequente, ventriculo applicare: ℞. Mastiches ʒ.j. Rof. rub. ʒ. ß. Garioph. ʒ.j. fiat puluis.

Dedi iterum Mithridati ʒ.j. Et cessarunt deiectiones, vrinarum color naturalis, redire cœpit, cum laudata hypostasi, nocteque sequente benè dormiuit.

Vndecimo manè appetitus rediјt, & paulatim sequentibus diebus cessarunt accidentia, tamen prostratis admodum adhuc aliquandiu erat membris, ita vt nec sedere diutiùs, longè minùs incedere posset.

Corroborabatur interim cibo exquisito, & congelatis instaurantibus, potuque vini, vtebaturque cõserua sequẽti: ℞. conf. Ros. cort. Citri cond. conf. Maior. an. ʒ.ij. syr. Cyton. q. s. Sp. Arom. ros. ʒ.j. fiat elect. Capiat instar Castaneæ.

Quia aluus non respondebat, ad dies sex, post prægressum purgans, Mannæ ℥.j. in iusculo cum Syrupo Ros. inf. Senæ ℥.j. bibit, alteroq; primum die deiecit.

Appropinquante septimana, quâ menses denuò fluere debebant, cùm prius rectè valuisset, iterum cœperunt horrores, calores, imbecillitates sese proferre, atque in sinisto latere, motus & rugitus, ita vt metueret ne fluentibus mensibus, in priora recurreret symptomata, ad quæ precauenda, dedi primùm potio. ℞. Syr. Ros. sol. cum inf. Rhab. ℥. j. elect. de succo Ros. ʒ. ij. aquæ Endiuiæ & Buglos. an. ℥. j. aquæ Cinam. parùm, misce.

Iulepum sequentem tribus bibit vicibus: ℞. syr. de Betonica, de Cich. simpl. Ros. sol. ana ʒ. vj. aquæ Endiuiæ, aquæ Gentianæ an. ℥. j. misce, adde parùm aquæ Cinam.

Absoluto eo, sic purgata fuit, vnde multùm deiecit: ℞. Syr. Ros. sol. cum inf. Rhab. ℥. j. el. de succo Ros. ʒ. ij. Diaph. ʒ. j. cum aquis Beton. & Artemisiæ, fiat potio.

Sequenti die 27. Aprilis: ℞. Mithridati ℥. j. pulu. Cimini ℈. j. misce: Capiat; & quia circa vterum & dorsum tensiones sentiebat, cucurbitulas iussi vmbilico applicare.

Vt menses promouerentur, quorum tempus iam aderat, venam malleoli in vtroque pede, quia parciùs sanguis fluebat, aperire iussi, idque manè, & horâ quintâ post meridiem, superuenerunt menses.

Quia calebat nonnihil, Iulepum ord. ℞. Iulep. Viol. Rosf. an. ℥. j. aquæ Cinam. ʒ. j. misce: Capiat frequenter cochl. j.

Altero die symptomata priora, & præsertim ardor ventriculi eam diuexabant & debilitabant, dicebatque menses parciùs fluere, eamque causam esse. Iussi itaque fl. Borrag. & Buglos. Melissamque arida in vino macerare, & haustum bibere. Repetere item Epithema cordiale. Dedi tab. Diamarg. eaque nocte copiosiùs narrabat fluxisse menses, quàm iam multis annis antea.

30. Aprilis, perrexit in vsu vini illius, & cordialiũ.

1. Maij, quia non deiecerat iam à sex diebus, dedi hanc inf. vt aluum solueret, & menses, quæ adhuc paulisper apparebant, promoueret: ℞. fol. Senæ ʒ. vj. se. Fœniculi ʒ. j. fol. Melissæ, fl. Cord. an. P. j. Maceris ʒ. j. Absy. ʒ. j. ß. vini mens. j. Bibat haustum. Deiecit ter sine molestia, sed quia è lecto, vt alvum redderet, surgebat, horror eam invasit, quo mox remittente, dextrũ brachium, per tres horas, continuò tremebat, & agitabatur inuoluntariè, quod & calebat, cùm sinistrum frigeret, cœpit inde sensim incalescere, sitire: nox tamen quæ secuta, placida fuit, dormiuitq;.

2. Maij, cùm menses remittere inciperent, iterum bibit priùs vinum non purgans, dilutum tamen, & perrexit in vsu tab. Diamarg.

Ab eo

Ab eo tempore, cœpit per dies aliquot, meliùs habere, cibum capere, dormire, non tamen adhuc spontè ambulare, adeò erat prostratis adhuc viribus.

Circa 6. Maij, ardorem maximum sub vesperam præcipuè sentiebat, circa orificium ventriculi, è sinistro veluti latere prodeũtem, in quo ardorem se sentire dicebat, à quo corpus nonnihil incalescebat, tussiculâ exiguâ molestante.

Illuuiem itaque in venis meseraicis adhuc restare agnoscens, Clysterem die 7. Maij hunc præscripsi: ℞. rad. Liliorum ℥.ij. Althææ ℥. j. herb. Maluæ, Atripl. Betæ, Buglossi vtriusque cum rad. ana M.j. fl. Chamom. Meliloti, Viol. Anethi, Bugloss. Borrag. ana P.j. s. Carui ℥. ß. Cimini ʒ.j. s. Fœniculi ʒ.ij. fiat decoctio dissol. Mel. ros. ℥.j ß. Sacchari rub. ℥.j. succi Mercurialis ʒ.j. Bened. lax. ʒ.ij. Salis parùm, ol. Aneth. Rutacei an. ℥.j. ß. fiat Clyst.

Item latus sinistrum postea inungebat: ℞. olei Anethin. ℥.j. ß. de Capparib. ℥. ß. rad. Azari, seminis Apij an. ʒ. ß. Ceræ q. s.

8. Maij, puluerem post pastum ordinaui: ℞. seminis Fœniculi ʒ.ij. s. Anisi ʒ. iij. Carui ʒ. j. Cimini ʒ. ß. fl. Cord. ℈.ij. Sacchari ros. tab. ℥.j. fiat puluis.

Verùm cùm ardor nihilominus & calor ille alternis diebus potissimùm redirent, **10.** Maij, denuò Clysterem inieci: ℞. priorem &c.

Sub noctem Mithridati ʒ.j. exhibui.

11. Potionem hanc propinaui, cuius vsu plurimùm sine molestia deiecit: ℞. Cassiæ rec. extractæ ℥.j. Syrup. Ros. solut. ℥.j. ß. aquar. Endiuiæ & Bugloss. q. s. fiat potio.

Postea per triduum vsa fuit hoc apozemate: ℞. rad. Aperit. cort. Cappar. rad. Liquirit. an. ℥.j. ß. Arthemisiæ M. ß. fl. Cord. p.j. s. Fœn. ʒ.ij. Anisi ʒ. ß. Epithymi ℥. ß. Bethonicæ M.j. Tamar. ℥.j. Sennæ ℥.j. ß.

ſem. Carthami ʒ. vj. fiat decoctio in Aqua & pauco Vino, inf. in col. Rhabarb. ʒ. j. ß. Agar. ʒ. ij. Zingib. ʒ. ß. fiat expr. diſtol. Syrup. Roſar. ſol. ℥. j. fiat potio: Pro tribus vicibus. Immenſam copiam indies deiecit, decies, duodecies & ampliùs, facileq; tulit.

Cùm nihilominus ardor ſub veſperam infeſtaret, dedi 17. Maij, tempore ſomni, tabulam vnam infuſionis narcoticæ meæ, placidamque habuit noctem.

Dein ſequenti die iterũ de hoc apozemate ſumpſit hauſtum addendo Rhab. inf. & expreſ. ℈ ij. el. de ſucco Roſ. ʒ. ij. Miſce, à qua plurimùm iterũ purgata fuit, meliusq; habere cœpit.

Dein ſic corroborata fuit: ℞. conſ. Bugloſ. Viol. ana ʒ. ß. Sacchari Roſ. tabul. q. ſ. fiat Bolus.

Verùm cùm eâ ſeptimanâ tempus inſtaret menſium, & circa initium illius 21. Maij, dolores tum in lumbis rurſus ſupenirent, metuens denuò paroxyſmos illos, qui iam bis illis fluentibus ſuperuenerunt, iuſſi pedes in hoc decocto indies bis immergere, ſuffitumque inferioribus excipere: ℞. rad. Ireos, Rubiæ maj. Liliorum ana ℥. ij. herb. Arthemiſiæ, Nepetæ, Matricariæ, Meliſſæ ana M. j. ß. Chamomil. Anthos, Baccar. Lauri, Iuniperi an. p. j. ſem. Seſeleos ℥. ß. miſce pro decocto ad fotum.

23. Iuſſi triplicatis ſimplicibus, ex illis balneum parare, in quo manè & veſperi parumper ſedebat, eoq; ardorem mirè mitigari dicebat.

24. Cùm iam altero poſt die, dies adeſſet menſtruus, propinaui manè hunc Iulepum: ℞. Syr. de Arthemiſia ℥. *j.* ß. aquarum Pulegij, Meliſſæ ana ℥. *j.* ß. aquæ Cinamomi ʒ. *ij.* fiat Iulep. Capiat ſtatim dum ieiuna eſt, antequam intret balneum.

Quo ſumpto, manè horâ octauâ menſes ſuperuenerunt, in quorum principio, non alia grauiora ſymptomata paſſa eſt, quàm quòd animo ſemel

mel delinquebat, admodumque prostrata erat.

Et quia parciùs fluebant, iussi infusionem flor. Borrag. & Melissæ recentium, in Vino factam, manè & vesperi bibere, quod & sequentibus diebus fecit, & lotione pedum ex decocto quoque balnei vsa est.

Interimque semel adhuc, sub noctem Tab. extr. narcotici ʒ.ß. & gran. iiij. sumpsit, quietamque noctem habuit.

Absolutis mensibus, die 2. Iunij, Balneo hoc vti incœpit. Ex rad. Liliorum, Rubiæ, Valerianę, Ireos, herb. Matricariæ, Arthemisiæ, Pulegij, Sabinæ, Leuistici, Melissæ, Calamenthæ, Rutæ, Nepetæ, flor. Chamom. Sambuci, Baccis lauri, Iuniperi, Seminibus lini, Fœnogr. decoctis decenti quant. in Aqua. Manè quidem horas 3. à prandio horas duas in eo sedebat, beneq; ferebat, ardorq; ille lateris sinistri, quoties eo vtebatur, mitigabatur.

Post octiduum eam purgaui, eoq; die à balneo abstinuit, finitoque rursum ad Balneum redijt. Prima purgatio talis erat: ℞ fol. Sennæ ℥. ß. sem. Anisi ʒ. j. fl. Cordi. P. j. Absynth. ʒ. ij. fiat decoctio in Aqua & Vino, in colatura inf. Rhab. el. ℈. iiij. Agarici ʒ. j. Zingib. ℈. j. Cinamom. ʒ. ß. fiat expr. dis. Syrup. Ros. sol. ℥. j. fiat potio.

Octiduo ante tempus mensium, rursum dolores dorsi & hypochondriorum se manifestabant, sensimque appetitus minui cœpit, vrinæq; turbari, cum sedimento nigro, vti priùs quoque eo tempore semper accidit, rursum eam purgaui.

Denuò postea balneo vsa ad 17. Iunij vsque, quo die cùm Symptomata augerentur, mensiumque tempus appropinquaret, manè postquam balneo vsa esset venam in vtroque malleolo apperui, in sinistro copiosè fluxit, sub vesperam menses superuenerunt, sumpserat eâ nocte tabulæ narcoticæ puluerem.

Sequenti die cùm iam triduo non deiecisset, & ardor vehemens esset, Clysterem inieci, vnde bis deiecit.

Satis copiosè sed fœda fluxerunt menstrua, debilis erat, præscripsi: ℞. Mithridati, conf. Alkermes ana ʒ. ß. misce.

20. Iunij iussi syrupum Ros. sol. cum aqua dissoluere & bibere, quia constipata erat, & Vinum respuebat, menses non fluxerũt hoc die, sub noctem redierunt. Iussi manè in Vino inf. Arthemis, Melissam, Maioranam, & fl. Borrag. & bibere haustum, & redierunt ea nocte menses, hocq; die & sequenti, sed parcè fluxerunt.

Absoluto tempore mensium, quo semper debilis fuit, & in lecto mansit, fastidioq; cibi laborauit, sensim iterum se recolligere cœpit. Sed de ardore sinistri lateris & Ventriculi semper conquesta, quẽ sæpè & præsertim interdiu patiebatur, & cùm parùm dormiret. Dedi ℈. ij. Narcotici extr. suauiterq; ea nocte dormiuit.

Sed cùm ardor adhuc per vices reuerteretur, ipsaque sæpè sanguinem expueret, sed sine tussi, de nouo purgare constitui. Dedi itaque 29. Iunij: ℞. Cassię rec. extr. ʒ. vj. el. de succo Ros. ʒ. j. ß. cum Saccharo fiat bolus, à quo bis aluus soluta fuit.

Altero die venam brachij sinistri aperui, sanguisque fluxit ad ℥. vj.

Tertiò, qui primus erat Iulij sumpsit: ℞. syrupi Diasereos ℥. j. ß. de Cich. cum Rhabarb. ℥. ß. aquæ Betonicæ, Cichorij, Endiuiæ q. s. fiat Iulep.

Dein vsa est hac infusion. ℞. rad. Cichoreę, Graminis, Fœniculi, cort. Capparor. Tamaricis an. ℥. ß. rad. Gentianæ ʒ. ij. Absynthij ℥. ß. sum. Centaurij, ʒ. ij. fl. Cord. ʒ. j. ß. fol. Sennæ ℥. j. ß. conquassentur, bulliant in mensur. j. Vini, in duplici vase. Postea suspende nodulum factum, ex Agarici ℥. ß. Rhabar. ʒ. ij.

℥.ij. Zingib. ʒ. ß. Tartari ʒ.j. limat. Chalyb. præpar. ʒ.ij. fiat puluis, pro nodulo. Bibit duabus vicibus, fœdamque excreuit sæpiùs materiam.

Et quia hospitium mutabat, atq; impedita erat, iussi illam dies illos quiescere, posteaque iterum biduo ea vsa est, deinde quieuit cùm benè se haberet.

Cùm tempus instaret menstruum, cœpit iterum dorsi dolores & torsiones in Ventre sentire, nondum tamen decumbere & sanguinem spuere. Verùm cùm 15. Iulij, quo fluere debebant, non superuenirent, iussi vti lotione pedum ex decocto Chamom. & Arthemisiæ. Item in Vino infundere Rosmarinum, Maioranam, Melissam, fl. Buglossi, & bibere.

Cùm nec sic fluerent, vsa est 17. Iulij insessione ex decocto herb. aliqua. balnei supradicti. Verùm cùm non procederent, essetque adeò membris debilitata, vt è lecto surgere nequiret, iamq; dierum sex prætergressum esset tempus, quo menses apparuisse debebant. Dedi syrup. de Arthemis. ℥.j.ß. cum aquis Arthemisiæ & Melissæ an. ℥.j. Bibat.

Sequenti die 21. extremum tentans, dedi troch. de Myrrha ʒ. ß. sem. Cimini ℈. ß. cum aqua Arthemis. fiat puluis, & sub vesperam superuenerunt, qui dies, quatuor menses, vel 16. septimanas complebat, vnde naturam denuò destinatum terminum attigisse, dixi, cùm intermedio tempore, citiùs aliquantò fluxissent. Fuitque sic ad dies sex decenter purgata. Postea recollegit vires, sudauit in Stupha ieiuna quinto semper die, sumpto priùs Rob. de Sambuco, & semel Mithridato.

10. Augusti, die octauo ante termium, quo menses superuenire debebant, sub noctem cœpit præludia quædam accidentium sentire, nimirum lassitudinem, & cibi fastidium, & sequenti quoque die 12. balneum ingressa sudauit, sumpto priùs Mi-

thrid. versus noctem horrore correpta, pedum frigore, calor subsecutus, nox nonnihil inquieta fuit. 13. Palpitationes cordis, singultus accessêre. Dedi sub vesperam ad reprimendos vapores: ℞. Syrup. de limonibus ℥.j.ß. Iulep. Rosar. ℥.ß. aquæ Rosar. ℥.ß. misce.

14. Dedi extr. Cyton. purgantis ʒ.j.ß. Deiecit bis, adusta veluti excrementa, nox paulò quietior.

15. Iterum dedi extr. illius ʒ.ij. Deiecit quater, benè dormiuit, & valdè profuit. 16. Quieuit.

17. Vena pedis dextri aperta, fluxit copiosè, sinistri verò secta nihil ferè, statim leuamen sensit.

18. Die menses expectabantur, sed non superuenerunt, vti nec 19. quo in Vino Arthemisiam, Maioranam, Macerem, fl. Bugl. macerauit, & Vinum bibit bis, vti & sequenti die 20. (alioquin longè melius, quàm precedentibus mensibus eo tempore se habens) quo menses fluere cœperunt, diebusq; sex sufficienter fluxerunt.

Absolutis mensibus, & diebus postea tribus, Vinum præparans hoc ordin. ℞. rad. Aperit. rad. Enulæ, Cal. arom. ana ʒ *ij*. Absynthij ʒ.*iij*. Sennæ ℥.*j*. Agarici ʒ.*iij*. Mechoacæ ʒ.*ij*. Zingib. s. Anisi ana ʒ *j*. rad. Cichoreæ ℥.ß. Conquassentur ad mens.*j*. Vini. Bibit per biduum, & ter purgabatur, tertiò postquam iterum hausisset, dedi ʒ.*j*. extr. pulpæ Cyron. & sexies deiecit, tenacissimum phlegma, quod & sequenti die, eodem modo factum. Quibus absolutis dedi Theriacam, & seq. diebus de hoc puluere cochl.*j*. ℞. s. Cimini ʒ.ß. sem. Nigellæ, Viticis, Pæoniæ ana ʒ.*j*. Succini, Garyoph. Cinam. an. ℈.*ij*. Piperis ℈.*j*. lig. Aloës ℈. j. fiat puluis, adde Sacchari Ros. tabul. ʒ.*ij*.

8. Sept. Iterum Vino hoc vti cœpit: ℞. rad. Cich. Fœnic. Valerianæ, Imper. Pæoniæ ana ʒ.*ij*.

Bibit interpolatis vicibus quater, bisq; extracti mei

mei ℥. j. simul postquam Vinum bibisset, sumpsit, valideque & sine molestia purgata fuit. Diebusq; ante menses ijs, quibus torqueri solebat, & decumbere, antequã erumperent, quietiùs se habuit, eruperuntq; 16. Sept. die, quibus decenter fluentibus, postea ab illis liberata, nullis per mensem vsa remediis, satis commodè habuit, ad 15. Octobris vsque, quo rursum superuenêre, præcedentibus leuibus Symptomatis, sed parciùs fluxerunt.

23. Octobris cùm præludia quædam, Symptomatum consuetorum sentiret, dedi illi extr. pulp. Cydon parùm, atque 11. copiosè deiecit; Verùm cùm seq. die per ædium suarum cubicula, hospitum nobilium, qui ad venerât, causâ, itaret, inuasit eam horror febrilis, subsequente calore, nocteque inquietâ, ita vt seq. die sub noctem extractum narc. dare fuerim rogatus, sed parua quantitate, vnde meliùs habuit.

26. Denuò Vino purgãte priore vti cœpit, quod cùm bis bibisset, & purgata fuisset, sed leuiter, adieci postea extractum, inde bis & copiosè deiecit. Sequenti die sub noctem, quia inquieta erat, iterum tabellam narc. sumpsit, & post biduum similiter, quæ valdè profuerunt.

4. Nouembr. rursum extract. Citri eam purgaui. 6. Nouembr. cùm eâ septimanâ menses expectaret, vt copiosiùs fluerent, iussi eam lotionibus pedum vti, ex decocto rad. Valerianæ, rad. Lilio. herb. Matricariæ, Artemis. Pulegij, Leuistici, Sabinæ, Melissæ, Rutæ, Chamom. baccis Lauri, Iuniperi, addito in decocto parùm Vini, suffitumq; illius excipere, dein & fumum hunc: ℞. rad. Azari ℥. j. Galbani ℥. ß. Thuris, Storacis ana ℥. j. fiat puluis, qui vratur.

12. Nouemb. menses superuenerũt, die ipso, quo supputatione factâ, adesse debuerunt, beneque

diebus aliquot purgata fuit, illisque absolutis, per dies aliquot rectè habuit.

Metuens autem recidiuam 27. Dedi purg. extractum, deiecitq; quater. 28. hoc Tragemate vti cœpit: ℞. spec. Diamoschi, Diagalangæ ana ℈.j. Cinamom. ℥.j. Maioranæ ʒ.ß. Sacchari Rof. tabul. ℥.ij. fiat puluis.

1. Decembr. horror eam corripuit, seq. febrili calore, sanguinis expuitione, & accidentibus hystericis. Dedi iter. purg. seq. die, sed parùm deiecit, & dura tâtùm, vti & sequen. die, cùm denuò purgarem. tertiò item, cum infus. Vini purg. cùm extr. exhiberem, tamen semel atque iterum tantùm deiecit, nec omnino remiserunt symptomata.

6. Itaque Decembr. insessione etiam vti iussi, ex ijs ipsis, quibus pedes priùs lauabat paratâ, additis rad. Rubiæ & Ireos, Calam. Nepetâ, fl. Sambuci, semine Lini & Fœnogræci, statimque eâ vsa, melius habere cœpit, seditque manè in eâ horas duas; à prandio vnam, redijt appetitus & desierunt symptomata.

Itaq; in balnei vsu perrexit, per triduum; nono Decembr. cum seq. die menses expectaret, saphenas binas in vtroq; pede aperuit, horisque duabus post, menses fluere cœperunt, nô tamen sine commotione in ventre & dorso solitis.

Absolutis menstruis, & diebus postea aliquot transactis, cùm denuò molestias sentiret circa inguina, purgaui illam 16. Decembr. Vino purgant. addito extr. pulpæ, vnde vigesies & ampliùs deiecit, fœdissimam materiam. A qua euacuatione leuata, ad tempus vsque quo menses appropinquabant, moderatè se habebat, & vt rectiùs fluerent, balneo denuò ad dies 10. indies bis est vsa. Sextoque die Ianuarij, mẽses ea ipsa die quâ expectabat, fluere cœperunt, non adeò accedentibus grauioribus

tibus symptomatibus, ad diem postremum vsque, qui 11. erat Ianuar. quo nouus paroxysmus superuenit, quem dolor & tensio sinistri hypochondrij die præcedenti & nocte præiuerant, maneq; horror superuenit, cardialgia, & lypothymia summa, tremor membrorum, extremorumque frigus, atq; aura vniuersa membra percurrens, atq; excrucians. Naribus Castoreum, Rutam, adhibui, frictiones & fotus puluinis calidis, extremitatum factæ, Iulepum ex Iulep. Rosſ. ℥.j. Syr. de limonibus ℥.ß. aquæ Cinamom. ℥.ß. dedi, & sub noctem, Narcoticum, vti & sequenti die exhibui. Tabulis Diamarg. coroboraui, vnde parùm ad se redijt.

Verùm 13. Ianuar. sub vesperam, denuò hoc paroxysmo correpta, grauem passa est Syncopen, ita vt eam iam expirare crederent: repetita omnia supradicta, Clyster iniectus talis: ℞. rad. Liliorum ℥.j.ß. rad. Filicis ℥.j. bac. Lauri, Iuniperi an. p.j. herb. Leuistici, Pulegij, Rutæ, Sabinæ an. M.j. sem. Cimini ʒ.ij. Viticis ʒ.j. fiat decoctio, diss. Hieræ Colocynth. ʒ.iij. ol. Cheirini, Rutac. ana ℥.j. Castorei ℈.j. Salis parùm, fiat Clyster. Sed non retinuit, repetitus sequenti die, sed loco Hieræ Colocynth. vt retineret, Benedictæ & Hieræ an. ʒ.ij. additæ postea etiam Tryphera persica. Emplastrum sub vmbilico sequens positum fuit: ℞. Galbani ℥.j. Stor. liquid. ʒ.j. malaxentur oleo Nardino, conspergaturque puluere Garioph.

Epithema tale cordi & pulsibus applicitũ fuit: ℞. aquæ Rosſ. ℥. iij. Melissæ ℥.j. succi Limonum ℥.ß. Theriacæ ʒ.ij. spec. Diamarg. ʒ.ß. aquæ Scabiosæ, Buglosſ. an. ℥.ß.

Cùm 15. ex clysmate sexies, fœtidissimam deiecisset materiam. Sub noctem Theriacæ ʒ.j.ß. dedi, cœpitq; benè ea nocte se habere, seq; recolligere.

17. Hanc potionem sumpsit: ℞. Rhabarb. inf. in

Vino albo, & aqua Melissæ, & aqua Cinamom. ℥.j. fiat expr. adde syr. Ros. simpl. ℥.j. fiat potio, deiecit quinquies. Manè Mithrid. ʒ.j.ß. cum ℈.j. pulueris Cimini sumpsit.

19. Pilulas accepit: ℞. pilul. Aggreg. ℈.ij. Castorei gran. vj. cum aqua Arthemis. fiat pilul. Deiecit quinquies, sed à prandio primùm, sequenti die conseruam sumpsit.

21. Puluerem sequentem quem bombyce exciperet, proximeque sinui vteri applicaret, vti nasçalia solent, iussi, quo indies ferè est vsa: ℞. Fol. Melissæ, Maioranæ ana ʒ.j. Gariophyl. Maceris an. ʒ.ß. Piperis, Croci an. ℈.j. lap. Gagatis ʒ.j. Salis nitri ℈.j. Aliptæ mosc. ʒ.ß. fiat puluis subtiliss.

22. Cùm semper de ardore in lateribus lumborum conquereretur: dedi Narc. tab. nox quieta fuit.

23. Clyster repetitus & copiosè deiecit. 25. Theriacam exhibui quæ profuit.

26. A prandio nouus paroxysmus superuenit, inter horam tertiam & quartam pomeridian. cum oscitatione, cardialgia aliqua sed leui, singultu, frigore extremitatum, & leui tremore. Cibum tum capiebat sed lecto consternata iacebat. Hic paroxysmus singulis diebus postea redijt.

Adhibui mox cucurbitulam magnam cum candela impositam vmbilico, vti & seq. aliquot diebus, Fœtida, vt castoreum, pennas accensas naribus admoui, nec diu durauit, calor tamen aliquis, non tamen febris, superueniebat.

Sequenti die statim adueniente paroxysmo, vti & subsequentibus, fotu quoq; vsa est, ex decocto rad. Filicis, Leuistici, & Rutæ, in Aq. & Vino, quod statim accessionem tollebat.

Puluerem tribus matutinis hunc quoq; sumpsit: ℞. Diamoschi dulcis tab. pulueris.

Repetitum quoque semel fuit clysma, posito in de-

in decocto fol. Sennæ ℥. ß. Cimini ℥.ß.dissol. cum prædictictis Terebint. dis.cũ vitello oui ʒ ij.troch. de Myrrha ʒ. j. cœpit spuere sanguinem, vti ante mensium aduentum solita erat, & sequenti die qui primus erat Febr. menses superuené. in ipso paroxysmo, biduo antequam expectarentur.

Vt promouerétur, iussi iterum Melissam, Maioranam, fl. Borrag. in Vino infus. & de Vino bibere, Crustamque in Maluatico dictam, refectionis causâ sumere.

Cùm non satis fluerent, dedi pilular. troch. de Myrrha ℈.j. pilul. Aggreg. ℈. ß. cum syrupo Arthemisiæ, fiant pilulæ.

Et sequentibus diebus duobus, pilulas sequentes: ℞. Castorei ℈. j. assæ Fœtidæ, Myrrhæ, Galbani, Sagapeni an. ℈. ß. Mellis scill. q. s. fiat pilulę paruę, Capiat ℈. ß.

Cessabant vno die præludia paroxysmi; sed altero redibant, verùm mox fotu adhibito, remittebant.

7. Die, quo adhuc fluebant, quia aluus non respondebat, vsa est extracto purgante. Et quia paroxysmi per interualla redibant, altero die Mithridati ʒ. j. cum puluere Cimini exhibui. Dein sequenti, qui 9. erat Febr. Vino præparante & purgante denuo vti cœpit: ℞. Absynthij ℥. ß. sem. Cimin. ℥. ij. Sennæ ℥. j. ß. Agarici ʒ iij. Mechoacæ, Rhabarbari, Turpethi ana ʒ. ij. Zingib. ʒ. j. pro Vini mensura. Quod per quatriduum bibit, deiecitque indies aliquid: postea iterum purgata fuit. Balneoque posthæc vti cœpit, indies bis in eo sedendo, quod vti priùs enarratum, parabatur, additis insuper rad. & herba Filicis. Hoc balneo ad mensium vsq; tempus vsa fuit, & quãdo in eo sedebat, benè habebat: extra verò hoc sæpè passiones consuetas sentiebat. Interea Clysterem, quando constipata erat, bis aut

ter continuatum, hoc pacto paratum facilem admittebat: ℞. herb. Maluæ, Furfuris ana M. j. Hordei integr. cochl. ȝ. ß. Chamom. p. j. baccar. Lauri p. ß. sem. Cimini ℥. ß. decoq. & in decocto intestini Veruecis, dissolue in vno Clystere, Mellis cochl. ij. Butyri rec. cochl. ij. succi Betę coch. j. Olei communis coch. j. vitellū vnius Oui: Detur sine Sale, quia non ferebat acriorem. Latus quoque cùm semel admodum doleret sinistrum, denuò inunctum fuit: ℞. ol. Nardini, Anethini, Rutæ, Laurini an. ʒ. ß. Galbani diss. in Aceto ʒ. ij. Styracis liquid. ʒ. j. Cimini ʒ. j. ß.

3. Menses superuenerunt, qui segniùs ab initio, post biduum verò copiosè fluxerunt. Quibus absolutis, cùm aluus non responderet, Clyster prior repetitus fuit.

Et quia torsiones & ardores consuetos, in latere sentiebat, nec cibum cum appetitu aliquo sumere poterat. Balneo denuò vti, clysmaque altero die repetere iussi, quòd cùm tertiò inijciendum esset, vt dolor sedaretur, tale iniectum fuit: ℞. rad. Sigilli Salom. Bryoniæ, Valerianæ ana ℥. ß. herb. Pulegij, Calaminth. Rutæ, Sabinæ ana M. j. bacc. Lauri, Iuniperi an. P. j. s. Cimini ℥. ß. fiat decoctio, in Aqua & Vino dis. Mel. ℥. j. Bened. ʒ. ij. Tereb. ʒ. ij. Philonij ʒ. j. fiat Clyst.

Hoc idem altero die, quia primùm nō retinuerat, & interea nihilominus magnum senserat lenimen, repetitum fuit: semper vsum Balnei continuans.

19. Potionem, vt purgaretur, hanc sumpsit: ℞. fol. Sennæ ℥. ß. s. Anisi ʒ. j. ß. s. Fœniculi ʒ. j. Epithym. ʒ. ij. fiat decoctio in Aqua & Vino dis. aqu. Cinam. ʒ. ij. syr. Ros. sol. cum inf. Rhabarb. ℥. j. fiat potio.

Sequenti die Mithridatum exhibui. Et quia dolor vrgebat, sub hypochondrio sinistro, sacculum applicui, qui: ℞. seminis Milij, Furfuris an. scutel. j. s. Carui, bac. Lauri pulu. ana iiij. cochl. Salis coch. ij. fl. Cha-

ij. Chamom. P.j. Maioranæ P.ß. calefiat in facculo: Appliceturq́.

Septimanâ vltimâ, ante menses suborto iterum paroxysmo, sanguinem copiosè vomuit, eumque illis diebus, quibus redierunt paroxysmi, sæpè expuit. Quare Clysterem consuetum paratu facilem iteraui, vti & balneum. Cùm per triduum iterum nō deijceret, & fastidiret clysmata, Vinum hoc bibit: ℞. Sennæ ℥.ij.ß. Absynth.P.j.ß.f. Fœnicul.ʒ.ij. Agarici ʒ.iij. Rhabarb.ʒ ij. Zingib.ʒ.j.Cinam.ʒ.iij. pro Vino. Facilimè bis deiecit.

Et cùm sequenti die repeteret, ter excreuit, mensesq; altero die, qui 28. erat Martij superuenerunt, quibus fluentibus, quia aluus non respondebat, Clystere sollicitabatur. Atq; absolutis mensibus, Vinum laxans denuò bibit. Biduo post qui tertius erat April. iterum sanguinem spuere cœpit, & paroxysmum sentire. Proin sequēti die rursum Vino purgata fuit, atq; altero scarificatione vsa est. Quatuorq; diebus continuis deinceps, Vino sumpto, blandè & à fœdis excrementis, quibus multa ramenta alba inerant, vti priùs semper, purgabatur. Posteaque 14. Aprilis meliùs se habere cœpit, nihilominus tamen in vsu Vini alternis diebus, quia per se non respondebat venter, perrexit, atq; inde deiecit semper copiosè. Triduo antequã mensium dies instaret, cum Vino purgãte extractum meum iunxit, deciesq; primâ die atq; copiosissimè deiecit. Et quia toto tempore sanguinem expuebat, die sequenti cucurbitulæ suris appositæ fuerunt, sine scarificatione, vnde stigmata cum dolore, illis in locis ob attractionem apparuerunt. Postea altero die 25. April. quo menses expectabantur, vena in vtroque malleolo secta, sed quia parùm sanguinis fluebat, ramum, qui ad pollicem pedis fertur, aperire iussi, quo facto sanguis admodum prosilijt, &

copiosè fluxit, mensésq; vesperi superuenerunt.

Purgabatur decẽter per mẽses, & quod diu priùs nõ acciderat, spontè per illos dies deiecit. Sed quia dura erant excrementa, mensibus absolutis tertio Maij, iterum Vinum bibit, & quater deiecit, quod mirum erat, Vinũ hoc adeò leue, toties sumptum, nihilominus semper operatum esse, idq; sine omni molestia. Vnde & illa meliùs, quàm vnquam priùs habere, cibum sumere & circumambulare cœpit.

Cùm iam de Thermis adeundis esset quæstio, nolui hoc, cum iter perferre nequiret, & continuâ curâ adhuc opus esset, suadere, sed tale balneum, vt in eo indies bis horas duas sederet, præscripsi. Parabatur ex recentibus plantis, quas tunc habere poterat Filicis & herba, & rad. Leuistici herbâ, maiori parte additis, minori quantitate herb. Rutæ, Matricariæ, Pulegij, Origani, Melissæ, fl. Chamom. bacc. Iuniperi & Lauri, & in balneo sedens, sacculum in quo herbæ coctæ fuerunt, ventri apposuit. Hoc balneo ad mensium tempus vsque vsa est. Vinumq; quod restabat, adhuc semel alui laxationis causâ bibit. Postea verò aliquando spontè aluus deiecit, sed difficulter & sceuala tantùm prodierunt. Aliâs sumptis tabulis albis extr. ad ʒ. ß. mota semel atque iterum fuit, & quidem subitò eadem hora, cũ post balneum ante prandium sumpsisset. Eoq; tempore semel egressa, templũ adire potuit, sed valdè lassa, domi se iterum continuit, donec menses, 24. Maij superuenirent.

Fluxerunt satis decẽter, & postea meliùs habuit per mensem, ita vt in ędibus circumire, atq; aliquid agere posset, lassa tamen semper, & vti iam diu fuit, etiam ante hunc morbum vehementer attenuata. Ab initio, quia constipata, bis sumptis tabulis albis extr. ad ʒ. ß. aluus semper respondit. Postea etiam spontaneas, sed tertio demum die habuit, duraque

eiecit,

eiecit. Balneo ſicco bis vſa, & ſemel ſcarificatione.

Poſtquam tempus menſium denuò præterijſſet, cœpit iterum recidiuam pati, dolores in lateribus, anguſtias, cruorem expuere, cõſtipata eſſe. Vſa itaq; denuò Vino purgãte, vt priùs, alternis vel ternis diebus, vnde iterum etſi parùm ſumpſiſſet, copiosè fœdamq; vti ſolita erat, materiam deiecit, bis tab. 1. vrgente dolore narcoticam noctu ſumpſit, tandem conſilium initum, vt thermas adiret ſulphureas Helueticas, quò curru 13. Iulij vecta eſt, quod iter maxima difficultate, & periculo vitæ vti prædixeram perfecit. Inſtructa interim certis præſidijs roborantibus, & ſi aluus non reſponderet, laxantibus, & ſi dolor vrgeret, narcoticis.

Thermis quatuor ſeptimanarum ſpatio, exceptis diebus, quibus propter menſes impediebatur, vſa, ſatis commodè illas perferre potuit, ſæpè tamẽ interim Symptomatibus quibuſdam correpta, adeò vt eam inviſere cogerer, illiq; conſulere, quam dein etiam 16, Auguſti, in lectica cum magna difficultate redeuntem comitatus ſum.

Reuerſa Octobr. 3. recidiuam paſſa: Purgata fuit Vino purgante ſumpto aliquoties, intermiſſa venę ſectione, vnde iterum ſe recollegit. Nouemb. 4. rurſum malè habuit, Purgata fuit denuò extracto, & Narcoticum ſemel ſumpſit, poſtea ad ſe redijt.

An. 1600. Ianuar. primo, dolorem ſenſit in latere, deiectiones ſubſecutæ cruentæ, emplaſtrum de Meliloto fuit appoſitum, bibit decoctum Cicerum cum rad. Petroſ. & leuiter fuit purgata. Cùm tẽpus menſiũ inſtaret, qui priùs non decenter fluxerant, vt promouerentur, propinaui illi aquam Sabinæ. Sumpſit item pilulas de Myrrha.

Peracto tempore menſtruo, cùm nouus ſuperueniret paroxyſmus, Clyſma leue, & quo deinceps ſæpè vſa fuit, coxit illi meo iuſſu famula ipſius, vt

sic sumptus minuerentur. Sumpsitq; pro decocto Maluam, rad. Althææ, herb. Leuisticum, Rutam, Pulegiũ, Arthemisiam, aliasq; calidas aliquas, quibus pro Balneo vti solent, item fl. Chamom. Meliloti, baccas Lauri, semin. Carui decoquendo cum Aqua & Vino, & in colatura dissoluendo, saltem Mel commune, cum Sale priùs misto, & resina Laricea cum vitello Oui dissoluta, eoque alternis vel ternis saltém diebus vtebatur, inde leuamen sentiebat, omissis alijs purgantibus ad tempus. Quoties verò instabat menstruorũ fluxus, vtebatur vel Balneo, vel Vino, in quo macerabat Melissam, flor. Borraginis & Macerem.

Et quoties absolutis mensib. paroxysmus ipsam inuadebat, post vsum clysmatis, si nõ omnino proficiebat, vtebatur leui Narcotico, & quibusdam Cordialibus, ex Vino cum puluere Nucis mosch. & Sacchar. Aliquando & confectione Alkermes. Item Epithema pulsibus applicabat.

Atque ita perseuerauit semianni spatio, & cùm iam meliùs haberet, ac prodire in templum posset, nihilominus adhuc post mensium purgationem, suos habebat paroxysmos. Quos vt auerteret, sumpsit ante illorum aduentum, præmisso interdum Clysmate, pilulas Sine quibus & Aggregat, vnde purulẽtam & fœdam semper deijciebat materiam, idq; quotannis aliquoties; Venam insuper in manu quotannis bis aperuit, nisi enim illud faceret, sanguinem copiosè exspuebat.

Atq; ita perseuerauit ad annum 1608. vsque, quo in thermas Badenses se contulit, sibique fratrem meum Medicum, qui curam illius haberet, adiunxit, quorum vsu magis confirmata est, & ad hunc vsque diem 11. Maij. Anno 1613. quo hæc scribo, sic satis bene valet, cibo parcissimo vtens, & à grauioribus motionibus corporis & animi abstinens.

Loquela

Loquela amissa in paralysi vtriusque lateris.

VIde in Motus impotentia Lib. I. Resolutio ab ictu vtriusque, &c.

Loquela impedita cum resolutione in pedibus.

VIde in Motus impotentia. Lib. II. Resolutio in pedibus, &c.

Loquela impedita, ob linguæ paralysim.

VIde in Motus impotentia. Lib. I. Linguæ paralysis &c. Iterum ibidem. Lingua impedita.

Loquela amissa cum deglutitionis impedimento.

VIde in Transitus per gulam defectu. Lib. I. Deglutitionis impedimentum, &c.

Muta & surda puella.

VIde in Auditus læsione Lib. I. Surda & muta puella.

Vocis interceptio cum auditu graui.

VIde in Auditus læsione. Lib. I. Auditus grauis cum strepitu.

Raucedo diuturna.

RAucedine puella diutissimè laborauit, vt vix cùm loquebatur, intelligeretur.

Varia cum frustra tentasset, tandem hoc remedio sanata fuit: ℞. succi Liquiritiæ ℥.ij. Myrrhæ ʒ.j.

gummi Tragach. ℈.j. sacchari Candi & Penid.an. ʒ.j.cum affusa aqua Ros.fiat morselli. Teneat vnam in buccis cubitum itura, sinatque sponte dissolui, & cubet in dorso.

Raucedo in cardialgia.

VIde in Cordis dolore. Lib.11. Cardialgia raucedo ob deglutitum.

IN RESPIRATIONE PRAVA Obseruationes.

Oscitatio ex imaginatione.



Scitantes cùm videmus, etiam nihil tale cogitantes, ad oscitandum quoque impellimur: imaginatione sola, facultatem corporis nostri expultricem mouente. Quantumq; ea possit, vel ex eo patet, quòd si quis absurda audit, vel sibi imaginatur, nauseam aliquã sentit, ad vomitum vsque, etiamsi sciat, nihil eiusmodi reuera adesse. Libidinem quoque concitat potentissimè imaginatio, reliqua taceo.

Singultus præternaturalis.

PVer annorum circiter decem, de ventriculi dolore conquestus, sine ferè intermissione, idque per octiduum dies noctesque singultiebat, ad me adductus, aquam Nucum viridium cũ Raphano in aceto prius maceratarũ, exstillatam, propinaui, qualem vomitionis excitandæ gratiâ, exhibere soleo. Verùm etsi minimè vomuerit, tamen statim singultus desijt, & cùm sub noctem denuò haustum bibisset, ab hoc symptomate peruerso penitùs fuit liberatus, &c.

Singultus immodicus.

CHirurgus æger factus, mox ſingultire cœpit, adeò continuatis vicibus dies noctesque, vt nec dormire nec rectè loqui, aut cibum capere poſſet, ad extremum hoc pacto debilitatus, cùm nil iuuiſſet, & iam quaſi in agone eſſet, dedimus illi, non ſine metu, ipſo tamen ſummopere rogante, vomitorium ſatis validum chymiſticũ, quod Medicus ad manum habebat, vnde immenſam, bilis æruginoſæ & nigræ copiam euomuit, aliquoties, ceſſauitque ſingultus, ipſeque ſenſim conualuit.

Vidimus vti alios plures, ita miniſtrum Verbi Dei, colicis cruciatibus obnoxium & reſolutum, ſingultu ad ſeptimanas aliquot miſerè fuiſſe afflictum, nec tamen ſuccubuiſſe.

Singultus in febribus.

IN Febre ſemitertiana ſingultum vehementem ſuperueniſſe, Vide Semitertianą.

In Febribus ardentibus ſuperuenientem ſingultum & perſeuerantem, plerumq; mortis eſſe præ nuncium obſeruaui.

Singultus in dyſenteria.

IN Dyſenteria item frequenter eum ſuperuenire, & ad extremam vſque ſpiritus efflationem, perſeuerare, in conſule noſtro dyſenterico obſeruauimus, in quo licet poſt vomitionem excitatam, ſingultus per horæ ſpatium remiſerit, mox tamen rediit, nec niſi cum vita eum dereliquit. Dein & in nobili quodam puero, ſingultus nullam intermiſsionem, vt nec dormire nec loqui integrè poſſet, dedit.

Tußis cum ſputo ſanguinis.

VIde in Expuitione Lib. III. Sputus ſanguinis dispnœa &c.

Tußis in febre ardente.

VIde in Febribus Lib. II. Febris ardens ſeu cauſus, &c.

Tußis in febre ſynocha.

VIde in Febribus Lib. II. Febris ſynochos, catharrus, &c.

Tußis diuturna, Mictio purulenta, Calculus, Cirſocele.

REuerendus quidam & magni nominis Decanus Burgundus, mihi accidentia ſequentia quibus infeſtaretur, An. 1608. menſe Martio expoſuit.

Primũ erat tuſsis perpetua, iam longo & minùs æſtatis, magis verò hyemis tempore eum moleſtans, hæreditaria partim, partim intemperantiâ acquiſita, per quam difficulter & parùm quid excrearet, quod albuminis oui conquaſſati inſtar, glutinoſum & aquoſum exiſteret, nonnunquam & ſalſum.

Secundò narrabat vrinam ſe reddere frequenter turbulentam, ſublacteam, in cuius fundo, materia craſſa ſubſideret, albida, glutinoſa: doloremque grauantem interdũ & tenſiuum, ſe circa lumbos, dextra in ſede potiſsimùm ſentire: aliquando & arenulas calculoſque reieciſſe.

Tertiò ſe tuſsientem in ſcroto, circa vaſa ſeminaria, lancinationem quandam pati, ſibique de ruptura metuere.

Reſpondi,

Respondi, non solùm defluxiones à cerebro, in pectus distillare, sed & in pulmonibus excrementa eiusmodi pituitosa congeri, quæ per tussim cùm expurgari necesse sit, ideò adeò frequentem eam reddi. Secundò renes arenosos, dextrum præsertim esse, illicque conglomeratis arenulis, calculos gigni, substantiamque renum suppurari. Tertiò dilatationem hanc vasorum, esse veluti cirsocelem, quæ à nimia sæpe, & immoderatiùs Venere repetita, vti & equitatione frequenti, possit accidere.

Cùm postremum hoc accidens in scroto non magni faceret, & præcipuè tussis diuturnæ huius medelam expeteret, ad quam diuertendam priùs multis vsus esset remedijs, sæpeque purgatus; Præscripsi illi Vinum pectorale, atque Oxymel verum ex Hydromellite maluatico artificiali paratum, vt successiuè ijs vteretur.

Tussique admodùm vrgente, trochiscis ut vteretur sequentibus, vno in ore inter dentes & buccas retento, donec sponte difflueret, quod noctu commodiùs inter dormiendum fieri posse, docui: ℞. pul. Diatragach. frig. ʒ.j.ß. sem. Hyosc. albi ℈. j. Sacchari penid. ℥. j. Opij dissoluti in Vino gener. gr.vj. cum infus. gummi Tragach. facta in aqua Rosarum fiant Trochisci.

Pro renum affectu, vt mundarentur, nec vlcerentur consumantùrve, ord. dilutum Resinæ laricea ad ʒ.ij. cum Melle & Vino. Et vt Tabulis meę ordinationis, pro exulceratione renum, in Praxi mea descriptis, per vices vteretur, suasi.

Rescripsit post aliquot menses, se post vsum horum remediorum optimè habuisse, & à tussi liberatum, hoc tantùm se mirari, quod cùm dilutum Terebinthinæ bibisset, erisypelas in cruribus cum febricula secutum sit, nec diu tamen durauerit.

Tussis, mictio inuoluntaria, ardens.

TVssi diu admodùm, mulier quædam vetula, valetudinaria, ex peripneumonia, relictâ in pulmonibus purulentâ materiâ, adeò violenter infestabatur, vt valido hoc conatu abdominis, vrinam quando tussiebat, inuoluntariè profunderet, quæ summè acris erat, à qua meatus vrinarius, pudendique interiora, irritata, inflammabantur atq; excoriabantur, dolorque intolerabilis inde sequebatur. Etsi autem ob pudorem hæc diu celasset, obstetricumque saltem consilio inunctionibus frustrà vsa fuisset, tandem tamen cruciatus eam, vt mihi rem patefaceret, impulit.

Cui primùm quæ tussim leniunt, & vrinæ acrimoniam retundunt, hoc modo præscripsi: Hordeo, Oryzâ frequenter coctis vteretur, Lac caprinum biberet cum saccharo: Et loco vini Serum lactis, præsertim cùm constipata esset. Quo nomine & Mannam cum iusculo ad ℥.j.ß. exhibui.

Et vt pulueris sequentis cochl.ij. cum Lacte bis vel ter in die biberet: ℞. rad. Liquirit.℥.ß. rad. Altheæ & Consolidæ an. ʒ. ij. semin. Papau. albi ʒ.j. gummi Tragach. ℈ j. troch. Alkekêgi ʒ.ß. Sacchari candi ℥.j. fiat puluis.

Obscœnis, ad ardorem illum compescendum, iussi applicare sequens vnguentum, extensum supra pannum linteum tenuem, vel corium leue & tenuissimum. Quod mirè illi profuit: ℞. mucilag. sem. Lini, Psylij, Cyton. an. ℥.j.ß. Pomadę ℥.j. Vitell. ouorum nu.ij. Cerusæ ʒ.ij. Camphoræ, Opij an. ℈.j. Butyri q.s. misce.

Præterea insessione vsa est, ex decoctione rad. Consolidæ, Altheæ, herb. Maluę, Hyosquiami, sem. Lini, Fœnogr. facta.

Dedi illi dolore vrgente & vigilijs: ℞. syrupi de Papau.

Papau. ℥.iij.aquæ Lactucę ℥.j. Capiat tempore somni: Sic conualuit.

IN TRANSITVS PER GVLAM DEFECTV Obseruationes.

Deglutitionis impedimentum.

FIgulus meus, iam per quinquennium hac deglutitionis difficultate laborauit, cibos solidiores, vel liquidiores, aut potum deglutiturus, quæ nisi paulatim & parua quantitate assumpta, in ventriculum minimè descenderunt, sed supra illum, circa cordis regionem, vt vocant, substiterunt, illicque angorem & compressionis sensum pepererunt, tamdiu, donec supinus dorso incubuit, tunc enim cum sono quodam, ea quæ illic hærebant, in ventriculum illapsa sunt. Hic tandem sperans se aquarum acidarum naturalium vsu sanari posse, eò profectus ijsque vsus, illic vitam finiuit.

In Alio.

SCriniarius quidam, vir robustus, à mensibus aliquot, quotiescunq; carnem aut panem deglutire vult, mox sentit in ventriculi elatiore regione, magnam compressionem, quæ eum, ad vomitu assumpta, iterum reijcienda, adigit, si verò quandoque in ventriculum hæc illabantur, statim leuamẽ sentit, flatusq; tunc per ructũ erumpunt. Idem illi si affatim bibat, accidit, vt & potus subsistat in œsophago, donec per vomitum rursum eijciatur, maximeq; hoc si priùs aliquid solidi deglutierit, & superbibat, euenit, vt simul retenta, magnam illi molestiam pariant, donec omnia euomuerit.

In me ipſo.

ALiquoties hoc mihi in hac mea ſenecta accidit, carnem tenaciorem, aut duriorem, vel minùs inciſam, aut maſticatam deglutienti, vt illa in œſophagi ingreſſu in ventriculum ſubſiſtens, anguſtiam ſummam & compreſsionem eo in loco mihi pariat, quæ augetur, ſi ſuperbibendo, bolum hærentem promouere velim, adeò vt lipothymia ſuperueniat, niſi tuſsis quæ tūc maximè vrget, cōcutiēdo, vt in ventriculū labatur efficiat, neq; enim vomitus hactenus, ſed ructus tantùm ſubſecuti ſunt, tunc maximè quando bolus cedens, flatibus à ventriculo erumpentibus, locum facit. Hæc ſemel aut bis, térve in anno, mihi, & tantùm quando incogitanter craſsiora deuoro, à ſex vel ſeptem annis, acciderunt.

In muliere.

CApitanei cuiuſdam vxor, à multis annis, non niſi minuta & liquida, eaque non ſine magno labore, deglutire potuit. Melancholica alioquin, quæ ſibi à veneno aſſumpto, hoc vti & alia multa, de quibus ad mortem vſque conqueſta eſt, accidiſſe perſuaſit.

In Grauida.

GRauida quædam aurificis vxor, multos menſes, ſimile in deglutiendo impedimentū paſſa fuit, vt ferè nihil deglutire poſſet, ſicque tandem expirauit.

Deglutitionis impedimentum, cum amiſſa loquela.

MVlier vetula in hoſpitali, ſubitò loquelam amiſit, adeò vt verba nulla proferre poſſet, accedebat in deglutiendo ſumma difficultas, ſic vt non

vt non nisi iuscula, vel lac eaque minima quantitate, & guttatim, cum labore deglutiret, quæ quādoque in asperam arteriam prolapsa, tussim mouebant, sicq; per septimanas aliquot fuit sustētata. Neruorum sextæ & septimæ coniug. vitio hoc accidisse verisimile. Ad se rediјt, colluendo os frequēter, decocto Saluiæ in Vino, & continendo in ore Aquā vitæ infus. Thymi.

Transglutiendi difficultas in alio.

TOto anni spatio, & amplius, cuidam Lucernæ An. 1599. cibos paulò solidiores deglutienti, in media via, vti dicebat, hi subsistebant, eumque tamdiu angebant, donec superbibendo, eos deorsum propelleret, alioquin sanus & nullum alium affectum sentiens.

Perquirendo singula, an callus œsophago ex inflammatione, abscessu, vlceréve prægressis, accreuisset, vel alias ob causas, gula humiliore sede strictior facta esset, postremā hanc causam esse, dubitans, cùm similem casum sæpè viderim, sequentia illi ordinaui.

Linctum hunc; ℞. olei Amygd. dulc. rec. Butyri rec. an. ℥. ß. Mucilag. seminis Lini extr. cum aq. Viol. ʒ. ij. Medull. semin. Cucurb. & sem. Melonum. rec. an. ʒ. j. Penid. ℥. j. ß. Misceantur fiat instar. Looch. Cap. cochl. j. cubitū iturus & manè alterum sensim deglutiendo. Sæpè repetendo medicamentum ne rancidum fiat.

Bibat item frequenter Lac caprinum, cui Butyri recentis & Penid. portio aliqua permista sit.

Inungat latera colli, ol. Amygd. Butyro rec. & Axungiâ gallinæ.

In faucibus impedimentum veluti bolus.

VIde Cardialgiam cum impedimento &c.

IN DEIECTIONIS DEFECTV Obſeruationes.

Excrementa alui dura in ano ſubſiſtentia.

QVidam alui fœces duræ, in podice ſubſtiterunt, nec egredi, etſi vehementi conatu propellere tentaret, poterant, adeô vt podicem cum cruciatu nimiùm aperirent, & veluti diuellerent. Huic vt mederer, ſternutationem moui, & eum tuſsire iuſsi, priùs podice fomentato cum Oleo, quibus conatibus & impetibus, ſciualon propulſum & eiectum eſt, reliquaque excrementa ſubſecuta ſunt. In multis alijs, quibus ob duritiem excrementa ægrè per podicem feruntur, tuſsim imperando, ea vt prodirent, quæ alio conatu exprimi non poterant, effeci.

Alui conſtipatio in Cephalæa.

VIde in Capitis dolore Lib. 11. Cephalæa cum cruſtis &c.

IN MICTIONIS DEFECTV Obſeruationes.

Vrinæ ſuppreſsio in febre, cum conuulſione.

VIde in Febribus Lib. 11. Febris, conuulſio &c.

Vrinæ ſuppreſsio in febre continua.

VIde in Febribus Lib. 11. Febris continua putrida &c.

Vrinæ suppreſsio cum Puris è virga effluxu.

VIde in Purulenta excretione. Lib. III. Puris & ramentorum per penem, &c.

Vrinandi difficultas à calculo Veſicæ.

VIde in Mictione. Lib. III. Mictio ardens ab vlcere & calculo &c.

Vrinandi difficultas, in Neph. & Colico dolore.

VIde in Ventris dolore. Lib. II. Colicus & Nephriticus &c.

Stranguria ſeu Vrinæ ſtillicidium.

VIde in Mictione Lib. III. Mictio purulenta cum ardore &c.

IN PARTVS DEFECTV Obſeruationes.

Partus impeditus, ob fœtum in partu mortuum & quinque menſes in matre viuente retentum.

SArtoris cuiuſdam vxor, annorum circiter triginta, quæ quater priùs pepererat, quintò grauida facta, exactis decem menſibus, cùm iam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus quandam conuolutionem, leuesque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem ijs omnibus ceſſantibus, fœtum mortuum, vti poſtea apparuit, antequam exſpiraret, adhuc quinque menſes retinuit. Quo tempore, cũ

angrauida esset, ex eo quòd supra vteri gestationis tempus tamdiu superstes maneret mulier, nec grauiora pateretur accidentia, in quæstionem veniret, & de mola, alióve aliquo tumore inter obstetrices consultaretur: tandem consilio meo habito, (licet eam viuā non viderim) de fœtu mortuo pronunciaui, & ad fœtum propellendum pilulas, vt per vices assumeret ʒ.ß. pondere, sequentes præscripsi: ℞. Myrrhæ elect. ʒ.j. sem. Melantij, Lupinor. rad. Rubię tinct. an. ʒ.ß. Croci, Aloes, Borac. an. ℈ j. cum syrup. de Artemis. fiat pilul. massa. Harum vsu menses primùm promoti fuerunt: quibus fluentibus adeò leuata fuit, vt tribus inde septimanis cibū sine fastidio sumeret, ambularet, & in publicum quoq; sine molestia prodiret. Postmodum denuò rogatus, pessarium subdere tale iussi: ℞. gar. ʒ.ij. rad. Azari ℥.j. Myrrhæ ʒ.iij. suc. Mercurialis ℥.j.ß. Mellis ℥.j.ß. decoq. succus cum Melle ad spissitudinē conuenientem, pulueresq́ue permisceantur, sacculusq́ue pro pessario impleatur. Quod cùm vnam saltem noctem retinuisset, mox chorda vmbilicalis propendere cœpit: quæ tamen, cùm putris esset, tandem amissa fuit. Verùm cùm nullus sequeretur abortus, nullusq́ue esset omnino fœtū excludendi conatus, vt is promoueretur, mulier quædam ventrem illi varijs modis aliquoties compressit, deorsumq; impulit. Vnde fluor vterinus, per quem putris, alba fœtidissimaq́ue materia ex vtero profluebat, exortus est. Quo octo septimanarum spacio perseuerante, accedēte interim febre, corpus adeò contabuit, vt nihil in ea carnosi ferè amplius, præter ventrem, transuersim admodum tumentem & durum, appareret: donec viginti septimanarū spacio supra decimum mensem, quo vterum gestauit, tempore exacto, exspiraret. Rogatus vt corpus aperirem: primo ventris intuitu, vesicas geminas liui-

das in latere vmbilici, vbi tumor durus inæqualis adhuc transuersim eminebat, deprehendi. Quibus leui negotio, cùm tenuissimæ essent, disruptis, statim vertebræ ipsius fœtus, vnà cum scapulis & costis, obuia erant. Transuersim enim collocatus, & supinus dorso inflexo, & in orbem conuolutus iacebat, & versus exteriora prominebat. Qui exemptus diductusq; adeò putris erat, vt præter cutem & ossa, quæ tamen leui negotio dissoluebantur, & quòd fœmellus erat, nihil aliâs liceret, vel fœtor immensus fineret, cognoscere. Hoc saltem manifestũ erat, trãsuersum illius situm, atq; eximiam magnitudinem, quam longitudo illius & capitis amplitudo, prolixis admodum capillis constans, declarabant, impedimento fuisse, quò minùs in partu prodire potuerit: sicq; retentum viginti septimanarum spacio computruisse, & simul vicinas partes vndiq; infecisse. Cùm vniuersus vterus, vnà cũ inuolucris & omenti portione aliqua, musculisq; epigastrij illius loci, desiderarentur, totaq; illa regio pure, fœtore & nigredine infecta esset, & ad extremam vsq; cutẽ, vbi vesicæ apparuerant liuescẽtes, corrupta. Quo in loco si fortè sectio ante extremam illam viscerum corruptionem facta fuisset, fœtum eximi, matre superstite manẽte, potuisse, quæ sequitur historia comprobabit.

Partus impeditus, ob fœtum quoque in partu extinctum, qui postea ex abdomine matre superstite manente, exsectus exemptusq; fuit.

CONcubina sacerdotis cuiusdam, in pago quodam, tertiò grauida, per octiduũ pariendi conatus, cum maximis vteri cruciatib. persensit, neq; tamen peperit: sed tempore illo exacto, cessantib.

conatibus, cùm diu postea ægra permansisset, tandem in ventre illius, paulò supra vmbilicum, vesica quędam, nucis iuglandis magnitudine, erupit: quę cùm illi maximos dolores, per triduum causaret, ipsâ admodum rogante, à muliere quadam, subulâ pertusa & disrupta fuit. Quâ adapertâ, admodũq; propter ventris tumorem dilatatâ, fasciculus fœtũ continens apparuit: qui postquam à chirurgo, approbantibus singulis, parte aliqua dissectus esset, fœtus cubitus prominens, in conspectum se dedit. Quem cùm forcipe arripuisset, integrum fœtum, sed semiputridum, per foramen è vesica, vti dictũ, dissectâ factum, extraxit: nihil tunc grauiùs passâ matre, nisi quòd animo, dum fœtus extraheretur, parumper defecerat. Dein alio adhibito chirurgo, cereâ candelâ accensâ, & foramini aliquousq; inditâ, postea etiam manib. in abdominis cauitatẽ per idem foramen immissis, ánne quid restaret, diligẽter explorarunt: & cùm nihil superesse deprehendissent, vulnus emplastris ligaturisq; curando, triũ septimanarum spatio, integrè consolidarunt: mulierq; à partu rectè & decenter, vti aliàs fieri solet, purgata, ab anno 1583. quo hæc facta sunt, ad anni 1584. diem 24. Augusti, quo extincta primùm est, vixit; miserè tamen afflicta, quòd ventrem fasciis inuolutum & suspensum, ab eo tempore quo hæc acciderunt, gestare deinceps coacta fuerit.

Partum mortuum in vtero, viuâ matre consumi & in sceleton redigi posse, exemplo vituli viui cum ossibus prioris fœtus enixi demonstratur.

FOEtum mortuum ante partum, retentumque putrescere, & ad ossa vsq; matre superstite absumi posse, sequens historia comprobare videtur.

Vacca quædam paritura, conatu minimè succedẽte, retento fœtu, denuò concepit, & postmodũ vno partu vitulum viuum, atq; ossa pleraq; prioris, quæ post consumptionem ipsius atq; inuolucrorũ remanserant, enixa est, de quibus aliqua in Archiuo Medico meo asseruo. Quod etsi rarissimum & admirandũ, tamen in fœmina contingere posse, vt in vacca hac accidit, præsertim si putrescens in fœtu caro, per vterum diu effluat & repurgetur, hoc exemplum euincit.

Partus imperfectus, ob secundinam retentam, vteroq; adnexam.

MVlier nobilis Galla, quę iam multoties pepererat, cùm ante annũ in partu, ob secundinã retentam, ab hora quarta matutina, ad octauam vespertinam, quâ demùm, vsa priùs iniectionibus, sternutatorijs, suffitibus, secundinã eiecit, vix euasisset; anno 88. Martij 25. denuò, cùm manè fœtum excluderet, ob secundinam subsistẽtem, in periculum venit, propendente interim chordâ vmbilicali. Frustra autem varijs remedijs tentatis, magnaq; sanguinis grumosi continuò effluente copiâ, vires adeò collapsę sunt, vt sequenti die, circa horã quartam vespertinã, extingueretur. Sectione facta, vterus spissus & amplus (qualem puerperis per octiduum permanere, indeque sensim se recolligere, & ad pristinam paruitatẽ redire, in sectionib. aliquot puerperarum supplicio affectarum, obseruaui) in hac quoq; inuentus est. Quo in longum, ipsiusque ceruice dissectis, secundinã, tum circa vteri orificij, quod amplum admodum erat, initium, adhæsisse; tũ per carneam placentã vteri interiori substantiæ adeò accreuisse, vt ægrè manib. auelleretur, & tracta laceraretur, visa fuit: cui adhuc amnios tunica, chordaq; vmbilicalis, adhęrebãt. Præter q̃ & corp9

quoddam, parenchymate crasso & subliuido constans, hepatis substantiæ coctæ simillimum, propriâ inuolutum tunicâ, illic quoque citra connexum iacuisse, obseruauimus. Ex quibus, quòd nondum perfectè maturo fœtu, mater ad partum edẽdum ab obstetrice sollicitata fuerit, causam fuisse, vt secundina hæserit, coniecimus. Cùm, nisi maturo penitus fœtu, osculis vasorum tunc sponte citra laborem secedentibus ab inuicem, si fœtus vi maiore propellatur, oscula modò dicta, citra dilacerationem diuelli vix queant: vnde postea tanta sanguinis profusio, quæ matrem è medio tollit, sequitur. Causamque hanc potiùs, quàm secundinæ retentionem, accedente nonnunquam etiam vteri inflammatione, ob dolores illos in solutione illa violẽta accidentes, quare puerpera tam subitò extinguatur, existimamus esse: cùm illa retenta, vt nec fœtus mortuus, sicuti exemplo prioris, tam diu matre superstite, subsistentis, demonstrauimus, hoc tam citò minimè posset efficere. In quo quàm sæpe peccetur ab obstetricibus, vt se expediant citiùs quàm necesse erat, grauidam, postquã aliqua tantùm præludia partus senserit, ad laborandum (vt vocant) per conatus, impellentibus, in opere nostro practico exposuimus.

IN VITALIS MOTVS DEFECTV Obseruationes.

Viuidi alij naturâ, alij minimè.

IN certis locis vel regionibus alij viuidiores, alij minùs, prout humidum viuificum plus minúsve illis innatum: vnde fit, vt quidam non ob morbum aliquẽ, vti aliàs ferè, ob nostram intemperantiam accidit,

citiùs vel tardiùs ſuperuenientem, è medio tollantur, ſed morte natutali decedant, antequam de vllo alio affectu, niſi de ſolo languore, & imbecillitate conquerentes, placidè flammæ alicuius inſtar, oleo deſtitutæ extinguuntur. Quos cùm neminem ſine præcedente aliquo morbo mori poſſe, exiſtimēt, apoplexiâ tactos cum ſine ſenſu doloris aut alterius affectus, obeant, ſicque mortuos arbitrantur.

Ex his, quibus ſpiritus vitalis maior cōpia & vigor ſuppetit, paucos octuageſimum ætatis annum attingere, longeq; pauciores ſuperare, ſacræ teſtantur literæ, & quotidiana oſtendit experientia. Vidimus tamen ipſi, & cognouimus in patria parentis noſtri piæ memoriæ Thomæ Plateri, gymnaſiarchæ Baſilienſis, in pago Grenchen/ in altiſſimo monte Veſpienſis tractus in Valleſia, multos incolas non ſolùm octuageſimum vti & pater meus, à qua ætate & ego parùm abſum, ſed & centeſimum annum ętatis exceſſiſſe. Inter quos auus maternus, Iohannes Summermatterus, ex antiqua & honeſta illius loci familia oriundus, poſt centeſimum ætatis annum adhuc vegetus, vxore, virgine 30. annorum ductâ, filium ex illa genuit, cuius nuptijs viginti annis, poſt centeſimum, adhuc ſuperſtes interfuit, & ſexennium adhuc vixit, atque ita 126. annos ætatis compleuit: de nullis alijs grauioribus accidentibus, niſi quòd flatus retinere non poſſet, conqueſtus. Cum quo pater meus, ipſius nepos, ſexennio ante illius obitum colloquutus, ex eo decem adhuc, in diœceſi Veſpienſi eſſe viros, qui ætate eum excederent, intellexit. Quod non ſolùm ego parentem meum narrantem in ſcholis, & D. Theodorus Zvvingerus, compater meus quondam & amicus ſuauiſſimus, in Theatro ſuo vitæ humanæ rem ita ſe habere teſtatus, audiuimus, ſed

& ipſemet cùm Anno 1562. cum parente in hunc locum Valeſię perueniſſem, à multis extremę ætatis idem comprobari audiui, & in huius pagi ingreſſu, ſenem cœcum in ſella ſedentem, ſolemque faciem in eum conuerſa intuentem vidi, & mihi indicantem, & ſe & alios adhuc illius ditionis centeſimum annum compleuiſſe; è cuius ædibus, filij & filiæ illius iam decrepiti & cani, & aui ac parentes aliorum prodeuntes, mihiq; & aduentum, & Doctoris honorem, & quòd ex familia illa, quæ illic magna erat, originē traherem, gratulabantur, præſertim cùm & pater meus inde oriundus, ad ſcholę gubernationem promotus, & amitinus illius Simon Lithonius, ſcholæ Argentinenſis, quondam Profeſſor, cuius Stumpfius in Chronico ſuo meminit, factus eſſet, vehementer gaudebant.

Animi defectio, Scotomia, Vertigo.

SEnſit Dominus quidam barbâ rufus, facie candidus & virilis ætatis, ex leui commotione, ieiunus, interdum animi defectum, priùs circa ventriculi regionem torſionibus ſe manifeſtantibus, & ſurſum vaporibus aſcendentibus, vnde obtenebratio, viſus & leuis vertigo, & niſi sediſſet, animi defectionem hancque ſequentem epilepſiam metuit, quibus vt obuiam iret, iuſſi, Anno 1595. menſe Nouembr. ſequentibus vti.

Comedat Saccharatas cōfectiones poſt Paſtum. Conſeruam item Roſarum, & condituram Cydoniorum, diutiùs non maneat ieiunus: Vtatur iuſculis cū Maior. & Nuce moſc. vel Weinwarm Germ. Aut Ouo ſorbili cum Nuce moſc. & Maiorana.

Sumat tabulam vnam poſtquā comedit: ℞. Nuces moſc. nu. ij. Cinam. Garioph. Galang. an. ʒ. j. fol. Euphraſiæ, Maioranæ, fl. Lauand. an. ʒ. ß. Diamarg. frig. ʒ. j. ſ. Fœnic. ʒ. ß. Sacch. diſ. in aqua Roſ. ℥. v. fiát tabulæ. Pulue-

Puluere vtatur sequenti in Vino hoc modo: ℞. rad. Ireos ʒ.vj. Galangæ, Acori veri, Enulę, Angelicæ, herb. Absynth. Chamæpith. Chamæd. Euphrasiæ, Betonicæ an. ℥. ß. fl. Ros. Anthos, Saluiæ, sum. Thymi an. ʒ. iij. sem. Fœnic. Carui, Coriand, an. ʒ ij. conquassentur, De hoc puluere maceret coch. j. in poc. ij. Vini & colatum bibat duob. matutinis, post iusculum, continuet singulis septimanis.

In paroxysmo comedat mox tabulam: ℞. olei Anisi, Cinamom an. guttas 8. olei Perlarum, Corallorū an. gutt. iij. Sacchari diss. in aqua Ros. ℥. j. ß. superbibat Vinum illicò, vel aquam Cinamom.

Aqua hac cordiali vti quoq; posset: ℞. fol. Melissæ ℥. ß. fl. Cord. an. ʒ. ij. sem. Ocimi ʒ. j. Gariophyl. ʒ. ij. cordis Cerui abluti Vino frustum, Vini Maluatici quart. j. mensuræ partem, destillentur.

Huius aquæ cape ℥. j. aquæ Cinamom. ℥. j. syrupi de Acetos. Citri ℥. ß. misce: Capiat in & extra paroxysmum.

Lipothymia cum cardialgia.

Vide in cordis dolore Lib. II. Cordis dolor seu cardialgia.

IN VITALI MOTV DEPRAVATO Obseruationes.

Cordis palpitatio, Epilepsia.

Laborabat quidam ex Burgundia, perseuerante Cordis palpitatione, cerebri totiusque corporis imbecillitate, atq; Epilepsiâ correptus, aliquoties in anno corruit. Inter cætera remedia, hæc potissimùm profuerunt.

Pro palpitatione cordis, hac Aqua vſus, quæ cordi, cerebro neruisque accommodatur: ℞. cordis Cerui vel Hirci, Porci domeſtici vel Syluestris an. ℔ j. abluantur Vino Maluatico, & incidantur in paruas portiones, addendo fol. Meliſſæ, Maioranæ ana M. j. fl. Bugloſſæ, Borrag. Violarum, Roſarum, Scabioſæ, Gariophyl. hortenſium ana p. j. ſe. Ocimi ʒ. j. ſem. Citri ʒ. ß. Garioph. aromat. ʒ. ij. Cinamom. ʒ. vj. Maceris. Santali citrini, ligni Aloës an. ʒ. j. incidantur & contundantur, add. Vini Maluat. ℔. ij. ſucci Limon. vel Citri ℥. j. vel in illius defectu Syr. illius. Deſtill. in B. M. donec aqua nõ amplius odorem ſpiret, tuncq; ſatis eſt, ſeruetur ad vſum benè obturata, & rectificetur in calore ſolis vel alio.

Deinde de hoc electuario alternis diebus manè ieiunus ſumpſit inſtar caſtaneæ, ſuperbibendo aquam Saluiæ cum pauco Vino: ℞. conſeruæ Maioranæ, Meliſſæ, Betonicæ, fl. Roſmarini an. ʒ. j. fl. Pæonię ℥. j. ß. Calami arom. Zingib. cort. Citri conditi an. ℥. ß: pulu. ſem. & rad. Pæoniæ & Viſci quer. an. ʒ. j raſ. Eboris ʒ. ß. Cranij hominis ſubtil. pulueric. ʒ. j. ß. Cinam. ʒ. ij. Nucis moſc. ʒ. j. ſp. Pliris arcot. ʒ. ß. cum ſyrup. conſer. cort. Citri fiat electuarium: Capiat alternis diebus ʒ. j.

Balſamoleo ſequenti pro inunctione ſpinæ quoque vtebatur ſic parato: ℞. gummi Galbani, Bdellij, diſſ. in Aqua vitæ an. ℥. ß. Benzoini ℥. j. Styracis liquid. ʒ. j. fol. Rutæ, Chamæpitheos, fl. Stœchados, Lauandulæ an. ʒ. ij. rad. Coſti ℥. ß. Caſtorei ℈. j. infundantur inciſa & pulueriſata in Aqua vitę, ſtent in maceratione in calore per dies aliquot, ante vſum. Eoq; fricet ſpinam.

Iulepi ſequentis capiat ℥. j. ſumpto electuario ſupradicto: ℞. aquæ Saluiæ, Meliſſæ, an. ℥. ij. Vini albi ℥. j. Sacchari roſ. tab. ʒ. ij. miſce.

Cordis

Cordis palpitatio in Melancholia.

VIde in Mentis alienatione Lib. I. Melancholia hypochondriaca &c.
Iterum ibidem. Melancholia ex terrore &c.

Cordis & arteriarum pulſatio in febre lenta.

VIde in Febribus Lib. II. Febris lenta Cachexia.

IN APPETITVS DEFECTV Obſeruationes.

Apoſitia ſeu omnimoda Potus abſtinentia.

MArchio quidam legatus, à Rege Gallorum in Italiam miſſus, nihil penitùs bibebat, idque à teneris ſibi conſuetum fuiſſe, ipſemet & qui cum eo erant Baſileæ fatebantur.

Helueticum quendam nobilem à potu abſtinere ſolitum aliquoties audiui.

Faſtidium ciborum aliàs conſuetorum, in quibuſdam naturis.

SVnt quidam, aliqua eſculenta & potulenta pleriſq; grata alioquin, adeò auerſantes, vt ea non tantùm nauſeam illis pariant, ſed illorum naturæ penitùs ſint contraria, & abominabilia.

Caſeum multi auerſantur, nec illius odorem vel vſum ferre poſſunt.

Senator quidam è noſtratibus, Lardo nõ veſce-

batur, obque id etiam quæcunq; lardo confixa aut infarcta sunt non attingebat.

Antonius Postellus Gallus, puer, conuictor parentis mei, nihihil quod coctum, siue elixum, assum aut frixum esset, comedebat, contentus solo pane, fructibus & lacte. Pane autem non puro, sed furfuraceo, quali ego canem meum alere solebam, tantùm vescebatur, ex pura farina pistum fastidiebat. Fructibus æstatis tempore, & hyemis iisdem siccatis, pomis, pyris, cerasis, nucibus &c. vtebatur. Lacte quoque frigido tantùm vescebatur, nihil enim quod calefactum erat, attingebat. Bene habitus interim, coloreque viuido. Hancque consuetudinem viuendi, aliquot annos cum parente meo degens, vt & postea, sicuti mihi relatum fuit continuauit.

Nepotes mei ex fratre Thoma Platero, medico, Felix & Thomas, fructuum omnium recẽtium horariorum esum, ab ineunte ætate, ad octauum ille, hic septimum ætatis annum vsq; planè fastidiunt: veluti pomorum, pyrorum, persicorum, cerasorum, prunorum, fragorum, vuarum & cæterorum, quibus alioquin infantes mirè delectantur. Interim cibos qui adultis & senioribus magis consueti sunt & competunt, auidè comedunt, excepto caseo, à quo vterq; abhorret.

Abstemij.

HI Vinum naturâ non bibunt, sicuti bruta pleraque animalia, illud quoq; fastidiũt. Vidi tamen inter eos, qui dulcia vt Maluaticum, vel recens adhuc dum mustum dulce est, bibebant, & tunc primùm, cùm efferuescendo vinosum saporem acquirit, id fastidientes.

IN-

IN APPETITV DEPRAVATO Obseruationes.

Appetitus deprauatus, seu Pica in grauida.

FOemina quędam grauida, libras aliquot Zingiberis, maxima voluptate, sine vllo incommodo, vna vice deuorauit, nec, quod mirum erat, ardorem in faucibus vllum se sentire mihi fassa est, multò minùs in ventriculo.

Appetentia rerum aliàs nauseam adferentium.

CVm iuuenis Monspessuli pharmacopæo, Laurentino Catalano cohabitarem, rebusq; dulcibus, quod iuuenibus cõsuetum, mirè delectarer, herusq; meus ollas amplissimas, Theriacâ, quam præparare maximâ copiâ solebat, plenas, in cubiculo vbi cubabam asseruaret, dulcedine illius allectus, intemperantiùs quam decebat, frequenter cochlearia aliquot, vna vice deuoraui, idq; sæpè in die, cubiculum aliquoties transiens, nec memini me mutationem aliquam, multò minùs damnum aliquod inde sensisse.

Alia appetentia rei abominabilis.

AD maturationem bubonis pestiferi, cùm cœpam sub cineribus assam, Theriacâ infarctam, illi imponeret chirurgus, indiesq; nouam apponeret, priore abiectâ; puellula, vnam casu inueniens, quam chirurgus à bubone modo amouerat, clàm eam deuorauit, nec quicquam mali inde passa est.

Oris amaritudo in Febre tertiana.

VIde in Febribus Lib. II. Tertiana intermittens duplex.

Oris amaritudo in cardialgia.

VIde in cordis dolore Lib. II. Cordis dolor vel cardialgia.

IN HAEMORRHAGIAE NATVRALIS DEFECTV Obſeruationes.

Menſium ſuppreſsio, Cachexia, Dolor capitis, in muliere.

MVlier iuuencula nobilis, primis annis nuptiarum, menſium ſupreſsione laborauit: pallida, facie inflata, dolor perpetuus capitis, imbecillis, & cibum faſtidiens: diu medicamentis vſa, meliùs nonnihil habens, præſertim poſt thermarum Cellenſium vſum, rurſum cœpit grauiter laborare: adducta huc 8. Nouembr. Anno 1595.

Primùm præſcripſi pilulas: ℞. pill. Aggreg. ℈. j. Aurear. ℈. ß. cum aq. Cinam. Sumſit, & vehementer fuit purgata.

11. Nouembr. cœpit vti hoc electuario: ℞. conſ. fl. Cichorij, Capill. ven. Beton. an. ℥. iij. Pellic. inteſt. & ventric. gallinæ ℥. ß. Diarrh. abb. ℈. j. cum Syrup. conſ. cort. Citri fiat elect.

Conſtipata erat, itaque 13. Nouemb. præſcripſi: ℞. pill. de Hiera ſimp. Maſtichin. an. ℈. j. cum aq. Fœnicul. fiant. pill.

Poſtea vſuales præſcripſi pilulas: ℞. Aloës ℈. ij. Agar.

Agar. Rhab. ana ℈.j. gummi Ammon. diſſol. in ſuc. Ireos ʒ.ß. rad. Gent. ʒ.ß. Zingib. Spicæ ana ℈.j. cum Syrup. de rad. fiat maſſula: Capiat ʒ.ß. tertio ſemper die.

Vtatur quoque vnguento hoc in regione lienis & hepatis: ℞. ol. Amygdal. am. de Cappar. an. ℥.j.ß. ſuc. Apij, Aceti albi ana ℥.j. coq. ad ſuccorum conſumt. adde Gummi ammon. diſſ. in Aceto ℥.ß. rad. Azari, Spicæ, ſ. Viticis an. ʒ.ß. Ceræ q.ſ. fiat vng.

Ægrè ſumebat pilulas; idcirco cùm paucas ſumeret, & non operarentur, addidi ad ʒ.ß. huius maſſæ Aggreg. ℈.ß. & deiecit.

22. Nouemb. quia faſtidiebat pilulas ordinaui tabulas: ℞. troch. de Rhabarb. de Eupat. Rhab. ana ʒ.ß. Spicæ ℈.ß. ſp. Dialaccę, Diarrhod. an. ℈.j. Sacch. diſſol. in aquis Abſynth. Gent. & Roſ. an. ℥.iij fiant tab. ad ʒ.j.ß. Capiat, ſuperbibendo aquas ſequentes: ℞. aq. Abſynth. ℥.ij. Meliſſæ ℥.j. Centaur. Gent. an. ℥.j.ß. miſce: Capiat ℥.j.ß. cum pauco Vino.

24. Nouembr. iuſsi ſumere pilulas: ℞. pill. Aggreg. ℈.j. ſumat ſequenti die. Continuabat poſtea tabulas.

28. Nouembr. ℞. Chalyb. ſubtil. limati ʒ.ß. rad. Rhapont. ʒ.iij. fol. Abſynth. Maioran. an. ʒ.ij. Spicæ ʒ.ß. Galangæ ʒ.j. fiat puluis: ligetur in nodulo pro menſ.j. Vini: Bibat manè alternis diebus.

Item: ℞. Ciner. pellic. ventric. & inteſt. gallinæ ℥.ß. Coralli ʒ.ij. raſ. Eboris ʒ.j.ß. ſp. Arom. roſ. Diagal. an. ʒ.j. conſ. fl. Cichorij ℥.j. conſ. Roſ. Maior. an. ℥.ß. cum Syrup. de rad. fiat elect. Vtatur cùm non vtitur tabulis, eo manè.

1. Decembr. quia Vinum chalybeatum admodùm fortè erat, & vomitū mouerat, & orichalcum redolebat. iuſsi addito Vino magis diluere. Poſtea bibit, & retinuit, atq; incepit bene colorari, & cum appetitu edere: remittebatq; capitis dolor.

Iussi tabulis alternatim cum Vino vti. Et 5. Decembr. superuenerant menses, quibus antea toto anni spacio caruerat. Sed quia parcè fluebant, iussi sequenti die nihilominus pergere in vsu Vini, & tabularum successiuè.

Purgata fuit 9. Decembr. ℞. Syr. rof. sol. cum inf. Sennæ & Rhab. ℥. j. & ʒ. ij. cum aq. Absynth. & Cinamom. Bibat.

14. Decembr. quia Vinum chalybeatum fastidire incipiebat, aliud dedi, ℞. rad. Aperit. cort. Tamaricis ana ℥. ß. herb. Absynth. Chamæpyth. Chamædr. Thymi ana ʒ. j. ß. Epith. flor. Cord. ana ʒ. j. ſ. Anisi, Petros. Cuscutæ an. ʒ. ß. Sennæ mund. ℥. j. ß. Agarici ℥. ß. Zing ʒ. j. Rhab. el. ʒ. iij. Myrob. citr. ʒ. ij. Cinam. ʒ. j. conquass. pro nodulo in Vino, bulliant parùm in duplici vase: Capiat successiuè.

21. Meliùs habuit Vini illius vsu, & tabularum, nam priùs rursus recruduerat malum.

24. Decemb. cùm iam inciperet conualescere, & abitum pararet, loco Vini paraui sequentem infusionem: ℞. rad. Azari, Ireos, an. ℥. ij. Gentia. ʒ. j. Absynth. ʒ. ij. sumit. Centaur. fol. Maior. an. ʒ. j. semin. Fœnic. ʒ j. Petros. Cuscutæ an. ʒ. ß. Sennæ ʒ. j. Agar. Rhab. ana ʒ. iij. Turbit. ʒ. ij. Zingib. Spicæ ana ʒ. ß. Cinam. ʒ. j. fiat puluis tenuissimus. Infundat de illo cochl. j. in cyatho Vini, stet per noctem in loco calido; crastina die coletur, & bibat: idq; ad minimum semel in septimana, plus minùsue pulueris sumendo, pro infusione, prout operatio fit: ne si simul infundantur, Vinum corrumperetur.

13. & 19. Februar. cùm ad me scriberet, Vinum non satis operari, iussi totum puluerem sumere, & addere Sennæ ℥. j. Agarici ℥. ij. cort. Sambuc. ℥. ß. Zingib. ʒ. j. Turbith. ʒ. ij. & simul infundere. Quo Vino diu vsa, postea bene habuit. Interea alternis diebus sumpsit tabul. vel tertio die; interdum conseruam.

seruam, superbibendo semper, aq. Endiu. Centaur. Gent. ana ℥. ß. cum pauco Vino.

Iussi pedes lauare decocto Salu. Arthemis. Sabinæ & fl. Cham. & suffitum admittere, mensium tempore.

Venam saphenam ineunte vere aperuit, quod valde profuit.

Comedat carnes iuniorum animalium, lucios, percas pisces, capita veruecum, pedes vituli. Oua sorbilia, nisi postea eructent, tunc ab illis abstineat. Caueat à salsis, arom. nimium. Vitet varietatem ciborum. Item lac, crudas herbas, caseum. Rad. cich. coctas cum Aceto edat: item Cappares & fructus siccos, vt pruna, poma, pyra. Vuas pensiles. Caueat à saccharatis & mellitis. In fine mensæ sumat conf. Fœnicul. carnes Cyton. cond. Vinum bibat antiquum dilutum, vel vetus & nouum inuicem permixta. Somnus sit moderatus. Exercitium cibum præcedat.

Mense Aprilis reuersa sana, erat. Verùm quia Cellenses thermæ illi aliâs profuerant, easq; appeteret, illarum vsum mense Maio concessi. Sed mutato consilio, acidas aquas bibit, & viuit, & valet.

Mensium suppressio, Cachexia in puella.

Pallida puella, gibbosa, Anno 1596. de Cardialgia, tumore pedum, pulsu arteriarum & defectu mensium conquerebatur.

Pilulis sequentibus per vices meo consilio vsa est: ℞. Rhabarbari elect. Aloës ana ʒ. j. troch. de Eupat. Dialaccæ an. ℈. ß. gummi Ammon. dissol. in Aceto ℈. j. puluer. Lumbricorum vstorum ℈. j. Diagrydi. præpar. ʒ. ß. cum suc. Ireos, fiat massa: Capiat ʒ. ß. tertio die.

Tabulas quoque præscripsi: ℞.conf.fl·Cich.Capill.ven.an.ʒ.ß. Cineris pellic.& intest.gallinæ,ras. Eboris ana ℈.j. Coralli ʒ ß. spec. Arom.rosſ.Diagal. troch.de Cappar.an.℈.j.Sacch. diss in aq. Absynth. & Cichor. fiant Tab. Capiat vnã die sequenti post pill.vsum,continuando.

Sensim appetitus colorque viuus redierunt, & menses fluxerunt.

Mensium suppressio cum cephalalgia, facie rubra.

Vide in Discoloratione, Lib. III. Faciei rubedo & liuiditas &c.

Mensium Suppressio, Melancholia.

Nobilis virgo, quæ ante annum circa finem illius, peripneumonia, & melächolia laborarat, preuenire eiusmodi accidētia volens, maturè ante hyemem, hoc anno purgari cupiuit, præsertim cùm, quod núnquam sibi accidisse narrabat, mēses consueto tempore fluxerint.

Sumpsit itaque mense Septembr. Anno 1598. pilulas, quas sine labore deglutire poterat, & sequenti die venam aperuit, brachij sinistri mediam, seu communem dictam.

Verùm sequenti mense Octobris, cùm nec tunc fluerent menses, colorq; viuidus mutari inciperet, ipsaque tristis & solitaria esset, à cognata admonitus, Iulepum hunc 25. Octobr. exhibui: ℞.Syr.rof. fol.℥.j.syrup. de Cichor. cum Rhab. ʒ.vj. aq. Beton. & Buglofs.an. q.s. fiat Iulep, Arom. ʒ.ß. Cinamom. Deiecit huius vsu sæpiùs. Itaq; seq.die, eum denuò sumere iussi, vnde quoq; purgata fuit.

Sed cùm vlteriùs purgari cuperet 27. Octobris, hanc potionem duabus vicibus sumendam præscripseram; quę ℞.rad.Liquir.℥.j.ß.rad.Cichor.℥.j.

rad.

rad Enulæ ℥.ß.herb.Capill. ven. Beton.Eupat.ana M j.ſ.Aniſi.ʒ.iij. Fœnic.ʒ.ij. ſ. Melonum ʒ. ij.Paſſul. enucl.par.x.fol. Sennæ ℥.j. & ʒ.ij. fl. Cord. P.j. fiat decoctio infunde Rhab. el.ʒ.j.ß. fiat Expr. Diſſolu. ſyr Roſ.ſol.℥.ij.miſce: Bibit mediam partem, quâ vehementer purgata fuit, adeò vt reliquam portionem non ſumpſerit die ſequenti.

Et cùm iam tota Melancholica eſſet, grauesque haberet cogitationes,& terrores,hoc elect.eam vti iuſſi: ℞.conſ.Roſ.Bugloſs.Maioran.an.ʒ.ij.ſp.Diamarg.frig.ʒ.ß.conſ.Alkermes ʒ. ß.cũ ſyr. conſ.cort. Citri q.ſ.fiat Elect. Sumat manè continuis diebus.

Cœperunt mitigari accidentia, ſed menſes non fluebant,iam duobus menſibus,itaq; ſupputando ab eo tempore,quo vltimò deſierát, cũ circa finem Nouemb.denuò expectarétur,dedi octiduo priùs, de ſeq.pillul.℞.Aloës ʒ.j.Rhab. ʒ.j.ß. Diagryd. ℈.j. Myrrhæ, rad. Azari ana ʒ.ß. Spicæ ℈.j. Croci ℈.ß. Cum ſyrup. de Arthemiſia fiat Maſſa,

Sumpſit ℈.ij.parumq; deiecit. Poſt tres dies eas repetens,copiosè deiecit, ſtatimq; menſes ſuperuenerunt, eo die, quo & auidè cibum quem priùs faſtidiebat,expetere comedereq; cœpit,& Melancholicis illis phantaſmatibus angi deſijt.

Circa medium Decembr. redierunt Melancholica quædam ſymptomata,itaq; pill. repetere iuſſi. Item latus ſiniſtrum, de quo admodùm conquerebatur (quod indicium erat hypochondriacam eſſet melancholiam) inunge. hoc vnguento; quod ℞. ol. Anethini de Cappar. Nardini ana ℥.ß. Aceti ſcill.℥.j. coq.ad conſumpt.Aceti.Adde gummi Ammon.diſſol.in Aceto ʒ.ij.rad.Azari ʒ.j.ſ. Nigellæ ʒ. ß.Croci ℈.j.Ceræ q.ſ.fiat Linimentum.

Puluere poſt paſtum vti ſeq. ℞.ſ.Aniſi ʒ.iij.ſ.Fœnic.ʒ.ij.ſ.Carui, flor.Cord.an.ʒ.j.Maior.ʒ.ß.Sacch. Roſ.tab.℥.ij.fiat puluis.

Menses suppreßi, in hisce quæ se grauidas falsò putabant.

VIde in Extuberantia Lib. III. Ventris extuberantia &c.

Dein iterum in eodem casu.

Menses suppreßi in Viraginibus duabus.

BEne habita, formosa & sanguinea mulier, lithotomi cuiusdam, nullis vnquam menstruis laborauit: nec incomodum vllum inde passa est. Sterilis tamen in gemino matrimonio ad dies vitæ permansit.

Aliam noui, quæ cùm virgo esset, menstruis decenter purgata fuit, nupta verò iam multos annos illis destituitur, bene habita interim & sana nihilominus.

Menses suppreßi in Lactantibus, aliàs minimè.

MVlieres aliquæ, quæ aliquoties pepererant, mihi fassæ sunt, se, cùm puerum infantem lactassent, caruisse menstruis; si puellam minimè. Nec priùs illis, quæ masculum lactassent, donec de nouo concepissent, menses apparuisse.

IN LACTATIONIS DEFECTV Obseruationes.

Lactis defectus in puerpera pleuritica.

VIde in Pectoris dolore Lib. II. Pleuritis in puerpera &c.

Lactatio ob papillarum defectum vel morbum impedita.

LActationem fieri nõ posse, propter papillarum defectum vel morbum, in multis videmus accidere, quem defectum mamillarum per quas sugere debebant, nec possunt, alio instrumẽto, quod lac cor tineat mammę instar, & apicem habeat papillę similem formatum, per quem infans lac sugat, supplẽt, & sic infantes ad lac caprinũ vel vaccinum tepidũ sugendũ assuescũt. Quod & ex cornu vaccę alij fabricant, illiusq; angustiori sedi ptusæ, coriũ, vt sic infans commodiùs sugat, affigunt.

Qua ratione pater meus, Thomas Platerus, cùm mater ipsius ob mamillas affectas, eum lactare minimè posset, citra maternũ aut nutricum lac, quod nunquam eum gustasse, sæpè ex ipso audiui, ab ortu primo, eousq; donec citra suctionem bibere posset, fuit sustentatus; vnde nihilo factus imbecillior aut inualidior, sed vegetus & viuidus, ad 83. ætatis annum vsq; vixit. Vti & alij in eodem monte nati, lacte à teneris ferè enutriti, ad longæuam ætatem, quorum aliqui centesimum annum superarunt, vti in vitali motu explicauimus, vixerunt.

IN ACTVS VENEREI DEFECTV Obseruationes.

Impotentia ob testes amissos.

EX eorum numero, qui vno tantùm teste per castrationem vel alium illorum affectum, orbati essent, vix aliquos impotentes factos & nihilo segniores, ad hunc actum obeundum, liberosque procreandos, nisi aliud accedat, vidi. Vti verò Eunuchos, quibus vterque testis exectus, qui etsi hunc in se defe-

ctum celare velint, tamen in eo se produnt, quòd effœminati fiant, hocque in ipsis ex voce, barbæ defectu & quòd cùm priùs macilenti fuerint, postea pinguescant, cognoscatur.

Sed & Eunuchos quosdam aliquid in actu hoc exercendo præstitisse, cognoui: Alios quoque vxores duxisse, de quibus illæ non fuerint conquestæ, fortè honestatis causâ, & ne per diuortium, & præsertim vir diues, vxor pauper separarentur, hæc famescere cogeretur.

Verùm & memorabile hoc accidisse vidi; Quòd quidam Sacerdos ne liberos procrearet: & mulctaretur; studio per castrationem spontaneam sibi acquisiuit impotentiam. Qui cum concubina pluribus liberis procreatis, sæpè eò nomine pecuniâ mulctatus, tandem etiam in carcerem coniectus, ne quid tale ampliùs committeret, & puniretur, accersito chirurgo, vtrumque testem sibi exscindi curauit. Quo facto in grauiorem incidit pœnam; nam sacerdotio priuatus, desperabundus & in militiam profectus, in Vngaria occubuit.

Impotentia ob membrum virile nimis exile.

MEmbri virilis vitij ab ortu contracti occasione, quod ineptum ad hunc actum obeũdum erat, vidi quendam, qui adeò exilem penem habebat, vt minimi digiti crassitiẽ non adæquaret, quo tamen vxor ipsius, ne matrimonium dirimeretur, cùm diues esset, illa verò vetula & pauper, se acquiescere contendebat.

In alio ob membri breuitatem.

IN alio coniuge penis adeò breuis erat, vt prętor glandem, cum præputio nihil præterea è corpore promineret, ad actum hũc penitùs inutilis.

In alio

In alio ob nimiam crassitiem.

OB membri genitalis quorundam magnitudinem, quam, ipsis iunctæ ferre non poterant, duo matrimonia diuulsa vidi, de qua tamen, in sequenti matrimonio, secundæ vxores minimè sunt conquestæ, è quibus vna iocando, conuenientissimè hæc membra inuicem aptari narrabat. Ex quo apparet fortè huius actus venerei in prioribus vxoribus impediti, causam ipsis vxoribus potiùs quam maritis adscribendam fuisse.

Impotentia ob membrum virile languidum, à causa abscondita profectum.

MVlti ad me Poliatri officio iam annos quadraginta duos fungentem, à consistorio matrimoniali, tum huius vrbis tum aliarum ditionum, vti & officiali Basiliensi, ablegati fuerunt, qui de impotentia accusati sunt, vt iudices antequã matrimonium dirimeretur, causam huius in actu venereo defectus, ex me priùs cognoscerent, an fortè curabilis vel incurabilis hæc esset impotentia, quã nisi externa aliqua in genitalibus prodant indicia, eò difficiliùs cognoscere licet, quòd eam ne se exponant ludibrio & risui, fateri nolint, varijsque interrogatis & circumstantijs, hoc ab illis extorquere oporteat.

In plerisque autem, qui examini meo impotentiæ causâ subiecti fuerunt, præter eos in quibus membrum virile non rectè formatum, vt iam aliquos eorum descripsi, deprehendi, impotentiam hanc inde proficisci, quòd penis nõ erigeretur, sed languidus maneret, & proin ad coniunctionem illam mutuam ineptus & inutilis esset, causamque

in interioribus vasis semini excipiendo ducendoque dicatis, potiùs quàm exterioribus membris latere, ægreque qualis, cum occulta sit, dijudicari posse, an organicum aliquod vitium in ijs, qui ab ortu tales sunt, vel intemperies, vel obstructio: Nec posse nos tunc certi aliquid iudicare, nisi ipsi languiditatem hanc virgæ, sponte fateantur, aut alijs artibus hoc ab illis, vti dictum, extorqueatur, vt tandem se prodant.

E quorum numero, vt hanc ignominiam vitarent, nec ludibrio & risui se exponerent, ab vxoribus accusati, etsi se nihil præstare posse, scirent, tamen pertinaciter, præsertim si semen emitterent, multos perstitisse, donec iuramento astricti, defectum hunc coacti faterentur, obseruaui. Item quòd aliqui per diuortium ab vxoribus separati, postea alias duxerunt, quæ imbecillitatem hanc ipsorum ferre, hacque voluptate carere potiùs, quàm famem pati, aut tenuiter viuere, vti priùs, antequam nuptæ essent, maluerunt, & proin nihil de maritis conquestæ sunt, sed potiùs, cum interrogarentur, eos excusabant.

Inter hos rusticus quidam à Iudice matrimoniali, ad me examinis causâ missus, cùm suam impotentiam, à me rogatus, diu negasset, tandem, inconstantiâ verborum suorum victus, suam inhabilitatem fassus est. Verum illi credere non tutũ esse existimans, vt ab vxore, quam odio prosequebatur, liberaretur, eum hoc facere arbitratus, proposui ei periculum quod inde secuturum esset, si falsò se impotentem esse diceret. Primùm quòd ludibrio se omnibus expositurus esset, deinde quòd cogeretur, ab vxore separatus, iureiurando sub pœna capitis sanctè polliceri, se totius vitæ reliquo spatio, vxorem aliam non ducturum. Quod cùm ille se sine vlla dubitatione facturum affirmaret, atque

exil-

ex illis, vera illum falsum colligens, iudici eius cōfessionem indicaui, cuius sententiâ facto diuortio, in cælibatu hactenus permansit.

In alio similis languor.

QVidam ciuium nostratium ex familia primaria oriundus, adolescens 20. annorum, robustus, vxorem virginem duxit, cui cùm per anni spatium cohabitasset, signifer factus, militatum cum nostris in Galliam abijt, & per annum ferè emansit. Reuersus domum, cum vxore aliquamdiu vixit, tandem verò, quòd dotem vxoris cōmessando profunderet, litibus eo nomine inter parentes ipsosq; coniuges ortis, rursum relictâ eâ, in Galliam discessit, illicque magnos iterum fecit sumptus. Vnde inopiâ coactus, ad vxorem redijt, nihilo frugalior factus paterfamiliàs. Ob quam causam vxor ipsius, quæ totum quinquennium, defectum mariti celauit, auiæ suæ, impotentiam mariti detexit, seque ob eam rem non tantopere, quàm quòd omnia dilapidaret, sollicitam esse, pudibunda confitebatur. Quod parentes vxoris vbi resciuerunt, diuortium vt inter ipsos fieret, à consistorio matrimoniali petierunt: quod antequam obtinuerunt, ad nos Medicos maritus missus est, vt quo pacto se res haberet, exploraremus. Deprehendimus autem illum, quòd exteriora membra genitalia attinet, nō fuisse castratum, virgam quoque rectè formatam, sed exilem, qualis puerorum esse solet. E quibus tamē, de impotentia nihil certi pronuntiare potuimus, cùm & pollutionem aliquando se sentire affirmaret, donec ex alijs circumstantijs colligere licuit, penem eius minimè rigere posse, quod & fatebatur tandem, causamq; fuisse, cur nunquam se cum illa commiscuerit. Cuius rei causa internum aliquod vitium, in vasis seminarijs reconditum po-

tius fuit, quàm veneficium, vti vulgò credebatur, cùm per totam iuuenilem ætatem languidus ei fuerit. Quod iudici matrimoniali cùm retulissemus, matrimonium hoc solutum fuit. Cuius rei pudorem ferre non potis, in Galliam profectus, & hinc inde in Academijs celebrioribus, vti & Monspessuli, cōsilio Medicorum vsus, multa frustra expendit, tandemque in Heluetiam rediens, Empirico se commisit, cum quo ad patrem reuersus, se curatum affirmabat, testem huius Empiricū faciens, qui ob curam, multum pecuniæ à patre petebat, quo potiùs famam de impotentia sparsam delere, quàm quòd ita se res haberet, voluerunt. Verùm ad separatam suam coniugem, adhuc virginem, redire nolens, in Belgium profectus, & strenui capitanei officio aliquandiu functus, vitam ibi finijt.

In Alio idem casus.

PEllio quidam primo gradus senectutis, viduus mortuâ primâ vxore, quam pestis An. 1610. sustulerat, aliam viduam matronam duxit, quæ illum mox de impotentia accusabat, apud Consistorium matrimoniale, à quo ad me fuit remissus. In eo virga rectè formata, sed in dextro latere, iuuenis castratus fuit, quod etsi per se alioquin impotentes non reddat, tamen si non rectè administrata sit sectio, aliquid quoque impotentiæ addere potest. Ex quibus tamen, cùm nihil certi adhuc possem conijcere, præsertim semen sibi aliquando profluxisse narranti, interrogando ipsum, de varijs, tandem eò redegi, vt conuictus ingenuè fateretur, penem sibi nunquam eousque riguisse, vt aliquam deuirginare potuisset, prioremque suam vxorem, quæ Vino magis, quàm venere delectabatur, contentam fuisse, si obiter tantùm cum illa se commiscuisset, quod tamen exactè fieri minimè potuerit; cum secunda

verò

verò quã duxerat, nihil penitùs potuiſſe vnquam efficere, aut illius clauſtra ſubire. Quæ cùm Iudex intellexiſſet, factum diuortium.

Poſt quod cùm ſolitarius viueret, neminem habens qui domeſticam rem illi gubernaret, & iuuẽcula quædam vicina à marito propter adulterium repudiata, illius ædes ſæpe frequentaret, cum parenti exoſa, & neglecta, vnde viveret non haberet, illi, vt ſe ſuſtentare poſſet, nupſit, quod matrimonium, cùm vir ſe ob curam quandam potentem factum, teſtaretur, idque iuramento confirmaturum ſe offerret, tandem conceſsum ei.

In Alio languiditas.

QVidam alius viduus, de quo in primo matrimonio ſuſpicio erat illum eſſe impotentem, fortè quòd vxor hoc alicui ſecretò patefecerat, cùm aliàs ne maritum diffamaret, vti honeſta erat, nihil conqueſta ad mortem vſq; fuerit. Effœminata tamen illius vox, aliaque quædam, quæ ebrius effutiebat verba, illum aliquo pacto ſuſpectũ reddebant, eoq; magis, quòd nullos procreaſſet liberos. Verùm ſecundam vxorem ducens, quæ illegitimam ſobolem procrearat, mox cum ea litigare, eamque peſsimè tractare cœpit, quibus contumelijs illa irritata, impotentiam ei exprobrauit, hanc ipſo ſemper negante, ad conſiſtorium matrimoniale tandem eſt ventum, à quo ad me ablegatus, hoc tandem ab eo extorſi, vt feriò fateretur, cũ ea ſe congredi minimè poſſe, exiſtimans ab ea ſe faſcinari: illa verò miras illius artes, quibus eam, vt libidinem expleret, exercebat, narrabat. Vnde factum, vt & hoc matrimonium diſſolutum fuerit.

Impotentia ex imbecillitate vasorum seminalium, ob veneris nimium vsum contracta.

Querebatur quidã de hac melancholicus alioquin, causamq́; huius, quòd cum iunior esset, Venerem immoderatiùs exercuerit, esse existimabat, & ob seminis illius cruditatem & aquositatem.

Ordinatâ prius victus ratione reficiente, vt semen laudatum generaretur, inter cætera præscripsi sequẽs remedium: ℞. de caudis Cancrorum fluuiatilium, & de coxis Ranarum carnem, coquatur in Lacte, postea contundatur, adde Pinearum enucl. & Fisticorum an. ʒ. j. Amygd. mund. ℔. ß. Piperis ʒ. ß. Sacchari q. s. fiant panes, coquantur in clibano: Et frequenter illis vtatur.

Ad stimulum addendum, primùm exterioribus illud tentare volui, iubens periuæi regionem, versus noctem calidè inungere, Oleo nucum, in quo Formicæ & Cantharides decoctæ fuerint.

Et vt quandoque, sederet sub noctem in balneo hoc: ℞. rad. Iridis ℥. ij. herbarum Vrticæ, Erucæ, Erysimi, Nasturtij, an. M. j. fl. Chamomill. Lauandulę an. P. j. decoquantur, additâ Vini aliquâ quantitate.

Cùm hæc quidem irritarent, membrum tamen non exactè erigeretur, vt congredi posset, validiora exhibui.

Et primùm Trochiscos cum Pipere, Moscho & Saccharo paratos.

Dein vt noctu cubitum iturus, haustum Lactis caprini, in quo 6. gr. Piperis contusa essent, biberet.

In cœna Cancros bene piperatos comederet.

Postre-

Postremò efficacissimum hoc & extremum docui remedium: ℞.seminis Erucæ ʒ.j. ß.sem. Sinapis, Nasturtij, rad. Pyrethri, Cinamom. Zingib. Piperis an.ʒ. ß. Croci ℈.ß. Boracis ℈.ij. Stincorũ præparat. ʒ. ß. Moschi gr. quatuor. fiat puluis subtilissis: Capiat ʒ.ß. si reliqua non iuuent.

Scribebat post tempus aliquod elapsum, se quidem cum muliere, sed ægrè miscere posse, sed quia virginem ducere cupiebat, non adeò validum se esse putare, vt eam deuirginaret, quamobrem, cùm multùm in eo situm esset, vt matrimonium iniret, pulueri postremo, Cantharides tres, abscissis chelis & alis, permiscui, vnde primo vsu scribebat, se præter stimulum, magnum conatum mingendi, & ardorem vrinæ, sensisse.

Ab eo tempore, scriptis ad me litteris saluteque aliquoties per alios mihi nunciatâ, intellexi eum in matrimonio contracto fœliciter, & sine quærelâ viuere.

In alio, impotentia similem ob causam.

VXorem duxerat quidam, cum qua rem minimè habere potuit, licet priùs luxuriosè admodùm vixisset.

Puluerem præscripsi: ℞. se. Erucæ ℥. ß. Piperis ℥.j. Zingib. Cinamom. an.ʒ. ß. Boracis ʒ.j.ß. caudarũ Stinci ʒ. ß. Cantharidũ ablatis alis tenuiorib. nu. vj. fi. puluis subtilissimus, addẽdo Sacchari ℥.j. Capiat ℥.j.ß. cum Lacte, cubitum iturus.

Hoc vnguento vtatur: ℞. rad. Pyrethri, Piperis, Zingib. semin. Sinapis an. ʒ.j Euphorbij ʒ. ß. ol. Laurini ℥.ij. ol. de Spica ℈.j. Ceræ parũ fiat vnguentum: Inungat regionem inter anum & testes, illic enim penis corpora latent.

Laudabat successum, & mihi, & cuidam alteri Principis magni Oratori, qui & ipse, vt placeret cuidam suæ amicæ, & se virum strenuum probaret, frequenti horum vsu, venerem supra modum exercẽdo, ad sanguinis cum semine effluxum vsq;, in morbum incidit, in quo viribus penitùs sublatis, extinctus est.

Venereus actus imperfectus putatus.

COnquerebatur matrona quædam, ad conceptum ob ætatem non ampliùs idonea, de marito qui virilem ætatem nõdum superauerat, quòd congressu, eam supra modum, exerceret excrutiaretque, citra spermatis tamen effusionem, nulloque cum oblectamento, à matrimonio consistoriali, vt per diuortium separarentur, obnixè petẽs.

Interrogatus à iudicibus super hac re, cùm maritus constanter, quod vxor de eo querebatur, negaret, an hoc fieri posset, in hunc modum respondi.

Naturaliter accidere minimè posse, vt viris membrum virile attollatur, sine præcedente veneris stimulo, qui cùm à semine in vasis genitalibus pruriente, eaque ad excretionem incitante, excitetur, illos quoque si congrediantur, semen emittere.

Itaque cùm ille nullum alium defectum, quò minùs cum ea commiscere posſit, habeat, verisimile videri, ipsam hoc prætextu, vt ab eo separari queat, faciliùs, quod vnicè optabat, cùm eum angue peiùs odisset, hoc excogitasse, cũ priùs etiam de impotentia, quod eam non attigisset, fuerit cõquesta, nunc verò eam minimè prætendens, sed nimium potiùs potentem, aliam causam quâ se ab ipso extricaret, iudici proponeret. Quam causam illa

illa tum hoc nomine, tum fortè quòd etsi vetula esset, satiari tamen non potuerit, excogitauit.

Hisce consyderatis, matrimonium minimè diremptum, ipsaq; ob turpia hæc & indigna muliere verba, quibus se omnibus ludibrio exposuit, mulctata fuit. Et licet vt cohabitarent, ipsis iniunctum fuisset, ille tamen pertesus, consuetudinis cum illa, in Pomeraniam profectus, aliquot iam annos emanet.

Venereus actus impeditus, ob ceruicis uteri orificij coalitum in muliere.

NObilis quædam mulier, in primo anno matrimonij grauida facta, cùm instaret partus tempus, & conatus pariendi sentiret, mox illis denuò cessantibus, post dies quatuordecim primùm, cùm magno labore & difficultate, infantem maturum grandem masculum, sed mortuū, enixa est; & postea maximos cruciatus circa orificiū ceruicis vteri persensit, nec post puerperium mariti congressum ferre ampliùs potuit, sed statim si quid ille tentare vellet, sanguinem profundebat: nec menstrua ampliùs postea habuit, atq; ab eo tēpore, diuersis accidentibus diuexata fuit, totum biennium, licet nihilominus circumiret, cibum caperet, & bene colorata esset. Tandem verò doloribus euicta, corporeq; admodùm attenuata, Medicorū operam vndiq; perquirebat. Symptomata hæc erant; sub vesperam, circa horam tertiam à meridie, aliàs paulò seriùs, dolores intolerabiles ventris & lumborum sentiebat; venter rugitum edebat; vterus durus & tumens tunc ex contactu deprehendebatur; ipsa corpus mirum in modum torquendo, & hinc inde iaciendo, spinam ventre sursum eleuato curuando, & clamoribus, conuulsionibus laborare visa est, quæ ad medium noctis vsque perseuerabant: tan-

q

dem obdormiens, maneque rurſum excitata, cibũ capiens, nihil mali ad conſuetam paroxyſmi horam vſque ſentiebat. Multis remedijs fruſtra tentatis, accerſitus Medicus, cathetere immiſſo in veſicam, an calculo laboraret, voluit explorare: ſed cùm nihil inueniret, eam reliquit. Tandẽ ad me Baſileam aduecta eſt, & cùm illa vnicè continuò peteret, ſe ſecari, non patêre aditũ ad vterum; idq; ego, quia peſſaria obſtetrix intrudere non potuerat, ſuſpicarer, carnoſitatem aliquam fortè illic natam, ceruicis vteri orificium inſpiciens, obſeruaui illic penitùs coaluiſſe, cùm omnibus locis pertentatis, nullibi ſtylum intrudere potuerim. Cauſam itaque manifeſtam deprehendens totius mali, eam mox expoſui: nec mirum eſſe, retento ſanguine & ſemine, tàm ſæua accidentia ſuperueniſſe: nec ſanationis vllam ſpem eſſe, niſi vteri hoc orificium, quod integrum erat, rurſum aperiretur, docui. Et cùm adhibito lithotomo & chirurgo, de ſectione eſſet quæſtio, illa eam nolebat admittere. Quamobrem cauterio indolente meo adhibito, eſcharam induxi: quâ ſublatâ, ductus aliquouſque patebat; nondum tamẽ in ceruicem vteri pertingebat. Itaq; adhibitâ turunda, ex rad. Gentianę, viam dilatare tẽtabamus. Verùm dum hæc aguntur, illa cruciatibus conſuetis continuò diuexata, accedente febri graui, exſpirauit. Et cùm eam aperirem, totum abdomen aquâ cruentâ nigrâ fœtidiſsimâ repletum, ſanguinis corrupti inſtar, inueni: qui & inteſtinis adhærens, ac ſi cocto ſanguine certis locis ea obducta eſſent, apparebant. Ceruix vteri ſpiſsiſsima ac veluti cartilaginoſa, quæ trãſuerſi digiti craſsitie coaluerat. Vterus alioquin integer, ſed maximus, totuſque vti & ceruix, ſanguine putrido & fœtido refertus. Hoc autem 22. Sept. An. 1594 contigit.

Venus extincta in quibusdam mulieribus.

NObilis quidam, vxoris suæ hunc casum mihi aliquando patefecit, quod cùm eam puellam iuuenem, iam ante multos annos duxisset, & cum ea venereum actum decenter, toto matrimonij tempore peregisset, ab eo tempore illam ad eum actum ne tantillum quidem commoueri, faterique se inde nihil penitùs voluptatis aut titillationis vnquam percepisse, nec magis sentire, quàm alioquin ab externo cutis contactu alibi sentire soleat: & quòd illum admittat, in ipsius saltem gratiam fieri. In eodem statu adhuc eam permanere, licet frustra multa tentarit remedia, & sterilem esse, denuò mihi ipsius amita retulit.

Eodem & simili penitùs accidente, generosam Dominam quandam laborare, multos quoque iam annos, conquestus est mihi ipsius Dominus & maritus. Quòd à primo concubitus actu, ad hunc vsque diem, ex congressu nihil penitùs afficiatur, aut iucunditatem aliquam sentiat, cùm tamen ipse viduus non minùs quàm in primo matrimonio actum hunc perfectè exerceat: ipsamq; fateri, quòd cùm virgo ad quadragesimum vsque annum permansisset (tunc enim primùm illi nupserat) nunquam vllum stimulum, aut per nocturnas imaginationes, aut alio modo, senserit, aut toto virginitatis tempore, appetitu aliquo fœmineo affecta fuerit. Sed & mirum, vtramque fœminam, si modo tales nominandæ sunt, maritum suum, supra modum diligere, & maritis quoque in sedanda libidine aliquomodo, hoc concubitu imperfecto, satisfieri.

Fœminas castrari posse, exsectis testibus, exemplo animantium quarundam demonstratur.

TEstes in abdominis cauitate vtrinque peritoneo annexi, cum vasis seminarijs inde producti̅s, in quibusdam bestijs sectione factâ, in eo loco abdominis, vbi intrinsecus latent, eximi solent, & sic, vt pinguescant, nec stimulo Venereo ad congressum incitentur, castrantur. Quod in porcellis fœminis frequentissimum est, vti passim hoc fieri videmus. Sed & in comitatu Zollerensi, hoc idem in vitulis fœminis hoc modo castratis indeque admodum pinguefactis, ac ideò Nonnen/ id est monialibus vocatis, fieri, ego ipse cùm in aula illius comitis essem, vidi, vbi plurimę eiusmodi vaccę summè obesæ illic oberrabant, mactabanturque & earum caro, quam & comedi, in summis delitijs habebatur. Nec dubium mihi est, si illud in alijs fœminini sexus tentaretur animalibus, quin sic quoque castrari possent: Vti & in muliebri sexu, in alterutro latere, aperto abdomine, vnus vel alter ipsarum testis extrahi atque amputari. Quod verò, cùm nulla inde vel illis vel alijs, nisi fortè ad quarundam salacitatem sic reprimendam, eueniret vtilitas, & non sine aliquo vitæ periculo fieret, hactenus nullibi tentatum fuisse, legimus.

In Auibus masculis præsertim, cùm testes non propendeant, sed in ventre ipsarum sint inclusi, frequens est hæc castratio, testesque ipsarum aperto & secto ventre, qui inter podicem & sternum abdominis instar occurrit, extrahuntur, quod & in Gallinaceo fit genere, & Capones postea dicuntur: Vti & in Pauone Indico, alijsque maioribus

hoc

hoc fieri vidi, vt pinguiores fiant, caroq; ipsarum, suauior reddatur.

IN SALACITATE Obseruationes.

Tentigo ob catharctici vsum.

CVm amicum quendam meum, virũ multos annos viduum, & continentissimum pientissimũque, leuiter purgare vellem, ac pilulas leuiores ex Aromatibus paratas, sicque dictas, exhibuissem, sequenti manè ad me venit, expostulans mecum, me se decipere voluisse, cùm nullam ab illis senserit per aluum euacuationem, sed pruritum & stimulum solùm venereum, à quo tota noctè fuerit diuexatus: vixque illum à sententia potui dimouere, etsi à medicamentis purgantibus quandoque irritari, etiam ea loca, quę ad seminis excretionem pertinent, ostenderem, ideoque non studio, sed casu hoc factum esse.

Memini idem alteri accidisse, cùm media nocte pilulas sumpsisset, mox vehementem tentiginem, antequam aluus deijceret, sensisse, qui sibi persuadebat, errore pharmacopæi, quòd illi venerem stimulans pharmacum, pro purgante exhibuisset, factum hoc esse, quam opinionem illi subsequens purgatio, tandem exemit.

In Alio.

ALius quidam, sumpto catharctico, cùm illud adhuc operaretur, simulque eum ad Venerem stimularet, vxorem adstantem illique ministrantem, compresit, vnde valde debilitatus, adeò vt Medicum accersere illique delictum confiteri co-

geretur, asserens, nunquam se adeò ad venerem impulsum fuisse, atque eâ ipsâ horâ, quâ adhuc per alvum deijciebat, nec se continere vllo modo potuisse.

Tentigo, Ventriculi ardor, Sitis.

PRuritu & stimulo venereo, quidam se admodùm nocte diuexatum fuisse, narrabat, causamque illius, quòd insolitum sibi esset, quærebat, præterea se ardorem ventriculi simul sensisse, & sitim fuisse passum.

Cumq; an piperatis cibis vsus esset & salsis, die noctem illam prægressâ quærerem, ita se rem habere fatebatur, hoc modo se cœnasse mihi explicans.

Offam se comedisse ex Pane. Butyro & Cœpis, vti nostri Zwibelsupp vocant, adiecto pauco Porro sectili & Petroselino, instrato offæ Ouo priùs in aqua cocto, cum Sale.

Pisces item dictos Albulas sale conditas, quæ ad nos salsæ ex Lacu Sempacensi aduehuntur, coctas in vino, cùm Petroselino & semine Carui, vt apud nos in vsu est.

Cinnaræ (Artischock dictæ) caput vnum coctū in iure cum Butyro, Sale & Pipere condîtum:

Cancros coctos cum Pipere.

Raphanos cum Aceto, Oleo, Sale & Pipere: quę & in prandio comederat.

Acres itaque & calidos cibos, hunc stimulum, ardorem, & salsos simul, sitim illi peperisse iudicaui: quod in alijs itidem factum, sæpiùs obseruaui.

IN CONCEPTVS DEFECTV Obseruationes.

Sterilitas, Menstruus fluxus cum labore & difficultate.



Omitissa quædã, facie rubra, semel tantũ primis annis peperit, & ab eo tempore pessimè se habuit, præsertim mensib. fluere incipientibus, qui lentè & parcè fluebant, maleque colorati erant, illaq; doloribus circa lumbos & ventrem admodùm tunc cruciabatur, vt aliquando animo delinqueret: Consilio meo, etsi iam multa frustra tentasset, cùm sorori suæ curam meam feliciter cessisse videret, vti voluit. Ad quam cùm peruenissem, sequenti modo rem sum aggressus.

Initio mensis Iunij, An. 1569. postquam à mensibus purgata fuit, sumpsit hoc minoratiuum: ℞. Catholici ℥. j. dissoluatur cum iure Cicerum: Et bibat.

Dein sic præparetur materia: ℞. rad. Fœnicul. Eryngij an. ℥. j. rad. Cicho. Rubiæ an. ℥. ß. rad. Enulæ, Galangæ, Cyperi, Asari an. ʒ. ij. rad. Liquirit. ℥. j. ß. herb. Betonicæ, Melissæ, Pulegij, Arthemisiæ, Calamenti, Maioranæ an. M. j. seminum Anisi, Fœniculi an. ʒ. ij. semin. Seseleos, Ameos an. ʒ. j. Passul. ℥. j. fiat decoctio & in col. q. s. adde Mellis ros. col. syrupi de quinque Radicibus an. ℥. j. arom. Maceris ʒ. j. ligni Aloës ʒ ß. Capiat quinq; matutinis.

Transactis hisce diebus, purgetur: ℞. Rhabarbari infusi in aqua Cich. ʒ. j. addendo Spicæ ℈. ß. Cinam. ℈. j. Agari. troch. ʒ. j. ß. infusi in aquis Betonicę, fiat expressio, dissolue Diaphœnici ʒ. iij. Mellis ros. sol. ℥. ß. misce. Bibit, & post horas aliquot, laxatiuum ex decocto Cicerum superbibit, & deiecit vndecies.

Sequenti die ſumpſit: ℞. Mithridati ʒ.j. raſ. Eboris ℈.ß. Moſch gr.ij. miſce fiat bolus.

Præmiſsâ hac purgatione corporis, generali, ad purgationem matricis, peſsis hiſce vſa eſt. Primus ex Mercuriali contuſa, factus fuit, ſed cùm eum ferrè non poſſet, ſequentibus tribus noctibus vſa eſt alijs ex Mithridato & puluere Maſtiches factis.

Et quia ventriculo erat imbecilliore, hoc vnguento manè illius regionem inunxit: ℞. ol. de Abſynthio. Nardini an. ℥.ß. pul. Garioph. Maceris, Galangæ ana ʒ.j. Squœnanti ʒ.ß. Coralli ʒ.j. Ceræ parùm fiat vnguentum.

Item capiat alternis diebus manè tab.j. Diamoſchi dulc.

Appropinquante vltimâ ſeptimanâ, quâ menſes expectabantur, iuſsi ſex diebus ante cœnam ſedere in hac inſeſsione: ℞. Abſynthij, Matricariæ, Origani, Nepetæ ana M.ij. Sulphuris contuſi ℥.ij. ß. Aquæ extinctionis ferri menſu.ij. Aquæ fluuiatilis q.ſ. fiat decoctio: Pro inſeſsione.

Poſtea parùm in lecto quieſcat, & regionem matricis inungat: ℞. ol. Liliorum ℥.j. Muſcellini ℥. ß. ol. Spicæ ℈.ß. axung. Anſeris ℥.ß. Caſtorei gr.ij. Ceræ q.ſ. fiat Linim.

Hiſce factis, mox poſtea fluxerunt menſes, nec ita ampliùs doloribus, antequam prorumperent, exagitata fuit: quibus abſolutis, cùm admodùm, vt remedia conceptioni promouendæ adhiberem, rogaret, altero menſe Iulio, Electuarium hoc, vt eo vno die manè, altero cubitum itura, vteretur præſcripſi: ℞. conſeruæ rad. Satyrionis, Eryngij, cort. Citri conditi an. ℥.j. ß. conſeruæ Anthos, Zingib. conditi an. ℥. j. Pinearum mund. ℥. ß. ſeminum Fraxini ʒ. ij. ſeminum Seſeleos ʒ. ß. Galangæ, Nucis moſ. Cinamom. an. ʒ.ß. ſp. Diamoſchi & Diagalangæ an. ℈.ij. raſ. Eboris, cineris Priapi tauri vel cerui,

Matricis

Matricis leporis, Coaguli, leporis ana ʒ. ß. cum syrupo conf. cort. Citri fiat electuarium.

Ante mensium fluxum, repetat denuò Insessionem, vt priori mense factum erat, per dies sex vel septem, & ex ea egressa, suffitum, in sella sequentem inferioribus corporis excipiat; ℞. Benzoini, Storacis an. ʒ. iij. Galliæ mosc. ʒ. ij. Ladani, Mastiches ana ʒ. j. Nucis mosc. Macis Gariophyl. an. ʒ. ß. Mosc. ℈. ß. Sacchar. ℥. j. excipiantur infus. gummi tragach. facta in aqua Ros. fiant troch. magni: Pro fumo.

Repetat quoque in lecto inunctionem perinæi vnguento prædicto.

Noctu cubilum itura, indat pessarium: ℞. Mastiches ʒ. iij. Nucis cupressi ʒ. ij. fol. Melissæ ʒ. j. Garioph. ʒ. j. ß. Spicæ nardi ʒ. ß. ras. Eboris ʒ. j. Moschi vel Ambræ ℈. ß. Styracis liquidæ ʒ. j. cum vitellis Ouorum crudorũ, additâ paucâ Lariceâ, fiat pessarium: Vtatur tribus vel quatuor noctibus.

Denuò fluxerunt menses sine labore, nullaque præcedente molestiâ.

Tertiò mense Augusto, eodem modo, quo mense Iulio repetijt vsum remediorum, sperans se, cùm vterus iam se rectè haberet, concipere posse. Verùm cùm iam sterilis annis ferè octodecim ad ætatem quâ menses desinunt peruenisset, voti compos minimè facta, alioquin tamen se restitutam esse sanitati, gaudebat, eoque contenta deinceps diu vixit.

Sterilitas, Menstruorum difficultas, Fluxus albus muliebris.

QVia aliquoties cura sterilitatis feliciter mihi successerat; Quidam Princeps Anno 1570. senex, vltimus suæ familiæ, & sine liberis, vxorem iuuenculam, quam duxerat ante aliquot annos, quæ nunquam adhuc conceperat, consilij causâ ad

me in aulam Ducis cuiusdam, vbi tunc versabar, adduxit. Quam cùm de singulis interrogarem circumstantijs, fluori muliebri aqueo pituitoso obnoxiam, menses non decenter, sed cum difficultate aliqua fluere deprehendi. Quæ vitia à marito sene, & se abutenti adeptâ existimabat: cùm prius (vti aiebat) incolumis fuisset. Quare, etsi ego mariti causâ conceptionem nō fieri crederem; tamen in omnem euentum, hoc illi consilium dedi.

Vt primo mense corpus euacuaret: sumendo ab initio, quę alui prima obuia excrementa educerēt: dein venam secaret, mox humoribus diebus aliquot præparatis indeque rursum expurgatis, sic corpore à recrementis mundo, remedia vtero accommodata rectiùs operari possent.

Quibus peractis, vt electuario sequenti alternis diebus manè vteretur, iussi, quod; ℞. cons. Anthos, cort. Citri cond. an. ℥. ij. Zingib. cond. cons. Maior. an ℥. j. Diasat. cons. rad. Eryng. ana ℥. ß. pul. Diamb. Diamosc. ana ʒ. j. ß. ras. Ebor. ʒ. ß. Priapi cerui, Matricis lepor. Coaguli lepor. Stincorum ana ℈. j. s. Eruc. Anis. Cinam. Nuci. mosc. Thuris, ana ʒ. ß. Spicæ nard. ℈. j. Moschi gr. v. cum syr. de Stœchade fiat elect. Capiat magnit. Nucis mosc.

Altero mense transactis mensibus, vt de Syrupo longo purgante, ad id parato, duo cochlearia sumeret, corpusq; sic denuò purgaretur, suasi.

Quo semel facto, sequenti die post cœnā leuem, horis exactis duabus, in balneo sequenti per semihoræ spatium, antequam noctu lectum intrat, sedeat: ℞. rad. Valer. Rubiæ Maior. an. ℥. j. radic. Cyperi ℥. ß. herbarum Calament. Puleg. Meliss. Nepet. Beton. Maior. Orig. an. M. j. Arthemisiæ, Sabin. an. M. ß. semin. Dauci, Rutæ, Sesel. ana ʒ. ij. Squœnant. ʒ. j. fiat decoctio in Aqua pluu. pro insessione.

Egressa è balneo, in sella perforata sedēs, & pul-
uere

uere super carbones ardentes iniecto, fumum, qui inde exsurgit, ad quadrantẽ horæ excipiat: ℞. Galliæ, Alipt. mosc. Benzoin. ana. ʒ. ij. Mastich. Storac. ana ʒ. j. Ligni aloës, Santali Citr. ana ʒ. ß. fiat puluis. Vtatur ʒ. ij. pro vna vice.

Hoc peracto, ventris inferiora hoc vnguento perungat: ℞. ol. Moscell. ℥. j. ß. ol. Cheirini ℥. j. pulueris Diamosch. Diambr. ana ʒ. ß. Storacis liquidæ ʒ. j. Zibetæ ℈. ß. Ceræ albæ parùm, fiat vnguentum: post cuius vsum in lectum calefactum se componat, & dormiat.

Hac ratione & insessione, suffitu & inunctione, diebus adhuc tribus sequentibus vtatur: postremis tamen duobus, hisce absolutis, postquam lectum ingressa erit, pessarium vteri sinui indat, totaque nocte gestet. Quod sic parabitur: ℞. Storacis calam. Mastich. an. ʒ. iij. Myrrhæ, Thuris, an. ʒ. j. Gariophyl. Cinam. Nucis cupres. fol. Meliss. an. ʒ. ß. Ligni aloes ℈. j. Coaguli lepor. & illius Matric. præp. an. ʒ. ß. fiat puluis: incorporetur Styrac. liquid. ʒ. ij. Zibetæ. ʒ. ß. Mithrid. q. s. pro pessarijs formandis.

Hisce absolutis, quod reliquum tẽporis ad mensium tempus vsq; superest, quiescat, & mariti thorum repetat: sumendo tamen de electuario prædicto tertia nocte cubitum itura, nucis mosc. quantitatem.

Quòd si dein menstruis superuenientibus, ipsorum purgatio peracta sit, rursum tertio hoc mense, sicuti secundo factum, primùm syr. magistralem sumendo, inde balnea, suffitus, inunctiones, pessaria adhibendo: curam eodem penitùs modo, vti priùs factum, repetat.

Idque quoq; quarto mense, si denuò mensibus redeuntibus illam non concepisse certum sit, nihil in priori ordine immutando; nisi quòd post syrupi longi vsum, altero die, antequam ad balnei vsum

redeat, pessario ex Mercuriali contusâ facto, & indito, eâ nocte vterum ab excrementis repurget, & dein tertio die, ad Topicorum remediorum, vti priùs factitatum, vsum accedat.

Quòd si (Deo fortunante) mensibus subsistentibus, illam concepisse suspicio esset, tunc conceptus retineatur primis mensibus emplastro de mastiche, supra vteri regionem noctu applicato. Quæ nisi iuuerint, penes maritum causam, quòd nō succedat, esse, ætas ipsius, inprimis verò quòd & in priori matrimonio nullos procreârit liberos, & quòd morbis atque epilepsiæ quoq; obnoxius sit, comprobare videntur.

Sterilitas, Vterini dolores, Reiectum ex vtero membraneum.

COmitissa quædam, primo matrimonij anno, filiam peperit; postea annis penè duodecim sterilis permansit. Consilio præstantissimorū Medicorum, multisque remedijs & thermis vsa, cùm nihil proficerent, curam deinceps omittere sibi proposuerat. Interea ego à Comite marito ipsius, filiæ ægrotantis causâ accersitus, cùm inter alia colloquia mihi coniugis hunc defectum, quòd non conciperet, & vterinis morbis diuexaretur, nec menses decenter & ordine fluerēt, exponeret; egoque pessariorum aliorumq; ad hoc accommodatorum remediorum mentionem facerem, placeretque consilium, vt curam illius susciperem, rogauit, quam Anno 1568. sic aggressus sum.

Postquam itaq; à mensibus repurgata fuit, primùm fæces hac ratione expurgatæ sunt: ℞. Cath. ℥.j. dissol. in aquis Meliss. & Cichor. Capiat.

Altero die vena brachij aperta fuit, sanguineque moderatè detracto, mox Ouum sorbile bibit,

bit, prandiumque ad horam vnam distulit.

Tertio, quarto, quinto & sexto, diebus continuis, præparante hoc syrupo vsa fuit: ℞. rad. Aperit. temperat, in Vino albo ana ℥ j. radic. Rubiæ ℥. ß. Arthemis. Matricar. Nepet. Pulegij vtriusq;, Fumar. summ. Lupul. an. M. j. Circer. rubr. P. j. flor. Buglos. vtriusque, Anthos, Leucoij, ana P. j. seminum Sesel. Sileris mont. Fœnicul. ana ʒ. j. ß. Passul. ℥. ij. fiat decoct. & in col. adde Sacchar. q. s. Arom. ʒ. iij. Cinamom. & ʒ. j. Santali Citr. fiat apozem, pro quatuor vicibus.

Septimo, denuò purgata fuit: ℞. pill. Aggreg. ℈. ij, Aurear. ℈. ß. cum Vino Maluat. fiat pill. 9.

Octauo, vt vires recolligeret, sumpsit hunc bolum: ℞. conser. Rosmar. ʒ. j. ras. Ebor. ℈ j. & Mosci. gran. ij. misc.

Hisce peractis, deinceps alternis diebus hoc electuario vsa est, bolum illius sumendo: ℞. cons. Satyrion. cons. rad. Eryng. ana ℥. j. Pistac. Pinear. mund. cons. flor. Rosmar. an. ℥. j. cortic. Citri cond. Zingib. cond. ana ℥. ß. s. Eruc. Bulbi ana ʒ. j. ß. ras. Ebor. ʒ ij. coag. Lepor. ras. Cornu capræ, Priapi tauri puluer. an. ʒ. j. pulu. Diamb. Diamosc. ana ʒ. ß. Cinam. Garyophyl. Maceris, Nucis mosc. ana ℈. ij. cum syrup. cons. Zingib. fiat elect.

Interim Topica matricalia adhibuimus remedia, Pessaria duo primùm, quæ duabus noctibus in sinu vteri retineret: ℞. spec. Trypheræ magn. sine opio, spec. Benedict. Agar. crasso modo triti ana ℥. j. s. Nigell. Rom. ʒ. ij. cum suc. Mercur. fiat pasta: impleantur duo sacculi. Et vtatur.

Cùm instaret septimana, quâ menses fluere debebant, venam saphenam aperire iussi, & vt menses sic exspectaret.

Absolutâ purgatione menstruâ, curam denuò aggressus sum. Insessionem talem illi præscripsi: ℞.

radic. Althææ M.ij. radic. Valer.Enul.Rubiæ, Maioran.ana M.j.herb. Maior.Arthemis. Nepet. Chamædr. Chamæpyth. fol. Laur. Vincæ peruincæ, Puleg.Orig.ana M.j.flor.Chamom.Melisl.Sambuci an.P.ij sem. Lini, Fœnogræci an.℥.j.ſ. Carui ℥.ß. buliant in Aqua, adde Lixiu. mensur. ij. Sedeat in hoc balneo noctu cubitum itura, per horam vnam, ventremque inferiorem ad vmbilicum vſque immergat calidè.

Dein egreſſa, & abſterſa pannis calidis, in ſellam perforatam ſedeat, in eaque fumum ſequentem per quartam horæ partem imo ventre excipiat: ℞. trochiſ. Galliæ & Alipt. moſc. ana ʒ. ß. Styracis calamit. Ladan. Benz. ana ʒ. iij. ligni Aloes, Santali Citr. ana ℈. iiij. gr. Pæon. ʒ. ß Moſch. Ambr. ana ℈. ß. cum Laricea fiant troch. pro fumo, pond. ʒ. ij. imponatur vnus carbonibus.

Surgens è ſella, & in lectum decumbens, inungat regionem ſub vmbilico, ſequenti vnguento: ℞. ol Nard. Muſcell. an. ℥. iij. ping. Gallinæ, Anſer. ana ℥. j. Fol. ligni Aloes, Zingib. Zedoar. an. ʒ. ij. Mace. Nucis moſc. Garioph. an. ʒ. iij. Roſ. Stœch. Squœnant. an, ʒ. ß. Caſtor ʒ. j. Moſchi, Ciuettæ ana gr. vj. fiat vnguent: Inungatur, & poſtea dormiat.

Hunc proceſſum balnei, ſuffitus & inunctionis, eo modo per dies ſeptem continuet. Verùm duobus poſtremis diebus, poſtquam hiſce vſa erit, & in lectum ſe compoſuerit, peſſarium in ſinum vteri immittat, totaq; nocte retineat: ℞. Maſtich. ʒ. j. ß. Styrac. liquid. ℈. iiij. fol. Meliſſ. ſicc. ℈. ij. Nucis cupr. ℈. ij. Spicænard. Garioph. an. ʒ. j. ß. Cicer. rubr. ʒ. ß. Vitell. ouor. crud. q. ſ. fiant duo peſſaria.

Poſt vſum poſtremi peſſarij, eâ nocte corpus membraneum craſſum, latum & fibroſum reiecit: quod, quia inde mirè leuatá ſe ſentiebat, multis annis geſtaſſe, & pondus & grauamen inde ſenſiſſe,

prædi-

prædicabat. Iussi ab vsu omnium medicamentorum abstinere, donec tempus mensium præteriret. Quod cùm aduenisset, nec menses fluerent, statim se grauidam suspicabatur. Iussi emplastrum sequẽs in pectinis regione noctu gestare: ℞.massæ emplastri pro Matric. ℥.j. de Mastic. ℥.ß. Hypocist. Acac. ana ʒ.j. Rosarum rubr. ʒ.ß. Santal. omnium an. ℈.j. Styrac. calamit. Benz. troch. Galliæ & Alipt. mosc. an. ʒ.j. malaxentur ol. Muscell. fiat emplast.

Ex nausea, vomitu, & mensium retentione, grauidam esse quoque opinatus sum. Nec me opinio fefellit, nam mox ventris & mamillarum intumescentia eius rei fuerunt indicium, filiaque post nata id confirmauit. Quæ cura laudem non exiguam apud magnates mihi peperit. Et vt in grauibus vterinis morbis, me Principum & Ducum coniuges, in loca etiam procul à nobis dissita vocarent, effecit.

Infœcunditas in alijs, & in alijs Fœcunditas naturâ.

NOn solùm in Mulieribus, sed & in Viris accidit, quod nullo defectu vel morbo apparente, tamen ad conceptum inhabiles sint fœminæ, & ad procreationem Viri, cuius rei causas in Praxi nostra descripsimus.

Sed & contrarium sæpè obseruamus accidere, vt naturâ fœcundiores & fœminæ & viri inueniantur, quarum illæ diutiùs quam aliàs solent, ad concipiendum sit dispositæ, hi ad longam ætatem vsq;, ad liberos procreandos, idonei.

Exempla vtriusq; passim occurrunt. Nam in fœmineo sexu, aliquæ etiam vltra terminum, ipsis à natura constitutum, qui quadragesimus quintus & sextus est ætatis annus, diutiùs etiam fœcundæ

manent. Duas enim noui, quarũ vna Medici vxor, infantẽ iam quinquagenaria lactabat, altera quinquagesimo ętatis anno, infantem pepererat. Quod & matrem meã piæ memorię, Annam Dietschiam Tigurinam, sæpè de se prædicantem audiui, se tribus ex parente meo susceptis filiabus, me postremò cùm annos quinquaginta circiter attigisset, demùm enixam esse.

In Viris quibus procreationis tempus nullum à natura definitum, licet pauci post septuagesimum ad procreandum ampliùs apti inueniantur, tamen ad prouectiorem etiam & decrepitam vsque senectam, aliquos fœcundos permansisse, liberosq; genuisse, experientiâ cognouimus.

Inter quos ne alios recẽseam⁹, sed quæ in familia nostra acciderũt, obiter attingamus, primus occurrit, patris mei auus maternus, quẽ, cùm de Viuidis in vitalis motus defectu, paulò ante hoc Lib. 1. ageremus, meminimus, post centesimũ ætatis annum filium procreasse, tùm ex parente alijsque fide dignis, illius loci incolis, pro certo intelleximus.

Sed &, quod in recenti adhuc est memoria, & de quo multis constat, referamus: Parens meus, piæ memorię, Thomas Platerus, defunctâ primâ vxore, matre meâ, An. 1572. & ætatis suę 73. secũda ducta vxore, sex ex illa liberos, intra decenniũ procreauit, duos filios, & quatuor filias, quorum vltima Anno ętatis illius 81. biennio ante obitum illius, nata fuit. Qui si hoc anno 1614. adhuc esset superstes, ætatis annum ageret 115. neptimque haberet ex filio Thoma medico vnius anni, & quod memorabile est, inter duos ipsius filios, me Felicem Anno 1536. & Thomam Anno 1574. natum, interuallum intercurrit annorum 38. & tamen hic meus frater, cuius auus esse possem, capillos pluribus canis habens conspersos, fortè quòd patre sene natus sit, me senior videtur esse.



LIBER SECVNDVS *Obseruationum*

FELICIS PLATERI,

In affectibus homini incommodantibus, FEBRIBVS ET DOLORIBVS præcipuè animaduersarum.

IN FEBRIBVS Obseruationes.

Febris ephemera Carfunckel *Germ. cum tumore glandularum colli.*



VÆDAM balneo ſicco vſa, lotioneque capitis, aëri frigido, capite adhuc madente, ſe exponens, horrore primùm correpta, mox adeò incaluit, vt decumbere cogeretur.

Pulſus citus febrilis erat: dolebat in lateribus colli, vbi glandulas nonnihil intumuiſſe deprehendi. Alioquin nec ſitiebat, nec alia caloris vehementioris indicia aderant.

Prædixi itaque febrem ephemeram eſſe, Carbunculi conſueto nomine Carfunckel eam appellans; breuemque eam fore, quæ mox ſudore ceſſa-

tura sit, si quieta & tecta in lecto maneret: quod & fecit.

Dedi, vt citiùs liberaretur, sudoresque prodirent, Rob. de sambuco ʒ. ij. (gratum enim magis est, si per se sumatur) & vt superbiberet aquæ Violæ tricol. & Fumar. an. ℥. j. ß. Iulep. rosſ. ℥. j. inuicem permixta, iussi.

Collum, ne nudum esset, panno Cánabeo, priùs vsurpato (sic enim cùm minus rigidum sit, quàm quod modo lotum est, rectiùs se accommodat, minusque premit) inuoluere iussi. Quod priùs Mastiche & Succino, prunis ardentibus iniectis, suffumigatum esset.

Sudor mox erupit, & post horas circiter septem, febris euanuit. Tuncq; cibo refecta tenui & potu, quod reliquum erat noctis, somno quieto peregit.

Febris Synocha simplex, ex motu nimio & ira oborta.

IVuenis quidam nobilis, bene habitus, rubicundus, sanguineus, mense Maio post meridiem, pilâ palmariâ ludens, seq; vehementer exercens; adhæc cum antagonista contendens atque excandescens, adeò vt ad certamen deueniretur; post illis ab inuicem separatis, hic domum reuersus, cùm à calore, quem conceperat, se, etsi quiesceret, minimè liberari videret, citamq; omnino respirationem duceret, viribusque insuper deiectis esset, caputq; doleret, & sitiret, me vocauit.

Quem Febre synocha correptum, ex pulsu magno, pleno ac cito, iamq; enarratis circumstantijs & causis, à quibus sanguinem ipsius, spiritusq; accensa esse cognoui, statim dixi. Et facilè in putridam, eam couuerti posse, cùm intemperanter diu vixisset; vel hecticam, cùm causæ tam multæ calo-

ris

ris concurrissent, eum præmonens, sic metum non-nihil ei incutiendo, vt pareret, effeci.

Itaque Chirurgo accersito, vena brachij dextri circa cubiti plexum, in medio, præ cęteris turgens, horâ pomeridianâ aperta, sanguinisq; vnciæ octo detractæ fuerunt.

Statimque ad sanguinis feruorem exstinguendum, Iulepum hunc propinaui: ℞. syr. de Ribes, de Agrest. an. ℥.j. Iulep. Viol. ℥.j.ß. suc. Limon. ʒ.j. aq. Endiu. & Acetos. an. ℥.ij. misc. Capiat mediam partem statim à vena secta, alteram sub noctem.

In cœna iusculum hordei mundi, aceti Rosacei tantillo acidulũ factum exhibere iussi: & vt aquam fontis, quã summè expetebat, iniectâ tamen priùs crustâ panis, affatim biberet, concessi.

Nox inquieta fuit, turbulentaque insomnia, in quibus adhuc litigare sibi dormienti videbatur, orisque aderat ariditas; capitisque dolor præ cæteris vrgebat.

Ob quam causam oxyrrhodynũ capiti tale adhibui: ℞. aqu. Ros. ℥.iiij. aq. Plantag. Viol. & Lact. an. ℥.ij. Aceti Ros. ℥.j. album. Ou. nu.j. ol. Ros. ℥.j. agitentur. Et temporibus frontique applicentur, renouenturq; aliquoties.

Pulsus cùm nihilo remissior esset, circa horam octauam, sanguis ex sinistro brachio, è vena magis apparente, denuò per plebotomiam bona quantitate extractus fuit.

Iusculo ex hordeo, hesterna die exhibito, additâ Lactucâ coctà, & folijs Borraginis tenerioribus, post venam sectam refectus fuit.

Dein Iulepum sequentem cum Aqua fontis, loco potus ea die bibere iussi: ℞. syrup. de Ribes, de Ceras. domest. acid. an. ℥.iij. Vini granat. acid. ℥.j.ß. Aceti ros. ʒ.j. Aq. ros. ℥. iiij. misc. permisceat ℥.j. vel plus poculo vni aquæ fontis: Et bibat tẽpore sitis.

Epithema sequens hepatis regioni admotũ fuit: ℞.aquarum Endiu.℥.iiij.aq.Acetos.Lactuc.an.℥.ij. suc.Pomor.acid. redol.℥.j.ß. Aceti ros.℥.j.troch.de Camph.ʒ.j.Santali rub.ʒ.ij.misc. Et cum sindone rubra intincta applicetur.

Sub vesperam, quia aluus non respondebat, & vt calor magis restingueretur, qui hactenus in eodẽ perseuerare videbatur, Synochusq́; esse Homotonos; Clysma, quod vix admisisset, nisi periculo grauioris febris, quæ sequi posset, illi persuasissem, iniectum fuit tale: ℞.herb.Maluæ, Violariæ, Acetos. Lactuc. Endiu. rec.an. M.j. fl. Viol.Nymph.an. p.j.s.Cucurb.conq.℥.ß.s.Psil.ʒ.ij.fiat decoct. & in s. q.col.dissol.Sacch.rubri℥.j.Cassiæ ex ʒ.ß.suc.Lact. ℥.ß.ol. Viol.℥.ij. Salis parùm fiat clyster. Huius vsu bis, sed communia tantùm excrementa sicca & dura eiecit.

Post mediam noctem facies & pectus madere cœperunt, indeq́; somnus subsequi, moxq́ue interdormiendum egregiè sudare.

Quod cùm manè audirem, pulsumq́; remittere in magnitudine & celeritate explorassem, etsi vrina valde adhuc accensa esset; febrem declinare, & sub vesperam, vel ad summum quarto die cessaturam, prædixi.

Vt tamen reliquiæ euaporationum, à sanguine accenso suscitatæ, per sudores meliùs euacuarentur, postquam manè iusculum sumpsisset; atque aquam bibisset, hora secunda post meridiem dormiturienti, sequentem aquam exhibere iussi: ℞. aq.Fumar.Endiu.Cardui ben.Scabios.an.℥.j.ß. aq. Ros.℥.j.Sacch.albiss.℥.j.ß.coq.parùm,colentur,fiat Iulep;Bibat frigidum.

Dein spinam dorsi oleo Viol.& Amygdal.dulc. inungat. Quibus factis noctu denuò sudauit, febrisq́; eum matutino tempore dereliquit penitùs.

Febris continua putrida breuior, vrinæ suppreßio, Faucium ardor.

STatim post celebratas nuptias, vir iuuenis adhuc admodùm, hospes, publicus, ob intemperantiam, dolorem vehementem circa vesicę regionem, cum vrinæ suppresione passus est.

2. Iulij, An. 1592. hoc decoct. præscripsi: ℞. rad. Liq. ℥.j. Passul. ℥.j. ß. rad. Anonidis ℥. ß. Cicer. rub. p.j. herb. Maluæ, Pariet. an. M.j. fl. Chamom. p.j. fiat decoct. dulcoretur addito Sacch. & Bibat.

Insessione quoque ex decocto Maluæ, Pariet. Chamom. tepidè vtatur.

His factis vrinã denuò reddidit, dolorq; quieuit.

Verùm 7. Iul. horrore correptus, in febrem continuam incidit, vehementer calens & æstuans.

Venam brachij aperui.

Epithema hepati applicui: ℞. aq. Endiu. Lactuc. ana ℥.ij. aq. Rof. ℥.j. Aceti rof. ℥. ß. suc. Limon. ʒ.ij. pul. Triasant. ʒ.j. fiat epithema.

Altero die, febris in augmento erat. Ob colli ardorem & linguæ siccitatem gargarismo hoc vsus est: ℞. Diamor. ℥.j. Mellis viol. ℥.j. ß. aq. Solani, Plantag. an. ℥.ij. suc. Cydonion. ℥.j. misc. Gargarizet.

Iulepum etiã exhibui: ℞. Iulep. Viol. Rof. an. ℥. ß. aq. Bugl. Viol. an. ℥ j. Bibat vno haustu.

Tertio die, Elect. hoc per vices vtatur: ℞. conf. fl. Cichor. Viol. Nenuph. Bugl. Rof. an. ℥. ß. rob. de Ribes. ℥.j. pul. Triasant. ʒ.j. cum syr. Viol. fiat elect.

Quarto, febris in vigore erat. Perrexit vsu epithematis atq; electuarij.

Quinto, Iulepũ ordinaui pro quatuor dosibus: ℞. Oxysacch. simpl. syr. de Endiu. de Acetos. an. ℥.ij. aq. Endiu. Cichor. Bugl. an. ℥.iiij. aq. Rof. ℥.j. Aceti albi gutt. vj. suc. Citr. ʒ.j. fiat Iulep. Capiat manè & vesperi, & sequenti quoq; die bis.

Sexto, cũ adesset magna constipatio, de clysmate monui, sed recusabat: quâ de causâ syrup. laxantem exhibui: ℞. syr. Ros. lax. simpl. ℥.ij. Diasereos ℥.ß. syr. Viol. ℥.j. misc. cum Aqua cocta; Bibat.

Sequenti die, qui septimus erat, deiecit ter: inquietus admodùm noctu.

Octauo, manè sudauit, vrina tincta, hypostasis laudata: ex quibus crisin ea nocte fuisse cognouimus. Iussi vt pergeret in vsu Electuarij & Iulepi.

Ab eo tempore, syrupo de Bugl. & de Limon, cum Aqua cocta vtebatur. De faucium tantùm dolore conquerebatur: labia exulcerata quoq; erant. Gargarismate colluebat os: & labia illinebat mucilag. s. Cydon.

Duodecimo febris die, appetitus redijt. Et sic restitutus est. Durauitque hic febris processus per dies duodecim.

Febris continua putrida longa, Cephalalgia, Corporis consumptio, Pilorum defluuium, Auditus difficultas, Defluxio.

CVm anno Christi Saluatoris 1568. ætatis annum superassem trigesimum primũ, praxeosque Medicæ causâ à pluribus hinc inde accersitus, victu vterer inordinato & vario; tandem vltimo Martij, post cœnam oscitatio, & pandiculatio insolita me exercere, horrorq; inuadere cœpit, quem calor præternaturalis noctu, cum capitis dolore est subsequutus. Nam cùm illo die in castrum vicinum vrbi nostræ equitans, frigore repentino irruente, ventoq; frigido cum niue flante, egoq; nihil tale suspicatus, leuiter indutus essem, adhæc flumen equo transiens profundum admodùm, pedes madefecissẽ & refrigerassem: toto die horrore concussus, frigoreq; domum rediens, affectus fui.

Altero

Altero die, qui primus erat April. etsi toto corpore lassus, & mēbris veluti conquassatis essem, tamen vt ægros inuiserem, domo egressus sum: verùm mox à prandio febris, illiusq; accidentia manifestè se exerebant, noxq; secuta admodùm inquieta fuit.

Tertio die, calor intensus, capitis sinistriq; lateris vehemens dolor, & in dorsi regione immensus, summaq; inquietudo.

Clysma admisi, quod tale fuit: ℞. herb. Emollitiu. an. M.j. Beton. M.ß. Betæ M. ij. fl. Cord. Cham. an. p.j.ſ. Fœnic. ʒ.j. Furf. p.j. fiat decoct. diss. in lib.j. suc. Mercur. ℥.j. Cassiæ cum sena ℥.ß. mellis Viol. ℥.j. ol. Viol. ℥.ij. Salis parùm, fiat clyster. Verùm cùm illum diutiùs retinere minimè possem, citra ferè excrementorum permistionem, denuò redditus fuit.

Quarto die, perseuerāte febre, de venæ sectione consultabatur. Verùm cùm nunquam venam aperuissem, potiùs vt clyster repeteretur, cōsensi: vnde deiectio per aluum mediocris subsequuta.

Quinto, febris augebatur, sub vesperam exacerbatio illius manifesta.

Sexto, nulla febris remissio. Accedebat summa debilitas, ita vt ex leui commotione animus etiam deficere inciperet.

Septimo, paroxysmus denuò febris se prodebat, præsertim in siti intolerabili, & calore adurente, à quo etiam cuticula findebatur, & in multis locis abscedebat. Mens quoque in quibusdam functionibus aberrabat. (stebant.

Octauo, febris illiusq; accidentia in eodē persi-

Nono, ante lucem redibat paroxysmus, calore, inquietudine, doloreq; dorsi admodùm affligens. Quo peracto, febris nonnihil remisisse videbatur: dolores tamen capitis & dorsi non cessarant, illisq; iam cardialgia, & frequens ex defluxione accedebat exspuitio, & sub vesperam summa imbecillitas.

Decimo, manè somnus breuis: circa meridiem denuò paroxysmi indicia, quæ tamen circa horam tertiam pomeridianam mitigabantur: maculæ tamen pulicum morsibus non absimiles hinc inde erupisse conspiciebantur, & me astantesque Medicos terrebant. Iniectus sub vesperam clyster fuit supra scriptus, in quo Bened. lax ℥.ß. cum cæteris dissoluta fuit: post cuius operationem admodùm vires prostratæ erant, sed somnus subsecutus placidus, ad nonam horam vespertinam vsque durauit: post quem nox erat quittior.

Vndecimo, manè inquietus, insomnis: vrina intensè rubra, & crasso sedimento. Sub noctem denuò febris aderat exacerbatio: sitisque me supra modum affligebat.

Duodecimo, vires deiectæ: hora decima ante meridiē, sanguis è narib. fluebat: paroxysmus post meridiem reuertebatur, cum summa inquietudine. Nocte appinquante, clyster denuò repetitus fuit, à quo frequens deiectio, noxq; paulo moderatior.

Decimotertio, somnus ad vndecimam horā matutinam vsq; perseuerās. Sub vesperam rediit Exacerbatio omniū grauissima, cui accessit delirium, cùm priùs mens ferè semper constaret: sed leue, in quo sinistrum latus, capitisq; sinistra sedes, quę tototo morbi progressu solummodo dolebat, tātùm affecta, eaq; à sana amputari, sicq; morbum sanari posse, mihi delirāti videbatur, illud à me referri audiebant astantes. Quæ animi abalienatio, cum inquietudine summa copulata, magnum terrorem astantibus incusserat: cùm tamen paroxysmo remittente, quem criticum fuisse suspicor, quod reliquum erat noctis, quietè traduxerim.

Decimoquarto, dormiui ad decimā vsq;, omniaq; hoc die accidētia meliora erant, vrinæq; concoctæ nonnihil, admodumq; copiosæ: etsi calor adhuc per-

pseuerans, imperfectam crisin fuisse demonstraret, qui sub vesperá quoq; mitior erat. Cùm flatus multi erumperent, venterq; murmuraret, suppositoriũ commune ex Melle & Sale intrusum fuit, quod vehementer angebat, nihilque quàm scybalon durum promouerat: nox quietior, nec insomnis.

Decimoquinto, lassa & conquassata erant membra, febrisque vix ampliùs grauiora alia apparebant indicia. Sub vesperam Enema iterum iniectũ. Somnus mediocris ea nocte.

Decimosexto die, post somnum matutino tempore erupit sudor; diesque & nox sequens moderatè se habebant; vti & dies sequentes. Quibus vt aluus responderet, clyster aliquoties repetitus fuit, cùm suppositoria ægrè ferrẽ: Remiserat quoque capitis dolor, sed in grauedinem conuersus erat, cum auditus difficultate, & tinnitu aurium. Corpusque admodùm consumebatur, adeò vt etiam vnguium radicibus exsiccatis, vestigia impressa, in vnguibus postea crescentibus apparerent. Femoris quoque exterius latus stupebat, stuporque illius loci postea nunquam planè desijt.

Vigesimo primo morbi die, aluus sponte soluta est, sudoresque frigidi post somnum, sed in sinistro tantùm latere, quo loco etiam caput priùs semper doluerat, diebus aliquot erumpebát, vnde magna sequebatur totius corporis imbecillitas. Quintoq; ab hoc die, è naribus sanguis fluxit, & screatu fœda exspuebatur materia. Qua perseuerante, duobus diebus postea syr. Diaser. ℥. j. cũ syr. Ros. simpl. sol. ℥. j. permixtos assumsi. Cuius vsu primo scybalon durissimum, quod diu substitit, magnoq; conatu vix reddi potuit, dein alia multa, quatuor vicibus excreui. Et postquam diem vnum quieui, rursum syr. Diaser. ad ℥. j. ß. sumsi: vnde dura quoque excrementa ab initio, mox verò pituitosa

etiam copiosè vndecies reddita fuerunt.

Sequenti die, qui trigesimus morbi erat, penultimusq; Aprilis, appetitus cibi denuò rediit, adeóque inualuit, vt vix quater in die cibum sumendo, satiari possem. Vinum, quod paulò ante bibere tentabam, cùm priùs aquam coctam, lacq; amygdalinum toto morbi decursu tantùm bibissem; & primùm gustanti, non sapiebat, paulatim denuò placere incepit. Corpus, quod hactenus continuò lecto instratum erigi nequibat, sensim attollere cœpi: dein &, sed primùm adminiculo astantium suffultus, mox solus etiam, incedere, tandemque rursum ambulare; donec septimanis in morbi huius decursu & declinatione absumptis sex, circa Maij medium, denuò ad templum primùm Deo gratias acturus, quod anno 64. sæuissima peste regnante me præseruarit, & nunc ex grauissimo morbo liberarit, prodirem, & ad consueta munia laboresq; Medicos redirem.

Febris ardens seu Causus, Cephalalgia, Delirium, Catharrus, Tussis.

NObilis quidam, à teneris crapulæ deditus, æstate, An. 1596. ex Alsatia in Thuringiam profectus, illicque aliquamdiu genio cùm indulsisset, iterum discedens cum suo comite alio Nobili, donum accepit à quodam, terram quandam; quam qui sumeret, tutum à veneno esse, is qui donum dederat, prædicabat. Domum ambo reuersi, & vim terræ illius experiri volentes, quilibet portiunculam, sicuti edocti fuerant, certo liquore dilutam biberunt, amboque in febrem acutissimam inciderunt; quâ alter mox exstinctus est; hic verò capitis dolore cum furore & æstu diuexatus, & insomnis penitùs, consilio meo, missâ vrinâ & literis 19. Iulij vsus est.

Cùm iam dies aliquot ægrotasset, venam non aperuit:sed missi soporiferi sumsit mei ℈.j.dissoluti in aq.Rof. Ex cuius vsu dormiuit,paululum quietior factus, sicuti postea scriptis, vxor semper de successu me commonefecit.Item ℞. syr.de Cerasis domest. de Fragis de Ribes,meæ cōpos.an.℥.iij.aq. Rof.℥.ij. Aceti pomorum ℥.ß.misce: Vtatur per se, & cum Aqua cocta loco vini, à quo illum abstinere iussi.

Missi quoque Saccharum ros.tab. vt loco manus Christi, quam vxor petebat,vteretur.

Epithema sequens cordi & pulsibus vt applicaret,scripsi:℞.aq.Ros.℥.iiij. Scabios.℥.ij. Aceti ros.℥. j.ß.suc. Pomor.℥.j.misce.

Sexto die postea, 25.Iulij, nihilò melius adhuc habebat,in enarratis symptomatibus: vrina tincta, crassa, aluus constipata.Misi itaque: ℞.condit.Citri purgantis ʒ.j. Sumat. Et deiecit sine omni molestia. Item: ℞. syr.de Cerasis, de Ribes an.ʒ.ij. Diacodij ʒ. ß. aq. Papau. ℥. j. ß. misc. Capiat indies bis ad ℥.j.

Vnguento Populeonis noctu tempora inungat.

Quinto die postea, 30. Iulij, iterum misi Purgans citri vt priùs; cùm illud tantopere vxor commendasset.

Et quia primo Iulepo destituebatur,iteraui:presertim cùm se eo delectari & refici diceret:bonamque illius quantitatem misi.

Vti & saccharum Ros.tab.de nouo ordinaui.

Tertio post die 2. Augusti, remittente nonnihil calore, vrinæq; rubedine, cùm de siti conquereretur & Cardialgia, misi: ℞.Hydromel.acetosi ℥.iiij. syr.de Cerasis ℥.j.permisce cochl.j.vel ij.cum Aqua cocta,& Bibat.

Item: ℞.conf. ex Ros. rubris siccis, in morsellos redactæ, & cum spiritu Vitreoli tinctæ, & acidita-

tem adeptæ. Item conditum cort. Citri, vt illis frequenter vteretur.

Quinto deinde die, 7. Augusti, febris remiserat, sed superuenit catarrhus & tussis vehementissima; sicuti hæc frequenter in declinationibus febrium, præsertim versus hyemem in corporibus cacochymicis, in quibus non licuit propter febrem acutam corpus sufficienter purgare; superuenire solent: eratque omnino adhuc viribus prostratis.

Denuò itaq; confectione de Citro eũ purgaui.

Tab. Diatrag. frig. vt noctu cubitũ iturus in ore contineret, misi. Item alias cum oleo Anisi paratas.

Et victus ratione reficiente illum restaurare iussi: presertim iusculo ex Vino & Ouis. Vinum quoque concessi.

Duodecimo postea die, non remittente adhuc tussi, misi Hydromel maluaticum, vt aliquando de eo biberet, tum confortationis, tum excretionis causâ.

Iussique vt tempore somni Diacodij compos. mei cochl. j. sumeret: & si non cessaret tussis, nec dormiret, media nocte alteram sumeret. Quod, sicuti vxor postea multis laudibus prædicauit, primâ nocte tussim sustulit. Fuitq; sic ex periculoso morbo, ad triginta quinque dies perseuerante, integrè restitutus.

Febris Tertiana intermittens breuis.

ALternis diebus febrili paroxysmo corripiebatur Puella nobilis, iam nubilis.

Purgaui illam die quietis hoc pacto: ℞. rad. Cichoreæ, Dentis leon. an. ℥. j. rad. Rhapont. ℥. ß. Absynth. Chamædr. Chamæpyth. an. ʒ. j. ß. fl. Cord. P. j. fol. Senæ ℥. j. sem. Anisi ʒ. j. infund. in Aqua & Vino, coq. parùm in duplici vase: colaturæ denuò infun-

infunde Rhab. ℥. ij. Cinam. ʒ. j. exprimat: Bibat vnam dosin, alteram tertia post die, qua apyretos est.

Cùm non remitteret, iussi in principio paroxysmi aquam sequentem bibere: ℞. aq. Cichorij, Centaur. min. Gentianæ an. ℥. j. misc.

Die febris elapso, repetij potum aquæ huius.

Et pulsibus applicare iussi in vtroque carpo sequens: ℞. cort. inter. Nucis arboris, maceretur in Aceto forti, & ligetur supra pulsus. Vnde nigra macula, & postea cutis excoriatio secuta.

Paroxysmus post mitior fuit. Iussi tertiò aquam bibere, & pulsibus sequens apponere: ℞. fol. Thlaspi, Bursæ past. Plantag. contundantur cum Sale & Aceto: Et applicentur.

Vix bis hoc facto, febris cessauit, ipsaque sana facta est.

Tertianæ aliæ similes.

QVidam senatori febricitáti, An. 1611. cùm post venam sectam & purgationem, non cessaret febris. Propinaui in initio paroxysmi sequentem haustum. ℞. Aquæ fol. Citri & Tabaci an. ℥. j. aquæ Narcot. ʒ. j. misce. Superdormiuit & sudauit circa finem paroxysmi admodùm. Cùm denuò instaret paroxysmus, iterum bibit, dormiuit, sudauit, & à febre liberatus est integrè.

Fabrum ferrarium in eadem platea, idem remedium, quod alter illi laudarat, petentem, simili ratione eodem tempore sanaui.

Febris Tertiana intermittens longior.

VIr quidam, nondum quadragesimum ætatis annum agens, qui ante triennium quoque febre tertiana laborauit, nunc iterum hoc mense Iulio eadem febre correptus est: quæ tunc in summo

æstu plures inuadebat, & vehemens satis erat, non tamen diuturna.

Quarto itaque Iulij, An. 1597. sub vesperam frigus sensit, & lassitudinem: noctu inquietè dormiens: post mediam noctem excitatus, calore præternaturali calebat, qui tamen matutino tempore remisit.

Altero die meliùs se habuit, prodijt domo, nec febrem ampliùs metuebat.

Tertio die, sub medium noctis paroxysmus non nihil anticipans, redijt, cum horrore aliquo, & subsequente calore illiusque accidentibus: eoque finito sudauit.

Quarto, vocatus, cùm liber à paroxysmo esset, Mannæ ℥.j.ß. in iusculo Pisorum exhibui: octiesq; deiecit.

Quinto, paroxysmi anticipantis horis quatuor, initia, horâ decimâ vespertinâ inceperunt.

Sexto die, venam brachij aperuit: sanguis, qui primò effluxerat, inæqualis & impurus.

Septimo, præparatiuum Iulepum hunc sumpsit: ℞. syrup. de Cichorea simpl. de Endiu. simp. de Absynth. an. ℥. ß. aq. Cichoreę, Buglos. Plantag. an. ℥. ß. fiat Iulep. arom. puluere Triasantali. Vesperi horâ quintâ paroxysmus incepit, cum horrore vehemẽtiore & calore: ob quam causam multum bibit, & durante toto paroxysmo horis circiter septem, eo absoluto sudauit.

Octauo, denuò Iulepum pro secunda vice assumpsit.

Nono die, clyster summo manè ante paroxysmi aduentum iniectus fuit: ℞. rad. Alth. ℥.j.ß. herb. Maluæ, Betæ, Violariæ, Endiu. Lactuc. an. M.j. Hord. P. j. f. Fœnic. ℥.j. fiat decoct. diss. in col. lib. j. Mellis viol. Casiæ cũ Melle an. ℥.j. ol. Viol. ℥. ij. Salis parùm. fiat clyster. Bis deiecit. Cibum sumpsit. Horâ primâ

râ primâ pomeridianâ quintus ſuperuenit paroxyſmus, qui paulò mitior fuit: eoq; finito ſudauit.

Decimo, purgatione hac vſus eſt: ℞. Caſſ. rec. extr. ʒ.vj. ſyr. Roſ. ſol. cum infuſ. rhab. ℥.j. aq. Endiu. & Bugl. q. ſ. fiat potio. Copioſè excrementa ſubnigra, liquida, multis vicibus eiecit.

Vndecimo paroxyſmus manè exſpectabatur: verùm nec horror, nec calor aut ſitis ſuperuenerunt; alteratus tamen nonnihil, & magis proſtratis erat viribus.

Duodecimo, vrina minus tincta: meliusq; ſe habebat, noxq; quieta magis fuit. Bibit Vinum albũ aquâ dilutum, ſicuti & priùs ſemper in die quietis: in paroxyſmo verò Aquam coctam, citra adiectionem aliquam.

Decimotertio, quia denuò alterationem leuem ſentiebat, Clyſter reiteratus fuit: cuius vſu tamen parùm deiecit.

Decimoquarto, quietè dormiuerat. Ne aluũs cõſtiparetur, iuſsi illum horis tribus ante cœnam ℥.j. ß. ſyr. Roſ. ſol. ſimpl. recentis, cum Aqua cocta diſſolutam bibere.

Decimoquinto, aluus ſemel reſponderat; appetitus rediјt: bene dormiuit. Quia tamen vrina adhuc tincta erat: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j. rad. Fœnic. ℥.ß. herb. Abſynt. ʒ.iij. Chamædr. fl. Bugl. Borrag. an. ʒ.ij. ſ. Aniſ. Fœnic. an. ʒ.j. ſummit. Centaur. ʒ.j. Senæ ℥. j. Agar. ʒ.iij. Zing. ℈.j. conq. infundantur in vino, ſtent per noctem ſine decoctione: Bibat ſequenti manè. Quia ſudores leuiter tantùm prodibant, iuſſi, ſi hoc die prouenirent, bibere aquam Endiu. & Fumariæ.

Decimoſexto, bibit vini illius hauſtum, & benè purgatus fuit, torminaq; aliqua ſenſit.

A decimoſeptimo ad vigeſimum vſque, ſemel denuò vinum bibit, ſudauit; laſſus tamen non-

dum domo prodire potuit, & die præcedenti ante cœnam, paroxysmi denuò accidentia quædam in calore sensit. Ob quam causam vigesimo die iterum vinum sumpsit, cui ℥.j. syr. Cich. cum rhab. permixta erat. Excreuit biliosam materiam, & sub noctem calore denuò præternaturali, leuiter tamen, correptus. Repetiit tertio ab hoc die, eandem potionem, & ter iterum deiecit.

Verùm cùm nondum perfectè sanus, de capitis dolore & lassitudine conqueretur, vrinæque biliosæ cernerentur: ad præparationē materiæ obstructionesque soluendas, Iulepum hunc duabus matutinis bibit: ℞. syr. de Duabus rad. de Endiu. simp. de Cich. cum rhab. an. ℥.j. aq. Centaur. Endiu. Bugl. an. ℥. ij. Bibat duabus vicibus. Dicebat huius vsu calorem & sitim, quibus adhuc nonnihil molestabatur, cessasse.

Vt purgaretur, post præparationem sumpsit seq. potionem: ℞. Rhab. ℈.iiij. Spicæ ℈.ß. infund. in Vino prius præscripto purgante, & in expreſsionis ℥.iiij. diss. El. de suc. ros. ʒ.j. misc. Bibat. Deiecit ante prandium sexies, & sub vesperam bis, & sequenti die natura denuò aliqua corporis commotione, & veluti cum paroxysmo febrili, vti sæpe fieri vidi, ternas sedes valde inquinatas excreuit. Postea cùm adhuc caloris præternaturalis vestigia aliqua hærerent, iussi conditum rad. Cichoreæ manè sumere. Et ventriculi offensi causâ, vinum Absynthites interdum cum floribus Buglossi bibere. Sicque paulatim restitutus, tertio postea die, aëri publico se commisit.

Alia Tertiana intermittens longa perseuerans, & post recidiuam rediens.

NObilis adoleſcens, febre correptus, An. 1609. Martio men. duobus diebus continuis paroxyſmũ habuit, poſtea alternis diebus paroxyſmos aliquot, qui horis nunc tribus, nunc quatuor anticipabant.

Purgatus fuit, poſtea vena ſecta, iterumque Purgatus, idque die quietis.

Cæterùm cùm non ceſſaret febris, eumque miſerè affligeret, dedi illi ante paroxyſmi aduentum ſequentem Iulepum: ℞. ſyrupi de Papau. ℨ. iij. aquæ Plantag. ℥. ij. ß. Bibat, & pulſibus applicet in carpo & temporibus, vnguentum Populeonis ſubactum cum telis aranearum. Superueniente paroxyſmo ſtatim ſudor erupit, calorque longè mitior ſubſecutus.

Poſtea denuò inſtante paroxyſmo, hæc duo remedia repetij, addendo ad Iulepum aquam Nicotianæ. Sudauit iterum mox ab initio, & vix frigus perſenſit, calor mediocris fuit.

Inde appetitus, qui priùs proſtratus erat, redijt, atque poſtea exigua ſaltem veſtigia aliqua febris in die paroxyſmi apparuerunt.

Cùm auidè & multùm comederet, recidiuam eſt paſſus, quapropter denuò illum purgaui, dein Iulepum vti priùs, ſemel adhuc inuadente paroxyſmo bibit, vnguentumq; Populeonis applicuit, febriſq; illum deſeruit.

Febris tertiana intermittens diuturna, Autumnalis, triginta paroxysmis antequam integrè solueretur, infesta.

ANnum ætatis cùm penè attigissem quinquagesimum, anno Christi 1586. quo febres passim grassabantur, etsi ex spontanea lassitudine, & ad dormiendum interdiu intempestiua quadam inclinatione, multis exscreationibus, ardore ventriculi, quibus per æstatem infestabar, illuuiem aliquam in corpore redundare cognoscerem: quia tamen, nimiùm tribuebam naturæ meæ robori, adeoque in alijs sanandis occupatus eram, vt propriam sanationem negligerem; accidit mense Augusto, vt in sæuam & diuturnam febrem inciderem; quæ hoc pacto incepit, meque diu exercuit, peneque confecit.

Augusti die duodecimo, cùm ad generosum quendam ægrũ proficiscerer equès, in itinere piscibus comestis, cœnum redolentibus, nauseam inde contraxi, ructusque illius cœnosi odoris frequentes edidi. Æstu quoque bidui illius, quod eò proficiscens confeci, vehementer incalui: ita vt deinceps per dies octo, quibus generoso ægrotanti adfui, malè habuerim, appetitusq; & cibi & vini deficeret, mihique cardialgia aluique profluuium, per quod cibus semicoctus, excrementaque subcinericia copiosè reddebantur, molesta essent. Febrem itaq;, ne me apud exteros inuaderet, & detineret, metuens, domum festinanter in ipso calore meridiano properaui; vnde siti contractã, aquam frigidam in pago affatim bibi, sequentique die domum reuersus, calens adhuc & lassus, in labrum aquæ tepidæ, vt nonnihil reficerer, sedi: vnde ventriculum

tulum ampliùs affici, meque debilitari sensi. Quæ tamen per somnum nocturnum nonnihil leuata sunt.

Verùm sequenti die, qui Augusti erat 21. sub vesperam, cùm in horto arantias arbores inocularem, denuoque ex illo opere incalescerem, ne calor labori meo obstaret, thoracem exui: ex qua repentina caloris repressione, præsertim flante vento frigidiusculo, dolor in dorsi regione subortus, adeò molestare cœpit, vt à cœna surgere, & in lectum decumbere cogerer. Vbi statim horror me corripuit, sequente calore febrili, qui per totam noctem, capitis & dorsi dolore, & siti inprimis me afflixit. Donec diluculo appropinquāte, paroxysmus, qui primus erat, iterum cessaret: remanente tamen totius corporis lassitudine, dolore capitis & sinistri lateris, qui dies aliquot durauit; sequentique nocte, quæ nonnihil quoque inquieta fuit, sudor paucus & tenax cum molestia potiùs, quàm leuamine prodijt.

Secundus paroxysmus, tertia nocte, à prima, quâ primus paroxysmus me inuasit, redijt, & cum oscitatione & pandiculatione, sine manifesto horrore incepit; sed calore huiusque accidentibus, grauiùs adhuc quàm prior me affecit. Sequentiq; primùm die, horis duabus ante meridiem, cessauit; sudorq; mox erupit, sinistri præsertim lateris (qua parte & caput tantùm dolebat, & coxa sinistra stupebat: sicuti priùs, cùm febre cōtinua ante decem & octo annos laborassem, idem mihi in sinistra parte accidisse, in illo casu describendo ostendi) qui & sequēti die adhuc perseuerauit, copiosiusque inter dormiendum profluebat.

Tertius paroxysmus, quinto die noctu denuò reuersus est, immitisq; admodùm fuit, & ad sequentis sexti diei horam octauam matutinam vsque

durauit. Quo finito, sudor emanabat adeò copiosè, vt decies & octies indusium madens detractum mutatumque sit. Cuius copiam potus Aquæ coctę in paroxysmo, mensuram vnam excedens, sine dubio quoque promouerat.

Quartus paroxysmus, die septimo nocte media inuasit, cæterosq; præcedentes sæuitiâ superauit, & ad octaui diei horam septimam matutinam vsque perseuerauit, quo finito, post somnum sudor tantâ copiâ hoc die & sequente nono profluxit, vt vigesies linteamina indusiaque renouata sint. Nec mirum, cùm ad sitim pellendam, duæ aquę mensuræ in paroxysmo, vt & postea aliquoties, exhaustæ fuerint. Licet autem sudor vix inducias daret, clyster tamen iniectus fuit: qui duas deiectiones admodùm biliosas promouit. Ab eoque tempore cephalalgia, quæ à principio morbi ad hunc vsque diem, non solùm in paroxysmo, sed & extra hunc, adeò punctionibus sæuis infensa erat, vt caput (quod leuamen aliquod adferre videbatur) arctè fasciâ continuò vinciendum esset: tunc euanuit, nec reliquo morbi tempore, dolore aliquo insigni me ampliùs vexauit; neque in sudoribus diuturnis, in quibus, ne impedirentur, caput benè tectum & obuolutum esse oportuit, aliter quàm pulsu arteriarum in auribus & temporibus sonante, citra doloris sensum tamen, molestiam aliquam præbuit.

Quintus paroxysmus, die nono in principio noctis, horâ nonâ, cum rigore iam apertè corpus côcutiente, vti & deinceps, præcedente semper oscitatione & pandiculatione, incépit, & ad quintam horam matutinam diei sequẽtis vsq;, qui decimus erat, permansit; eumq; sudor more solito, totum corpus madefaciens, excepit: qui & tunc, vti & priùs, & postmodum aliquot paroxysmorum vicibus,

bus, ferè ad id tempus, quo paroxyſmus denuò appropinquabat, perdurare ſolebat; & cùm eum facilè perferrem, nullam offenſam parere. Licet adeò proſtratis eſſem viribus, vt nec in die quietis diutiùs erectus ſedere, aut ſtare aliquo modo poſſem, ſed tunc quoque lecto proſtratus iacerem.

Sextus paroxyſmus, die vndecimo, horâ quartâ pomeridianâ incepit, priorem horis quinque anticipans, & ad horas ſeptem perſeuerauit, mediaque nocte deſijt: cui quies & ſudor poſtea ſucceſſerũt. Die ſequenti duodecimo morbi, qui primus erat Septembris, purgans hoc pacto ſumpſi: ℞. Rhab. infuſi in aq. Endiu. & exp. ℥.j. ſyr. Roſ. ſol. ſimp. ℥.j. ß. miſc. fiat potio: cuius vſu ſepties bilioſas lentâ pituitâ permixtas egeſtiones reddidi.

Septimus paroxyſmus, die decimotertio, horis quinq, denuò anticipans, circa meridiem ſuperuenit, & ad ſeptimam horam veſpertinam vſq; ſeuijt: ſequente mox ſomno, ſudoribusq; conſuetis.

Octauus, decimoquinto die, nonâ horâ matutinâ principium ſumens, iam quatuor horis tantũ precurrebat, & ſeptem quoq; horis circuitum perficiens, quintâ horâ pomeridianâ finem habuit; tempusq; quietis ſomno ſudoribusq;, vt & priùs, conſumebatur. Quo tempore pituitæ copia à capite defluens, ſcreatu multo reijciebatur, & ſicuti priùs, victus tenuis, cùm appetentia proſtrata eſſet, exhibebatur: potusque loco nunc Aqua, nunc Lac amygdalinũ propinabatur. Decimoſexto die vndecim deiectiones per aluum ſponte ſubſequutæ, plus alleuarunt, quam debilitarunt.

Nona acceſsio, decimoſeptimo die ſextâ matutinâ horâ inuadens, tribusque ſolùm horis anticipans, horasque non plenè ſeptem adimplens, circa meridiem ſoluta eſt, ſudoresque ſequuti ſunt. Decimooctauo die, ob bilioſi humoris copiam, ex

prægressa alui spontanea solutione excretam, cõijciens, plus illius superesse, denuò sic me purgaui: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j. Absynt. ʒ.ij. fl. Cord. an. ʒ.j. fol. Sen[illegible] ℥.j. Rhab. el. ʒ.ij. infund. in Vino albo tenui. Cuius infusi cum portionem tantùm aliquam sumpsissem, sexies biliosam lentam & viscosam excreui materiam.

Decima accessio, decimonono die, horâ tertia matutinâ, tribus horis, vti & prior, anticipans, superuenit, septemq; horis, remissiore quidẽ calore, siti tamen non minore quàm prius, cursum suum perfecit, horaq; decimâ ante meridiem desijt. Vires hoc die ob morbi diuturnitatem, admodùm deiectæ erant, donec sudore die sequenti copiosè emanante, se parùm iterum recolligerent.

Vndecimus paroxysmus, vigesimo primo die, circa medium noctis reuersus horâ primâ, tribusq; iterum horis præcurrens, septem peractis horis, septimâ horâ matutinâ desijt. Calore & hic mitiùs, etsi sitis minimè remitteret, se habuit. Post meridiem denuò infusi prioris haustum sumpsi, terque deieci.

Duodecimi paroxysmi principium, non in tertium diem, vti hactenus factum, sed sequentis alterius diei vigesimi secundi finem, horam scilicet noctis vndecimam, incidit; tot anticipationibus eo vsq; progressâ febre, vt iam in fine alterius diei paroxysmus inciperet, antequam principium tertij diei attingeret: in quo tamen horis quinq; peractis desijt. Quo circuitu febris in idem tempus, quo ab initio inceperat redeunte, mutationem quoque illius in colorem mitiorem factam quàm prius, patuit.

Et deinceps quoque, licet paroxysmorũ aliqua indicia, præter paroxysmos duodecim iam enarratos, decies & nouies adhuc, ad diem morbi vsque sexage-

ſexageſimum, quò febris integrè deſijt, tertio ferè, interdum, ſed bis duntaxat, mox altero die, ſe proderent; imperfecti tamen leuesq; hi erant, qui nullo rigore caloréve eum excipiente inſigni, nec ſiti magna, quæ in prioribus omnibus paroxyſmis intenſiſsima erat; ſed ſolâ oſcitatione, pandiculatione, frigore extremitatum, ſubſequente leuiuſculo interdum calore, accidentibus hiſce in principio magis conſpicuis tandem vix apparētibus, ſenſimque remittentibus & ceſſantibus, ſe manifeſtabát. Quos tamen leniores paroxyſmos, ſudores, ad extremam vſq; febris ſolutionē perſeuerátes, ſemper ſequebantur. Adhæc, nec febris hæ reliquię, horam aliquam certam ampliùs in inuaſione, vel anticipādo, vel cunctando, vel eandem horam attingendo, vti priùs dum perfectę eſſent acceſsiones, ſeruabát. Quod vt in hac mea febre diligenter, ſic & in aliorum innumeris febribus, tertianis & quartanis, plerunq; accidere obſeruaui, febriū paroxyſmis manifeſtis ceſſantibus, eiuſmodi febriū motus leniores aliquoties redire; interdum & diu, ſicuti & mihi accidit, qui paroxyſmos integros mutilatosq;, antequā febris hæc autumnalis tertiana, quam periculoſam & longam Hipp. quoque eſſe teſtatur, ceſſaret, triginta & vnum ſuſtinui, durare: & quo minùs æger, licet non ampliùs decumbat, integrè ad ſe redeat, impedire: nonnunquam & vt recidiuam patiatur, vel alijs morbis tentetur, efficere.

Quod & mihi ex parte hoc tempore, quo febris reliquiæ ſupererant, accidit, vt licet tunc è lecto ſurgere, & ſedere aliquamdiu, mox etiam in conclaui deambulare, tandem legendo, ſcribendo, munia aliqua obire poſſem; cibum quoque, quem priùs reſpuebam, nunc admitterem, etſi quæ ſolidiora erant, ab initio magna difficultate deglutirem: mox verò auidiſsimè, fame inſatiabili

laborans, expeterem assumeremque: tamen defluxione à capite in fauces delabente, screatumq; excretionemq; pituitæ continuò mouēte, ventriculiq; dolore semel atq; iterum infestabar, orisq; sæpè accedebat siccitas, & gustus ingratus; membraq;, & inprimis pedes, non solùm lassa & conquassata erant, sed & dolebant, totumque corpus marcore contabescebat. Quibus, sicuti & cæteris febris reliquijs, vt obuiam irem, etsi natura per sudores cōtinuos, ad extremū vsq; morbi, suum egregiè faceret officiū, aluusq; sponte plerunque responderet: tamen vt naturæ suppetias, ad illuuiem quæ in venis meseraicis restabat tollendā, ferrem, post paroxysmum decimumquartū, infusum vini, quod post nonam & vndecimam accessionem biberam, tertiò nunc repetij: vnde quater ea die, & sequēte bis, biliosam acremque, quæ & podicem adurebat, dejeci materiam. Quæ & sponte, duabus vicibus post paroxysmum decimumsextum, sequentiq; die iterum bis egesta fuit. Cumq; post decimum septimū paroxysmum aluus astricta esset, Syr. rosſ. sol. ℥.ij. Aqua dilutas bibi, aluusq; bis excrementa, tamen minùs tunc bile diluta, sed lutum referentia, reddidit. Et cùm deinceps quoq; purgatione opus esse viderem, post vigesimū paroxysmum, haustum sequentē sumpsi: ℞. syr. Rosſ. sol. cum infus. rhab. agar. & senæ ℥. j. syr. rosſ. sol. Simp. ℥. j. diluantur Aqua. Sedes sequutæ copiosæ septem, quæ & plurimùm profuerunt, naturaq; sic excitatā die paroxysmum vigesimum sequente, quatuor spontaneas, & post vigesimum secundū, tres alias mouit deiectiones. Quæ & postmodum per se, nullius medicamenti ope, alternis diebus naturaliter procedebant, in fine tamen morbi difficiliùs, ob excrementorum duritiem, quæ conualescentibus talia fieri solent, reddebantur.

Sed

Sed & cùm post trigesimum vnum, eumq; postremum, & qui vix cognoscebatur, paroxysmum, nullius sequentis nota sequeretur, nec quidquam residui ampliùs deprehenderetur, corpusq; priùs emaciatum, iam denuò ad pristinam integritatem rediret, habitiusq; fieret; tamen distentio ventris, pedum tumor, lassitudo vehemens, domi adhuc me continebat. Donec corpore priùs rursum purgato, sudoribusque non solùm spontaneis, sed etiam assumptione rob. de Sam. & stuphis bis repetitis, coactis excrementis tenuioribus ex habitu corporis elicitis absumptisque, penitùs sanitati restituerer: quod circa principium Decembris primùm, cùm à 12. Augusti febri correptus, decem septimanarum spatio ęgrotassem, bono regimine, & diligēti nec nimis operosâ curâ Dei optimi gratiâ, me regente tandemq; liberante, accidit.

Febris quartana, post sextum paroxysmum cessans, in adolescente.

ADolescens, annos 24. natus, mense Augusto, horrore febrili correptus, sentiebat circa hypochondria tensiones, vrinæ crudæ erant.

Vocatus, iussi inungere regionem sub vtroque hypochondrio, atque vniuersum ventrem, ol. Nardino & Chamom. Finito paroxysmo vrinæ nigricabant. Suspicabar mox itaq; Quartanam esse febrem.

Dein sequenti die constipatio aderat, rugitus sub hypochondrijs, & distentiones. Dedi itaq; sequentem potionem: ℞. Cath. ʒ.iiij. Diaphœn. ʒ.ij. confect. Hamech. ʒ j. syrup. de Cich. cum Rhab. ℥.j. syr. Ros. sol. ℥.j. cum aq. Bugl. & Absynth. fiat potio: Bibit tantùm mediam partem, me inscio: quare nihil deiecit.

Tertio die, cùm venam incidere vellem impeditus fui: cùm enim à prima potione non deiecisset, iam alterâ sumptâ nihil quoq; promouit. Cùm autem torminibus angeretur, sub noctem suppositorium indere iussi, cuius vsu bis deiecit.

Quarto die, febrilis paroxysmus rediјt. Itaque quartanam esse iam certò pronunciaui, diuturnitatem morbi, nisi obtemperaret, prædicens: quę nisi ante solstitium hyemale tolleretur, ad Veris tempus vsq; durare soleret.

Finito paroxysmo, sequenti die clysterem ordinaui: ℞. Maluæ cum toto, Violariæ, Mercurial. an. M.j.ß. f. Lini. ℥.j. f. Anisi ʒ.iij. flor. Cham. p.j. Hord. Cicer. rub. an. p.ß. fiat decoct. & in lib.j. dis. Mellis viol. ℥.j. Bened. lax. ℥.ß. ol. Chamom. ℥.iij. Salis ʒ.ij. fiat clyster: Detur summo manè.

Et mox totus venter ol. Chamomil. & Nardino inungatur.

Cùm diutiùs clyster moram traheret ad horas aliquot, anteaquam redderetur, suppositorio exhibito, illius excretionem promoui.

Quo facto, venam lienarem dictam aperuit, bonaq; sanguinis portio educta fuit.

Altero die hoc modo eum restauraui: ℞. conf. Bugl. vtriusq; an. ʒ.j. Capiat.

Aduentante [illegible] accesione, quæ anticipabat, & grauior [illegible] teris, vti solet, erat, dedi initio paroxysmi: ℞. aq. fl. Centaur. & rad. Gentia. an. ℥.j. Iulep. rof. ℥.j.ß. misc. Bibit, & finito paroxysmo plurimùm sudauit.

Cœperunt altero die hæmorrhoides intumescere; quod ille suppositorio indito acceptum ferebat. Et quia constipatus erat, & causam mali in meseraicis esse (prout ego eam illic latere docui) scirem, clysteribus potissimùm vtendum censens, denuò talē præscripsi: ℞. Maluæ, Violariæ cum toto,

to,an.M.ij.Mercurial.Betę an.M.j.ſ.Lini ʒ.j.fl.Chamom. p.j.ſ. Aniſi ʒ.iij. Furf. macri p.j.Hord.integri p.ß. fiat decoct. in col. lib.j. diſ. ſuc. Mercurial. ℥.ij. Bened.lax. ʒ.vj. Mellis viol.℥.j. Ol. communis ℥.ij. Salis ʒ.iij.miſc. fiat clyſter. Huius vſu maximã ſcybalorum copiam deiecit,mireq; fuit alleuatus.

Cùm dies paroxyſmi quarti inſtaret, qui grauiſſimus aliàs ſolet eſſe,in illius initio rurſum iuſſi Iulepum priorem bibere, & ſpinam dorſi oleo Chamom. & Aneth.inungere. Fuitq; ille paroxyſmus mitiſsimus, vt vix dum ſe febricitare cognoſceret: circa finem tamen vehementer ſudauit.

Sequenti die hoc exhibui Purgans: ℞. Cathol. ℥.ß.conſ.Hamech.ʒ.iij.diſſ.cum iure Cicer. addendo piperis gr.iiij.Bibat.Purgatus optimè fuit,multaq; flaua & fœtida deiecit excrementa.

Die paroxyſmum præcedente,ſedit me iubente in Balneo aquæ dulcis tepidæ,& benè poſtea dormiuit: donec poſt mediam noctem rudimenta ſaltem aliqua paroxyſmi ſeſe manifeſtarent.

Altero poſt die quieuit. Sequenti verò, qui paroxyſmum anteibat,clyſterem denuò ſumſit priùs ordinatum,deiecitq; purulentam & ſanguinolentam materiam. Poſtea pulſibus applicui vnguentum Populeonis cum telis Aranearum. Et ſi fortè paroxyſmus ſuperueniret,vt denuò Iulepum biberet,iniunxeram Verùm cùm non veniſſet, non eo opus fuit.Neq; poſtea ampliùs febre penitùs ſublatâ, eum repetijt.

Iuſsi tamen,vt aliquando conſ.Roſ.& Bugl.vteretur. Sicque præter ſpem ſex tantum acceſsiones habens, à quartana liberatus eſt.

Febris quartanæ initium.

VEnit huc 27.Auguſti,Anno 1613. nobilis quidam, quem ante annum febre laborantem ſa-

naram. Conquerebatur de calore præternaturali, quem & vrina tincta & pulsus celer testabantur: derosione cordis & comprimente illius dolore, oris amaritudine & nausea, capitisq; dolore, metuens febrem quartanam, cuius indicia ex horrore & calore subsequente, se dieb. aliquot sentire narrabat.

Venam aperire volebat, verùm prohibui, & purgatione eum magis egere ostendi. Dedi itaq; sequenti die 28. August. Dyacydon, purgátis spissioris ℥. ij. post cuius assumptionem intra horam magnam copiam biliosæ & pituitosæ materiæ euomuit, subsecutæq; sunt ea die 17. deiectiones, eiusdem illuuiei, & copiosæ. Nox fuit inquieta, calor vehemens, sitis magna, denuoq; vomuit.

Manè dedi ad refocillationem, & sitim pellendam: ℞. syr. Cydoniorum ex solo succo cocti, ℥. j. ß. syr. de Berberis eodem modo parati ℥. ij. syr. Viol. ℥. j. misce: Capiat cochlearia duo. Reliquum diluat cum Aqua cocta; Bibat loco Vini. Eo die rursum aliquoties deiecit: Nox paulò leuior.

30. Huius, cùm adhuc caleret, & sitiret, ordinaui Iulepum: ℞. syr. Cydon. simp. ℥. j. ß. syr. Viol. ℥. j. de Ribes ℥. vj. aquæ sol. Limonum, ad duplum. Bibat mediam partem manè, aliá ante cœnam. Quia admodùm sitiebat, concessi vt Lac amygdalinum, quo delectabatur, biberet. Et quandoque Vinum, sed dilutum aqua sol. Limonum vel Citri. Ea nocte parùm dormiuit, quietiorq; fuit.

31. Exhibui illi bolum ex conf. Rof. & fl. Cichoreæ, cũ rob. de Ribes. In prandio comedit aliquid, noctu quieuit.

Sequẽti die 1. Septemb. Vrinæ naturales, & iam sitis cessarat appetitus rediјt, meliusq; habebat.

Verùm 2. Septembr. sub vesperam horâ tertiâ, horror leuis illum inuasit, subsequente calore, ita vt iam certò constaret quartanam esse, nox non admo-

admodùm inquieta, remittente priùs febre antequam noctesceret.

3. Septemb. quia constipatus erat, dedi hunc Iulepum: ℞. syrup. Rof. sol. ℥.j.ß. Mellis violacei ʒ.vj. cum aqua Fontis q.s. Bibat frigidam potionem ieiunus. A qua tredecies deiecit.

Et 4. Septemb. sine febre fuit, benè se habens & deambulans.

Sed quinto, sub vesperam duabus horis tardiùs quàm prior paroxysmus redijt. In cuius principio bibit statim haustum aquæ Tabaci, leuisq; admodùm fuit accessio hæc: Ita vt eam non curaret, & proin domum discederet. Sumptâ secum aquâ Tabaci, vt si fortè paroxysmus rediret, eam vti priùs biberet.

Febris quartana, in puellula, quæ per biennium in ea durauit, & postea iterum eam inuasit, cum tumore ventris & sinistri lateris, postq; intra mensis spatium sanata.

PVellula quinq; annorũ, Regij Oratoris, totum biennium febre quartanâ laborauerat, quæ illam postea dereliquit. Verùm cùm è Gallijs ingruente hyeme, cum parentibus in Heluetiam deduceretur, rursum febris quartana eam inuasit, in itinere. Cùm ad nos peruenisset, & aliquandiu subsisteret, deprehendi in ea paroxysmos non adeò vehementes, nec enim frigore magno in principio concutiebatur, calor sequebatur mitis, sitis pauca, in declinatione sudor erumpebat. Peiùs habebat, quando constipata erat, meliùs cùm aluus respondebat.

Quã Cassiâ sumptâ primùm, & postea Clysmate infuso apertam seruaui.

Cùm fastidiret medicamentosa, Iulepum & Aquas præscripsi, vt separatim vel commista simul ad ℥.j.ß. pro vice sumeret indies bis, & aquam solam paulò ante inuasionem paroxysmi.

Iulepus talis erat: ℞. Iulep. Viol. Rof. an.℥.j. syr. de Cicho. de Radicibus an.℥.j.ß. Misce.

Aquæ erant Endiuiæ, Portulacæ, Plantaginis, Fumariæ an.℥.j.ß.

Interpolatis vicibus vt aluus responderet, ordinaui pruna purgantia: ℞. Prunor. Damasc. numero 15. coquatur in decocto fol. Sennæ ℥.j. in Vini & Aquæ æquali portione cū Saccharo; Item Clyster interdum illi infusus fuit, ex decocto Maluæ, Violariæ facto in brodio Carnis, addendo ol. Amygd. dulc.℥.j. Mellis cochl.j. vitellum Oui num.j.

Quia venter illius erat inflatus & tensus, & nonnihil, in latere sinistro durus, hoc emplastrum applicui: ℞. emplast. de Meliloto, Diachylonis ireati. an.℥.ß. malaxentur ol. Liliorum: Et supra corium extensum admoueatur.

Inunxit detracto emplastro latus hoc linimento: ℞. ol. de Capparibus, Irini, Amyg. amar. an.℥.j. Gummi ammo. dissoluti in Aceto ℥.ij. Axung. anseris ℥.ß. Ceræ parùm, fiat vnguentum.

Intra mensis spatium, tumor subsedit, febreque liberata, cum parentibus discessit.

Febris quartana cum Lue Venerea.

Vide in Defœdatione Lib. III. Lues Venerea cum febre &c.

Tertiana intermittens duplex, Obstructio hepatis, Cardialgia, Oris amaritudo, Dyspnœa.

Inuadebat mulierem, quæ tempus, quo menstrua fluere solent, iam prætergressa erat, Anno 1596.

no 1596. sub vesperam compressio quædam, circa ventriculi regionem, cum frigore extremitatum, subsequente calore, & dyspnœa, quâ valde horarum duarum aut trium spacio angebatur; ita vt erecta sedere cogeretur. Vrina tincta, crassa: Pulsus intercidens, qui ad sex aut septem ictus aliquamdiu subsistebat. Hepar obstructū, & pulmones à defluxione infarctos iudicaui; adesseque febrem, quæ sub vesperam indies inuadebat; duplicem pro in tertianam, quarum vna longè mitior altera fuit, & breuior.

Empirici consilio venā aperuit, & purgans sumsit; à quibus tamen nihil alleuata fuit. Et cùm in peius omnia vergerent, appetitu prostrato & viribus; vocatus tertiâ demùm morbi septimanâ, sequenti modo curam institui.

Venam aperiens, 13. Nouembr. incidens & purgans, bibere incepit: ℞ radic. Cichor. Fœnicul. Lapatij maior. rotundi folij, ana ℥. ß. cort. Tamaric. ʒ.ij. herb. Absynth. Chamædr. an. ʒ.ij. summ. Centaur. min. ʒ.j. fl. Bugl. ʒ.j. ß. semin. Fœnic. Petrosel. an. ʒ.j. fol. Sennæ ℥.j. ß. Agarici ʒ v. Zing. ʒ.ij. Turbith. ℥.ij. conquass. pro mens.j. Vini, bulliant parùm in duplici vase.

Bibit per triduum manè, & sponte, bis quoque sub vesperam: & bene feliciterque in dies fuit purgata, biliosam & pituitosam egerens materiam.

15. Nouemb. ventriculi regionem inungere iussi, cuius dolorem sentiebat: ℞. ol. de Absynth. Nardin. an. ℥. ß. Inungat.

Et quia de oris amaritudine & calore conquerebatur: ℞ syr. de Cydon. de Ribes, an. ℥.j. ß. de Agresta ℥.j. misc. Capiat frequenter cochl.j.

19. Nouembr. vt meliùs purgaretur: ℞. Vini præpar. vt supra, dosin vnam, quæ adhuc restabat;

infund. Rhab. per noctem ℥.j. Cinam ʒ.j. ß. Expreſſ. bibat cras manè.

20. Nouemb. vehemens erat paroxyſmus, in quo de ſumma cardialgia & dyſpnœa conquerebatur. Iuſsi itaq; fomẽtare regionem ventriculi ante cœnam: ℞. Abſynth. M. ß. rad. Gal. Cyper. an. ʒ.iij. Maior. Spicæ celt. an. M.j. ß. Fœnic. ʒ.ij. ſ. Coriand. ʒ.j. ß. conquaſſ. decoq. in Vino & Aqua: Pro fotu.

Quia ſtertor audiebatur in pulmonibus: ℞. Oxymel. ſcyllit. & ſimpl. an. ℥.j. Capiat freq. cochl.j.

21. Nou. iuſsi quoque pectus inungere: ℞. vng. Reſumt. ol. Amygd. an. ℥. ß miſc.

Quia iam alternis diebus paroxyſmus ſe tantùm manifeſtabat, vnam febrem ceſſaſſe, alteram remanſiſſe colligens, vt de nouo præpararetur, ord. 22. Nou. hunc Iulepum: ℞. Oxymel. ſimpl. ſyrup. Capill. ven. an. ʒ.vj. aq. Tuſsil. & Beton. an. ℥.j. miſc. Capiat manè & ſerò.

23. Reiteretur Iulepus. Incepit meliùs habere, vrinæ in meliùs mutari. Paroxyſmus febrilis anticipabat, iuſsi maturè & parùm admodùm cibi ante noctem ſumere.

26. Nou. in principio paroxyſmi bibit hanc aqu. ℞. aq. Tuſsil. Centaur. min. an. ℥.j. ſuc. Limon. ʒ. ß.

27. Nou. præparatâ materiâ, vt adhuc purgaretur: ℞. ſyr. Roſ. ſol. cum inf. Rhab. ʒ.vj. aq. Roſ. ℥.j ß. aq. Cinamom. ʒ.ij. aq. Fontis ℥.j. Bibat vno hauſtu. Deiecit, noctemque quietam & ſequentem diem habuit.

29. Vrina ferè naturalis, mitior paroxyſmus.

1. Dec. quia alternis diebus adhuc exacerbabatur malum: ℞. ſyr. Roſ. ſol. cum inf. Rhab. ʒ.vj. el. de ſuc. Roſ. ʒ.j. ß. aq. Cinam. Vini albi an. ℥. ß. aq. Roſ. & Bugl. an. ℥.j. pro vno hauſtu. Deiecit aliquoties, & ſemel vomuit. Paroxyſmus leuior, nox quietior.

Atq; ita ſenſim remittentibus omnib. conualuit.

Tertiana

Tertiana intermittens duplex, quæ duas septimanas durauerat, & tertiâ curata fuit.

NObilis Gallus quidam, viginti quatuor annos natus, in Italiam animi gratiâ peregrinatus, in reditu Locarni, An. 1608. mense Iunio, febre correptus, quam se ab esu cœparum crudarum contraxisse putabat, indies circa meridiem præcedente rigore, & subsequente calore, ad vesperam vsq; paroxysmo infestabatur, & nihilominꝰ lecticâ vectus, ad me Basileam properabat, quò 2. die Iulij ad extremũ vsq; imbecillis, febre iam per dies 14. indies, atq; itineris labore, pluuioso præsertim tempore, & molestatus & defatigatus, nocte iam ingruente, peruenit, de corporis & cordis dolore, de pectoris angustia, oris amaritudine, summopere cõquestus.

Tertio Iulij, manè statim illi exhibui hoc purgans ante venæ sectionem: ℞. syr. Ros sol. cum inf. Rhabarbari & Sennæ ℥.j. syrup. Ros. sol simpl. ℥.j.ß. aquæ Endiu. q. s. fiat potio. Deiecit ante paroxysmi aduentum, secutusque est paroxysmus, à quo sub vesperam adeò fuit debilitatus, vt animo ferè delinqueret. Iussi vt iusculum hauriret, sed cùm illud respueret, concessi, vt quod maximè exoptabat, panem in Vino aquâ diluto, maceratum sumeret, & pauxillum illius Vini biberet, à quo refocillatus fuit. Et quia restaurans aliquod Consommè vocatum expetebat, iussi vt in crastinum sumeret tale paratum: ℞. Caponem deplumatum & euisceratum, addendo carnis Vitulinæ quartam partem, incidantur asperso tantillo Salis, misc. sp. Diamarg. frig ℈.j. Cinamom. ʒ.ß. coquantur bene oburata in vase duplici, per horas quinq;, colatura stet donec congeletur, seruetur ad vsum.

Quarto Iulij, cùm satis placidè dormiuisset, horâ matutinâ venâ brachij dextri mediâ apertâ, sanguis effluxit ater, qui vbi refrixerat subcæruleus atque inæqualis apparuit; Superuenit circa meridiem eadem horâ, quâ præcedenti die, febris, & cum sitiret in paroxysmo, iussi illũ aquam coctam bibere, cum eaque de hoc syrupo miscere: ℞. syr. de Ribes, Acetos. simpl. de Endiuia simpl. ana ℥.j. misce. Ad oris amarorem corrigendum, iussi vt manducaret racemos Berberis, Sacchar. conditos, cùm absoluto paroxysmo, valde esset conquassato corpore, denuò panem cum Vino diluto comedit & bibit. Conquerebatur de sinistri hypochondrij punctionibus, quando spiritum ducebat. Quare ordinaui inunctionem hanc: ℞. ol. Anethini, Chamom. an. ℥.j. de Capparibus ℥. ß. ol. Anisi guttas vj. misce. Sub noctem dedi illi cordialem hanc potionem: ℞. syrupi de Papauere ʒ. ij. de acetos. Citri ℥. ß. aquæ Borrag. Buglosf. an. ℥.j. aq. Cinam. ʒ.j. Bibit & dormiuit placidè.

Quinto Iulij, exhibui sequens Catharcticum: ℞. Rhabarbarb. electi ℈. iiij. infusi in aqua Endiuiæ, & expresf. syr. Rof. simpl. sol. ℥.j.ß. elect. de succo Rof. ʒ.ij. aq. Cinnamom. ʒ.j. misce fiat potio. Quâ sumptâ plùs quàm decies copiosam deiecit materiam biliosam, & vomuit. Paroxysmus sequutus mitior, nec ita post eum adeò viribus fuit prostratis, refocillauit se pane & vino, in cœna, & de pullo gallinaceo parùm edit, nox satis quieta.

Sexto Iulij, manè cùm iam melius haberet, & è lecto surgere posset, beneque speraret, rogaretque, vt operam darem, quo itineri se rursum committere posset, nam tanto comitatu quem secum haberet, sumptus fieri magnos, egoque difficultatem curæ, illi proponerem, bonam spem nihilominus eum iubens concipere, dedi ante aduentum

tum paroxyſmi hanc aquam bibendam: ℞. Aquarum Plantag.℥.ij. Centaurij ℥.j. Endiuię ℥.ß. Roſar. ℥.ij. Miſce. Febris ſecuta mitis fuit. Iuſſi noctu eandem potionem repetere. Nox paulò inquietior, fortè ob æſtum qui tunc vrſit.

Septimo Iulij, applicuit pulſibus in vno brachio ſequens: ℞. vnguenti Populeonis ℥.j. Telas aranearũ multas. Nucis arboris parùm miſce: Bibit denuò aquam, Febriſq́; adeò obſcura fuit, vt vix cognoſceretur.

Octauo Iulij, & applicationem & aquam denuò repetijt. Febris priore nonnihil vehementior, ſed breuis.

Nono Iulij, dedi hunc Iulepum: ℞. ſyr. Roſ. ſol. ſimpl. ℥.j. diſſoluatur cum Aqua cocta: Bibat manè horâ ſeptima: Et licet illi indicarem, cordialem hanc eſſe potionem, tamen inde ſexies aut ſepties deiecit, iuſſi applicationem repetere, eaq́; die febris ferè nulla indicia, niſi leuis calor circa horam tertiam quem aëri potiùs quàm febri aſcribebat. Cœnauit parùm, beneq́; ea nocte quieuit.

Decimo Iulij, deambulauit in publicum, & vndecimo, Febriſque eum penitus reliquit, cibiq́ue appetitus redijt.

Duodecimo Iulij, Argentinam verſus profectus, abijt.

Semitertiana ſeu Hemitritæus, ex continua & duplici tertiana compoſita febris, Singultus vehemens, Tumor in ſiniſtro hypochondrio.

Adoleſcens quidam nobilis Gallus, febre continuâ correptus eſt; non tamen adeò violentâ, & indies nouo horrore ſuperueniente, febris ſen-

tiebat exacerbationes. Vnde duplicem intermittentem febrem continuæ copulatam esse, in hac hemitritæi specie, iudicaui. Præsertim verò dolor circa præcordia illum vehementer angebat, & singultus perpetuus molestabat, appetitu prostrato, & viribus deiectis.

Quorum causam circa præcordia, in venis meseraicis & venæ cauę ramis hęrere, vnde febris atq; enarrata symptomata prodirent, ostendebam.

Dedi 20. Maij, Anno 1592. tabulam vnam elect. Diarrhod. purgans meæ comp. Vnde bis deiecit.

Sequenti die 21. Maij, cùm singultus non cessaret: ℞. ol. Amyg. d. ℥. j. ß. Bibat cum iusculo. Postea clyster hic inijciatur: ℞. Maluæ, Atripl. Violariæ, Mercur. an. M. j. Furf. p. j. s. Lini ℥. ß. fl. Cord. p. j. fiat decoct. in col. lib. j. diss. Cath. ℥. ß. Mellis ℥. j. ol. Viol. ℥. ij. Salis parùm: fiat clyster.

Tertio die, 22. Maij, cùm singultus perseueraret & cardialgia, dedi potiunculam purgantem: ℞. syrup. Ros. sol. cum ins. Rhabarb. ℥. j. ß. el. de Suc. ros. ʒ. ij. cum aq. Ros. & Bugl. & pauca aqua Cinam. fiat potio.

Nec post purgationem remitttebat singultus: dedi itaque sub vesperam vomitorium: ℞. radic. Raph. ℥. ij. s. Atripl. Aneth. an. ℥. j. fiat decoct. & in ℥. iiij. dyss. syrup. Acetos. simpl. ol. Oliuar. ℥. j. Bibat & fauces irritet digito vel pennâ. Vomuit: nec dum singultus remisit.

Iussi ventriculi regionem fomentare, decoctione Absynth. in Vino, addito pulu. Gariophyl. Item Crustam panis madefacere in Vino, & aspergere pulu. Garioph. & ventriculo apponere.

23. Maij, longioribus iam interuallis singultiebat. Dedi iterum tale vomitorium: ℞. ol. Amyg. d. ℥ j. ß. ol. Aneth. ʒ. ij. aq. Nucum virid. ℥. iij. mis. Bibit, & denuò vomitio sequuta est.

Postea

Postea ventriculum inunxit ol. Nucis mosc. Et sumpsit cons. Rosarum.

24. Maij, accessio febris satis valida: ventriculus adhuc inquietus. Dedi cubitum ituro ad ventriculi sensum nonnihil retundendũ, & quia vigilijs vexabatur: ℞. syr. de Papau. ℥. iij. iulep. Viol. Ros. ana ℥. ß. aq. Bugloss. ℥. ß. fiat potio; Bibat. Dormiuit, & cessauit tandem singultus.

25. Maij, rursum adfuit singultus, & accessio denuò superuenit febrilis. Repetii clysterem.

Et 29. iterum dedi potionem purgátem, quam 22. Maij sumpserat. Bibit. A qua purgatus, meliùs habuit, cessante singultu; & febris accessio remissior erat.

Cæterum 29. Maij, febrilis paroxysmus denuò superuenit, in cuius principio vt sudores mouerem, exhibui Iulepum: ℞. aq. Fumar, & Bugl. an. ℥. ij. adde parùm Sacch. ros. tab. Bibat. In declinatione febris sudauit, beneq; se habuit.

Verùm 2. Iunij, non reuersa est febrilis accessio, & pulsus remissior, continuam quoque cessasse demonstrabat, sed singultus iterum superuenit, atque immensus tumor in sinistro hypochondrio apparuit: quem ex inflatione vẽtriculi profectum dixi, & vt inungeret iussi: ℞. ol. Mastich. & Menth. ana ℥. ß. ol. Nucis mosch. per express. ʒ. j. ol. s. Fœnicul. per destill. ℈. ß. Inung. locus tumens bis aut ter in die.

Mediocriter cùm iam haberent se omnia, nisi quòd tumor persistebat, & interdum adhuc singultiebat, 8. Iunij pilulas dedi: ℞. pill. Aggreg. ʒ. ß. Coch. ℈. ß. cum aq. Cinam. fiant pill. Quæ egregiè profuerant, ita vt non fuerim vocatus deinceps.

Ad 17. vsque de tumore illo conquestus, qui non cedebat, & durus erat. Ordinaui itaque hoc cataplasma: ℞. rad. Alth. ℥. ij. rad. Lil. ℥. iij Absynth.

Menth. cort. Citri ſicci, an.℥.j. Maior. M.j. fl. Chamom. Melil. Roſ. rubr. an. p.j.ſ. Carui ʒ.ij. decoq. in Vino, & piſtentur addendo far. Siligin. ℥. ij. ol. de Abſynth. Nard. an.℥.j.ß. fiat catapl. tepidum, Appl. tumori, & iteretur bis in die.

Vinum hoc quoque bibat: ℞. rad. Enul. ʒ.ij. Abſynth. ʒ.j.ß. Maior. ʒ.j. ſ. Coriand. ʒ. ij. Fœnic. ʒ.ij. conquaſſ. pro menſ. Vini: Bibat manè cum iuſculum ſumit.

21. Iunij, quia ſingultus denuò infeſtabat, iterum eum purgaui: nam quoties purgabatur, remittebat: ℞. pil. Aggreg. & de Rhab. an. ʒ.ß. cum Vino albo fiant pil.

Et ſic poſtea conualuit.

Febris continua, maligna, epidemia, Hauptwehe / *ter Baſileæ in robuſtos potiſſimùm graſſans.*

INter morbos populariter graſſantes, & in plures eodem tempore ſæuientes, non ſolùm Baſilea noſtra, annis elapſis, quibus vixi ſeptuaginta ſeptem peſte ſepties infeſtata fuit: ſed & inſuper ter, diuerſis annis, dum Medicinam facio, (priùs enim ſi quis fuit, non ampliùs memini) morbus, quem vulgus Cephalalgiam, Hauptwehe/ à præcipuo in omnibus occurrente ſymptomate, ſic denominatus, quamplurimos, & viros præſertim, atque inter eos robuſtiores quoſdam, potiſſimùm, crapulæ & ebrietati deditos; rariùs mulieres, vix dum iuniores aut infantes, quibus tamen peſtis magis inſidiatur, inuadens, magnam cladem, ſublatis fortiſſimis viris, vrbi noſtræ intulit. Præſertim anno ſeptuageſimo ſecundo, triginta eodem ferè tempo-

tempore, & plerique ex illis post publicum quodam epulum, eadem nocte, hac lue correpti, è medio sublati sunt.

Qui morbus, omnia febris continuæ putridæ licet secũ adferret symptomata, sicuti in praxi mea expositum fuit, ab ea tamen virium subitanea prostratione, & quod vti dictum, plures simul corripiebat, & plerosque interficiebat, & quòd maculæ in multis ante mortem erumpentes, perniciem morbi prodebant, & per contagium in vicinos, sed tamẽ dispositos tantùm, serpebat, distinguebatur. Vti & à pestifera febre, quòd grauiùs, quàm illa caloris accidentibus affligeret, nullus bubo vel anthrax in hac febre appareret, nec sicuti dictum, adeò vti pestis in quosuis, sed intemperanter tantùm viuentes, sæuiret.

Qui hac lue peribant, secundâ plerunque septimanâ, die morbi frequentiùs decimo, vndecimo, duodecimo; vix decimumquartum attingentes, exstinguebantur. Qui euadebant, sex septimanarum spatio, antequam integrè sanarentur, opus habebant: in cuius medio ferè tempore, febris soluebatur, reliquum medium, in superuenientibus alijs accidentibus occupabatur, & ad recolligendas vires requirebatur.

Qui sibi ab hac lue metuebant, hi meo consilio, præcauebantur purgationibus leuioribus, sæpè repetitis: adhæc sanguinis detractionibus ritè administratis: atque exhibitis illis, quæ putredinem arcent, & malignitati humeris resistunt. Quorum exempla passim in libro Febrium inueniuntur. Adhibitâ simul viuendi ratione decenti, & inprimis cibo potuq; moderato, temperato, nec vario.

Modum curationis, etsi in libro Febrium quoq; exposuerim, exemplum tamen vnum curæ perfectæ in hoc quoq; casu adiiciam.

Febris continua maligna epidemia in viro, cum Cephalalgia, Delirio, alijsq́ accidentibus.

VIr quidam nostrâs primarius quadragenarius, grassante hac febre epidemia, anno octuagesimo octauo, mense Iunio, horrore correptus media nocte; cũ vehementer mox accenderetur, capiteq́; doleret, summo manè me vocauit.

Anteactam ipsius vitam considerans, & quòd febres tunc eiusmodi regnarent, quodque adeò deiectis esset subito viribus; Epidemiũ hunc morbum esse, periculosum ob id, astantibus amicis prędixi, & de delirio subsequuturo præmonui; illisq́; ægrum, si dies decem superare possit, victurum, sed tamen ante sex septimanas, vix citiùs ad pristinam sanitatem rediturum, exposui.

Cùm vrgeret dolor capitis, ipseq́; ea nocte placentam Rosaceam, qualis post extractionem aquæ Rosarum in fundo alembici remanere solet, capiti apposuisset, iussi eam Oxyrrhodino priùs madefactam expressamq́; applicare.

Vomitu infestante & nauseâ, iusculum bibere, quod vxor ad manum habebat, iussi, & digito immisso rursum illud paulò post euomere: quod & factum est.

Volui Clysterem inijcere; verùm cùm illum renueret, ne purgante exhibito venæ sectionem, quæ maturanda videbatur, cùm plethoricus esset, retardarem, suppositorio communi aluum solicitare iussi: vnde dura excrementa reddita sunt.

Nonâ horâ matutinâ, vena brachij sinistri, quia eo latere caput dolebat, aperta fuit, & insignis sanguinis quantitas extracta. Postea iusculum Hordei

dei sumpsit, Aquamque coctam loco potus bibit.

Sub vesperam, præparare materiã, & malitiam humoris retundere, cœpi, cùm in eiusmodi morbis, quibus cor lacessitur, non diu exspectandum sit, hoc modo: ℞. syr. de Acetos. citri ℥.ij. suc. Limon. ʒ.j. aq. Scabios. ℥. j. ß. sp. Diamarg. fr. ʒ. ß. colentur bis terve, fiat Iulepus, Bibat. Nox inquieta fuit, dolor capitis summus, in fronte & temporibus punctiones.

Altero die manè, vrina tincta, fœtida, parũ confusa, vt hypostasis non dijudicari posset. Pulsus citus, magnus. Calor corporis acris vrens. Repetijt Iulepum manè, eundemq; tertiò sub vesperam.

Cephalalgiæ causâ Frontale tale adhibui: ℞. fl. Ros. Viol. Nenuph. añ. P. j. fl. Lauand. P. ß. pul. sem. Myrti, Lactuc. an. ʒ j. Papau. albi. ℥. ß. farin. Fabar. ℥. j. coq. in Lacte, & cõtund. adde ol. Ros. & Chamom. an. ℥. j. Applicetur, ter in die renouando.

Supra pulsus in vtroque carpo applicabatur Theriaca, addito pauco Croco, Garyophyllis, & granis Iuniperi cõtusis, & cum Aceto rosaceo subactis. Ea nox grauis quoque erat, augebaturque morbus adhuc in dies.

Tertio die sic purgatus fuit: ℞. rad. Acetos. Cichor. an. ℥. ß. Scordij M j. flor. Cord. quatuor, & Scabios. an. P. j. fol. Senæ ʒ. iij. Epith. ʒ. ij. sem. Anis. ʒ. j. fiat decoct. infunde in col. Rhab. el. ʒ. j. Spicæ ℈. ß. fiat expressio, dissolu. Trypheræ persicæ ℥. ß. syr. de flor. Persic. ʒ. vj. fiat potio. Qua operante, vt faciliùs perferret, iusculo refocillatus fuit: deiecitque sine labore successiuè quinquies. Licet quotiescunque è lecto surgeret, animo ferè deficeret. Nocte sequẽti, vigilans, multa præter rationem loquebatur, corpusque hinc inde volutabat.

Quarto die manifestè delirare cœpit, cum furore aliquo, vt etiam astantibus minaretur, quos ta-

men nouerat, vti & me; quem ac si armatus accessissem, accusabat, è lecto continuò surgere, seque induere conabatur: & nisi impediretur, impetu quodam assurgens, per fenestram vociferabatur.

Venam sub lingua aperuissemus: sed illud minimè patiebatur; atque Oxyrrhodynum capiti frequenter admotum, detrahebat continuò, & abijciebat.

Nihil quoq; præsertim medicamentosi, admittere volebat ampliùs, sed vinum omnibus modis efflagitabat, vt propinaremus. Itaq; vt eum falleremus, in aqua radix Acetosæ decocta fuit: quæ præter qualitatem conuenientem, subrubro colore eam tinxit, ex quo vinum esse credidit. Verùm falsus colore, etsi pro vino biberet, mox tamē vinum minimè esse deprehendit, nec ampliùs bibere voluit, donec permistione vini Granatorum, & syrupo Ribes, vinositatem aliquam aqua, coloremq́ue magis rubrum acquirens, ei placeret, eamq́ue pro vino sumeret.

Iuscula, & quæ illi offerebantur, nunc subitò deuorabat, nunc effundebat, vel partem illorum abijciebat.

Hac paraphrenitide quinto, sexto & septimo agitatus, hisce diebus nihil aliud assumere voluit, aut vt illi applicaretur, permisit. Ob quam causam, cū dies noctesq; vigilaret, & inquietus esset, sexto die circa mediam noctem, ipsius aquæ, eo quo diximus modo præparatæ, syr. de Papau. ℥. ß. permisceri iussi, & tunc sitienti exhiberi. Vnde cùm manè sequenti dormiret, Cucurbita interim magna, cū multa flamma ceruicis regioni fuit adhibita; quam tamen mox excitatus, excussit.

Septimo die, cùm syrupum hunc repetere iuberem, & nocte media ℥. vj. sitibundo cum aqua propina-

pinarent, manè sequenti diei octaui, somno altiori obruto, pullum Gallinaceum per medium sectum, cruentum & tepentem adhuc, placidè vertici capitis apposuimus: quem aliquamdiu anteaquá excitaretur, retinuit, moxq; excitatus, cum terrore magnoque clamore, eum arripiens, cùm manus cruore commaculatas cerneret, abiecit: qui veluti tostus erat, ab eoq; vapor, vti & à capite, manifestus exhalabat. Quæ applicatio ita profuit, vt sub vesperam iam ad se redire, & rationi consentanea loqui, obtemperareq; monitis Medicorum animæ & corporis, cœperit.

Sed quia supra modum debilis erat, atque ita deiectis viribus, vt vix moueri posset, quin animus deficeret, febrisque nihil adhuc remitteret: Iulepum frequenter illi propinandum hunc præscripsi: ℞. aq. Scabios. Acetos. Bugloss. an. ℥ j. ß. aq. Cinamomi, elicitæ cum aqua, non cum vino, ℥. ß. iulep. Ros. & Viol. an. ℥. j. manus Christi perlati ℥. ß. misc. Capiat frequenter cochl. iij. vel iiij. per se, vel cum Aqua cocta.

Quia iuscula & cibos respuebat, Lac amygdalinum vt biberet, interdum concessi.

Hæc eadem nono die repetita fuerunt, quà fœdam materiam sponte excreuit in lectum, ita vt diarrhœam, ne superueniret, quæ plerumq; in hoc morbo, ob malitiá humoris eò delati, dysenteriam lethalem inducere solet, metuerem.

Epithema hoc cordis regioni admotum fuit, & pulsibus: ℞. aq. Ros. ℥ v. aq. Acetos. Scabios. Bugloss. an. ℥. ij. Aceti fl. garyoph. hortens. ℥. j. suc. Citri ℥. ij. pul. Diamarg. frig. ʒ. j. Garioph. ʒ. ß. Croci ℈. j. misc. Applicetur cum panno rubro chermesino.

Plantæ pedum Aceto & Sale frequenter fricabantur, atq; vniuersa crura, Panno aspero.

Decimo die, vt natura vel per vrinas, vel sudores, criticam excretionem moliretur, manè sequens propinaui: ℞. syr. de Byzant. Capill. veneris, de Buglo. an. ℥. j. aq. Polytrici, Cardui ben. an. ℥. ij. misce.

Sub vesperam sanguis è naribus fluxit, ipseque summè inquietus & imbecillis, vti & tota nocte: in qua excitatus, cùm illum adirem, crisim adesse dixi, quam Hippo. testimonio nox grauis solet præcedere. Et licèt plerique mortem appropinquare crederent, egoque de euentu crisis essem dubius, cùm pulicares rubræ maculæ hinc inde dispersæ, sed latæ apparerent:

Versus diluculum tamen vndecimi diei, cùm iam eum animam agere putarent, placido somno obrutus, obdormiuit, sudorque, etsi detecto corpore nudus ferè iaceret, ex vniuerso corpore promanauit, fœtido & hircoso odore; vti & vrina, quę crassam copiosamque in fundo vasis deponebat hypostasin, sæpeque fuit reddita. Sudore aliquandiu manante, contusis iusculis, quibus iam non inuitus vtebatur, reficiebatur. Ad hæc congelata varia, aliaque restaurantia exhibita fuerunt, sequentibus quoque diebus, quibus sudores continuò ferè perseuerabant, febrisque illiusque accidentia à die duodecimo remiserant.

Septimanæ tamen adhuc tres, antequam integrè restitueretur, viresque pristinas reciperet, absumptæ fuerunt: quibus, etiam in alijs accidentibus, de nouo superuenientibus, vt defluxionibus, tussi, alui constipatione, emendandis, occupati fuimus.

Febrium pestilentialium, septies intra annos septuaginta apud nos grassatarum, descriptio.

BAsilæa inclyta ciuitas, in qua ante annos septuaginta septem natus sum, & Medicinam annos quinquaginta sex exerceo, Archiatriq; & Professoris Medici munus, annos quadraginta duos obeo, etsi cùm ob situm, tum structuram, tũ munditiem aëre puro & salubri fruatur, septies tamen peste aliquandiu grassatâ, & singulis ferè decẽnijs, reuersâ, eam miserè infestatam memini. Cuius causam, præter peccata, quæ Deus sic certo tempore, quando hæc, cùm securè viuentibus nobis inualescunt, punire solet, etiam necessitatem hanc naturalem esse, possemus dicere, quòd cùm ferè duplo plures, quotannis nascantur, quá alijs morbis è medio tollantur, vti iam diu à me obseruatũ fuit, intra decennium, hominum numerus adeò increscat, vt hac veluti repurgatione, nonnunquá, cùm nimiùm homines aucti sunt, nec aliter bello, fame, aliáve clade imminuuntur, opus sit, & hanc ob causam pestis, quò diutiùs emanet, cùm redit, maioremque hominum deprehendit copiam, eò maiorem etiam edit stragem, vti in septem hisce pestilentijs, alijs citiùs, tardiùs alijs redeuntibus, ostendemus. Pręterea & quòd toties nos inuadat pestis, non minimam causam esse existimo, quòd cùm alibi, in vicinia præsertim, pestis bacchatur, in nostram hanc vrbem, quæ nemini hospitium denegat, infecti transfugere soleant, per quorum contagium, sicuti animaduerti, hospitia vbi diuerterunt, inficiuntur.

Prima pestis Anno 1539. 1540. 1541. grassata.

PRima Anno Domini post millesimum quingentesimum, trigesimo nono, vrbem nostram inuasit, quo ego tres annos natus, cùm parens in vicinum oppidum Liechstaldum, ex vrbe, cum suis conuictoribus secederet, eò quoque fui transportatus. Postea peste nonnihil remittente, domum reuersi, Anno sequente quadragesimo, cuius æstas ardentissima erat, & ob æstum maximum der Heiße Sommer dicta fuit, quâ copiosissimus fuit vini generosissimi prouentus, cuius & ego recordor, pestis iterum increbrescens, eo anno & sequenti quadragesimo primo durauit, nunc vehementiùs nunc mitiùs sæuiens, ita vt nihilominus eo anno quadragesimo primo, balistarum ludus socialis, ad quem plurimi Heluetij, atque vicini populi inuitati venerant, in campo Martio Petrino actus fuerit, in quo artifex balistarius, arcum tendens, sub brachio dolore correptus, à bubone pestifero ibi exorto, domum æger reuersus, mox mortuus est.

Hoc pestifero tempore, multi peste prehensi occubuerunt, inter quos & prudentissimus consul Iacobus Meierus, atque viri hi clarissimi, Rector Academiæ, Simon Grynæus Græcus professor, qui ex sacro fonte me suscepit. Item D. Andreas Carlostadius de Bodendstein Theologus, & ad diuum Petrum parochus.

Memini autem tunc temporis, sororem meam alteram, Margaretham (nam prima ante annos aliquot Porrentruti peste grassante, in infantia obijt, illicque sepulta est) peste quoque sublatam fuisse, quo die pater me, cum altera sorore ex ædibus ablegarat, sed mox sequenti die domum reuersi, incolumes

columes per Dei gratiam mansimus, pestisque periculum euasimus.

Secunda pestis Anno 1550. 1551. 1552. 1553. *grassata.*

EXorta hæc pestis decennio post primam, circa finem anni quinquagesimi, in vere Anni 1551. admodùm sæuire cœpit, non in vrbe solùm, sed etiam in locis vicinis, cuius contagio tandem ædibus paternis quoque infectis, vnus ex suis conuictoribus, mense Aprili è medio fuit sublatus. Cuius rei causâ, pater cæteros ablegans, me cum filio D. Petri Gebvvileri Rœtelam in castrum vicinum, Marchionis Badensis, cui præerat, transmisit, ipseque cum reliqua domestica familia, in prædium suum suburbanum Gundeldingense commigrauit, vbi soror mea tertia Vrsula, iam nubilis, pia beneque educata, peste, aliquot annis ante, vti dictum, duabus sororib. eâdem extinctis, correpta, Iunio mense mortua est. Quam paulò post patre rursum in vrbem reuerso, puer quidam & puella, ex parentis consanguineis, quos è Valesia euocatos educabat, & in villa patris, villici filius, sunt sequuti. Quo tempore ad finem Augusti vsque, pestis quam plurimos absumpsit, & tunc primùm nonnihil cœpit remittere, qua de causa, pater me Rœtelâ domum reuocauit, & vt studio Medico incumberem, licet annorum tantùm essem quindecim, voluit. Per eam hyemem, vti & sequentis Anni 1552. ver & æstatem, etsi pestis hinc inde adhuc serperet, non ita multis tamen eâ morientibus, non adeò, nisi ab illis quorum ædes inuaserat, curabatur. Verùm Autumni tempore, illa rursum sæuire, multorum cum internecione, tàm in maiore quàm minore vrbe cœpit, & denuò viciniam no-

ſtram inuaſit, ita vt 10. Octobris, ex patria diſcedens, Monſpeſſulum ſtudij Medici causâ, plures eâ ſeptimanâ ſint mortui, multos etiam adhuc ægrotantes relinquerem, illiusque diei nocte, quo diſceſſi, ancilla patris mei peſte, à qua tamen euaſit, corriperetur, quod & Thomæ Schepfij comitis mei, Ludimagiſtri tunc apud Diuum Petrum, poſtea Medici Bernenſium facti, familiæ accidit, quam ea ipſa nocte peſtis inuaſerat: Ac ſi Deus, nobis parcere volens, antequam lue ædes noſtras inficeret, nos periculo ſubtractos, in tutum locum ablegaturus eſſet. Durauitque hæc peſtis, multos perimens, totá illam hyemem, & ſequentis Anni 1553. initio, quo duo villici parentis mei, peſte etiam interierunt: Verisque tempore, ſenſim cœpit remittere, tandemq; ceſſare.

Numerus defunctorum, cùm nòn fuerit annotatus, incertus, certũ tamen, magnum eum, cũ tam diu peſtis durauerit, fuiſſe, eaque hyeme ſolùm, circiter mille homines obijſſe, nec minorem quàm præcedenti anno ed tam eſſe cladem. Quo & inſignis Hebrææ linguæ profeſſor, Sebaſtianus Munſterus, menſe Maio peſte ſublatus fuit. Atque inter alios, alijs morbis extinctos, Oſvvaldus Myconius, ſummi templi paſtor primarius, menſe Nouembri, apoplexiâ iam ſenex, ex hoc mundo ſublatus eſt.

Tertia peſtis Anno 1563. 1564. vehementer ſæuiens, Magna Peſtis appellata.

HAEc peſtis, ſecundam annis duodecim ſubſecuta, An. 1563. quo iam ſeptem annos Medicam artem exercueram, eaque durante, aliquot centenis operâ meâ inſeruieram, ab inferioribus Germaniæ locis, ad nos ſuo contagio ſerpens hyemis

mis tempore primùm erupit, & mox Anno sequẽti 1564. æstatis & autumni præsertim tempore, ita inualuit; vt breui hoc spatio, quo ad finem anni illius durauit, maximam cladem intulerit, nomenque Magnæ pestis inde sortita sit, quæ postea anno sequenti vlterius progressa, alibi quoq; damnum maximum dedit.

Sæuiebat autem hæc lues, passim per vrbem, atque infinitos afficiebat, & plerosque trucidabat. Moriebantur infantes quamplurimi, & adulti famuli & famulæ, è quibus, qui æstate huc recèns, vt seruirent, appulerant, pauci euaserunt. Ciuium magnus numerus, mercatorum, artificum, operatiorum cùm vxoribus, tollebatur. Atque grauidis mulieribus infensa imprimis, plerasq; quæ vterum gestabant, inuasit, & vel fœtu nondum excluso, vel per abortum priùs reiecto, enecauit. E Senatu multos abstulit, vti & ex Academicis. Nec senibus & decrepitis pepercit. Sepeliebantur quandoque simul, in vna fossa, supra viginti. Ex hospitali indies funera exportabantur, quæ in amplam fossam reposita, non priùs terrâ obruebantur, donec ad vigenarium, & ampliùs excreuissent numerum. Templa, plateæ, veluti deserta apparebãt. Magnusque totius vrbis luctus, & quam nemo exterorum accedebat.

Sed & multi ex illis quos pestis corripuit, Diuinâ gratiâ, tum sponte, tum Medicorum cura restituti sunt. Inter quos domi nostræ, pater & mater prouectæ ætatis, peste sæuâ prehensi, ille anthrace & bubone, hæc sex bubonibus simul qui in abscessum abierunt misere afflicta, incolumes euaserunt, vti & binæ nostræ ancillæ, cùm puero & famulo. Me quoque cum illis habitantem, & passim ęgros inuisentem, Diuina protexit gratia, nec tum quid mali sum passus, quàm quòd carbunculi pu-

ſtula, dum pulſum morientis, qui frigido mortali ſudore manum meam madefecerat, tangerē, iuxta pollicē erupit, quæ & ſine alia noxa ea nocte euanuit. Quod & ſocero meo chirurgo, ægris operam danti, in pede accidit, vbi duæ eiuſmodi puſtulæ peſtilentiales exortæ, nulla ſubſecuta febre, ſponte ſubſederunt.

Numerus eorū, quos peſtis ſuſtulit, etſi magnus fuerit, quouſque tamen proceſſerit, cùm tunc temporis, non vti in poſtremis duabus, annotarentur extincti, admodùm incertus vulgò ſpargebatur, pleriſque ad ſeptem, alijs ad decem millia, eum extendentibus. Ego tamen, in medio ipſorum ad finē vſque verſatus, & quantùm fieri poterat, pręcipuis annotatis, atq; cum miniſtris, qui eos viſitare ſolebāt, ea de re colloquutus vix quatuor millium numerum exceſsiſſe, arbitror; quod ſanè in vrbe noſtra, ampla quidem, non tamen adeò populosâ, & tunc temporis, ab illis, qui cedere potuerūt, deſerta, multum eſt. Maximè verò me in ſupputatione hac mortuorum nō adeò aberraſſe, ex numero eorum, qui in poſtrema ſeptima ordine peſte occubuerunt, & annotati fuerunt, qui quatuor vti illic demonſtrabitur attingebāt millia, colligere potui; cùm eodem ferè modo hæc peſtis, vti illa, ſicuti diligenter eas inuicem contuli, graſſata fuerit, ſepultorumq; per plures dies, idem extiterit numerus: & quòd in hac peſte ducenti in hoſpitali inſcripti ſint, qui numerus cum eorum, qui in ſeptima peſte ibidem extincti ſunt, conuenit: atque inſuper tot matrimonia diuulſa aut penitùs extincta, ſicuti quam plurima ex illis notaram vt & alia, quæ amiſſa fuêre. Quod & ex nuptijs, quæ ſequēti anno celebrabantur indeſinenter conijcere licuit.

In defunctorum catalogo fuerunt, ex Senatoribus, tredecim; Ex Academicis, Rector, D. Marcus Hoppe-

Hopperus Iureconsultus, D. Martinus Borrhaus Theologus, D. Vldaricus Iselius, D. Martinus Huoberus, Iureconsulti, D. Ioan. Iacobus Huggelius, D. Io. Acronius Frisius, Medici; Ministri verbi Dei quinque, Studiosi multi, Typographi duo, Nicolaus Episcopius & Hieronymus Curio, &c.

In hac calamitate, admodùm Medicorum opem expetebant ægri. Qui plerumque tunc, vti & ego, aquas theriacales, ad sudores mouendos, illis propinabamus, quibus & Osvvaldus Berus, octogenarius Medicus & Promotor meus, multa eximia præstabat; quas ex theriaca sua, cui loco trochiscorum de viperis, alios ex carne serpentum cœcorum, vulgarium nostrorum, Blindenschlich dictorum, paratos inserebat, parabat.

Cumq; ego in varijs antidotis experiundis, quid efficere possent, communicato quoq; consilio cũ magno Gesnero (qui anno sequẽti peste extinctus est) sicuti ex epistolis ipsius ad me scriptis patet, multa tentarem, antidotusq; magna illa Mathioli, à me quoq; ritè, ex selectissimis simplicibus vndiq; conquisitis, parata fuisset, eâ potissimùm ad curationem multorum felici successu vtebar, illiusque præsertim infusionem, ex antidoto ista, cum aqua Vitæ & syrupo Citri paratam, vti in Praxi mea descripta fuit, vnciæ vnius quantitate, in prima mox inuasione, exhibere, sequentiq; die iterum repetere, solebam: sicuti multis exemplis & historijs curationum, à me factarum, si eas reseruassem, demonstrare possem: quod tamẽ ferè superuacaneum esset, cũ & hæ & alia remedia, quibus in hac sequentibusq; pestilentijs cum successu vsus sum, in Praxi mea sufficienter fuerint proposita.

Quarta pestis Anno 1576. 1577. 1578. grassata.

POst annos duodecim, à tertia, Anno nimirum 1576. Augusto, hęc pestilétia à tabellario quodam ex loco pestifero, vbi peregrè abfuerat, reduce, in ędes proprias illata fuit, illumq; primùm cum vxore, postea alios ex eius familia confecit, mox ab ijs in alios, indeq; sensim per vrbem dispersa, & sequenti an. 1577. toto, & 78. initio durans, nūc potétiùs nūc mitiùs sęuiendo quamplurimos abstulit.

Quot autē homines hæc pestis sustulerit, nō fuit obseruatū, nec certò colligi potest, hoc tamē constat, etsi non tā magnam, vti prior, nō tamē exiguā stragem diuersis in locis edidisse & in familias aliquas, quib. prior pestis pepercerat, irrupisse. Obijt ea strage D. Casparus Heruagius Iureconsultus, M. Oesius diaconꝰ Leonardinus, cuius filius eadē lue, in .7 peste, diaconus Petrinus factus, extinctus.

Memorabile hoc euênit, quod D. Adamus à Bodenstein, Paracelsicæ sectæ coryphæus, cū libello edito, se pestē præcauere & curare posse, suâ theriacâ, quam ex chymicis concinnabat, diuulgaret, peste correptus, nemine tūc in ea platea ægrotáte, & peste penitus ferè in vrbe cessante, interierit.

Quinta pestilentia, An. 1582. 1583. regnans.

HÆc paucorū, post priorem, annorū interuallo An. 1582. sub mensis Iulij mediū irrepés, hunc saltem semiannū, & sequentis 83. menses tres durans, breui hoc tempore, etsi prior vix sexennio antegressa, vrbem nostram admodùm repurgasset, valde tamen sæuiens, maiorem adhuc intulit cladem pluresque sustulit.

Quorum numerum, cùm plurimos annotarim, partim

partim pronuntiare certò possum, partim ex certis circumstantijs colligere, ad 1198. se extendisse. E quibus, apud Diuum Petrum 186. In Hospitali 103. sepulti & inscripti fuerunt.

Inter hos & D. Simon Grinæus Medicus, Ethices professor fuit, & Thomas Phrygius, itidē professor. D. Petrus Perna Typographus, alijq; multi, omnis ætatis & sexus. Sorores quoq; ex patre tres Anna, Vrsula, Elisabetha, infantes adhuc, cum matre sua vidua tunc viuētes, eo tēpore, sunt mortuæ, fratrib. duob⁹, cū sorore maiore natu, inde ereptis.

Euaserunt peste infecti quam plurimi, atq; inter eos, in solo hospitali annotati 115.

In hac tempestate, me Deus, vti in priorib. quatuor, etsi ægros accedens, in magno versarer periculo, tutatus est, ædibusq; meis pepercit, cùm iuniores familiæ meæ, maturè extra vrbē rus vrbi vicinum, quod possidebam, ablegassem.

Sexta pestilentia, Anno 1593. 1594. *sæuiens.*

HÆc decennio post antegressam quintam, sub finem An. 1593. incipiens, & 1594. totam vrbē peruadens, circiter noningentos cōfecit, quod eò rectiùs sciri potuit, cū tunc mos primū quotannis numerum defunctorum, annotandi, atq; Calēdis Ianuarij publice promulgandi, inoleuerit. Inter quos Dn. Bernhardus Brand, Iuriū Licentiatus & Tribunus insuper plebis, nobis ereptus est.

Accidit tunc quoq; hoc memoriâ dignū, quòd impostor quidā, pseudo Medicus circumforaneus, globo quodam ex stibio, vti puto & ex operatione illius potui conijcere, composito, vinoq; immerso, vinū illud exhibendo, omnes se curare peste infectos, gloriatus, peste, primū vxore eius correptâ, ipseq; mox, eâdem perierit, pœnasq; audaciæ sic ambo dederi[nt]

Euaserunt ex ægrotantibus, hac lue grassante, non pauci Dei gratiâ & Medicorum operâ, meque etiam cum mea familia Diuina protexit clementia.

Quod curationem illorũ attinet, qui meo consilio vsi sunt, præcipuum tunc remedium fuit, Aqua theriacalis, quam in Praxi mea, vbi de peste egi, tertiam vocaui: quam tunc temporis in pharmacopolia omnia, vt ad manum semper esset, præscripseram. Cuius successum in peste correptis, in hospitali cùm experirer, postea in cæteris quoq; sanandis eâ plerunq; vtebar. Quæ & ita innotuit, vt tunc vix aliud in peste sananda adhiberetur remedium.

Cui tamen & aliæ quoque curandi methodicæ rationes in ægris, qui me accersiuerunt, aut meâ operâ vsi sunt, adhibitæ fuerunt. Inter quas vnam saltem exempli loco adijciam.

Febris pestilens in virgine.

PVellam nubilem, mense Septembri peste correptam, vigesimo nono die accessi; quæ cum horrore eam inuaserat. Calebat admodum, pulsus febrilis, vrina nihil mutata, prostratis tamen subitò viribus erat.

Propinaui illicò sequentem potionem: ℞. aquæ Theriacalis supradictæ ℥.ij. el. de Ouo ʒ.j. misc. Bibit, nec eam vomuit: quód pro bono signo habetur, multumque postea sudauit.

Sudore peracto, iussi vt cochleare vnum vel duo syrupi de Limonibus, cum æquali portione syrupi de Acetositate citri permixti, per se, vel cum aqua cocta diluti, biberet, sæpeq; vt reficeretur, repeteret: Iusculaque efficacia, contusa & congelata sumeret: lacque amygdalinum biberet.

Sequenti die bubo in inguine apparebat, anthraxque paulò subtùs in femore erupit. Denuò igitur expulsiuam hanc potionem illi propinaui:

℞. aquæ

℞. aquæ Theriacalis prædictæ ʒ. vj. Iulep. rof. ℥.j. fyr. de Limon. ℥.ß. de Agresta ʒ.ij. (ad robur ventriculo addendum, & vt hauſtum faciliùs retineret) miſc. Bibit, rurſumque ſudauit.

Sudore peracto, tab. Diamarg. frig. ſumpſit, moxque repetijt.

Epithema pulſuum & cordis regioni tale cum ſerico Chermeſino admotum fuit: ℞. aq. Roſ. ℥.ij. aq. Scabioſ. Acetoſ. an. ℥ j. aq. Meliſſ. Aceti roſ. an. ℥. ß. pulu. Diamarg. frig. ʒ. ß. Suc. pomor. ℥. ß. miſc. Applic. ſæpeq; iteretur.

Anthraci cataplaſma hoc impoſitum fuit: ℞. fol. Scabioſ. pulpæ ficuum an. ℥. ß. contund. adde ol. Lil. ℥. ß. miſce.

Tertio die, cataplaſmati pro anthrace, qui dilatabatur, Laricea & Vitellus oui admiſta fuerunt.

Et quia de ardore colli conquerebatur, hoc gargariſmate vſa eſt: ℞. aquarum Plantag. Solani, Caprifol. an. ℥.ij. Vini granat. ℥. j. ß. ſyr. Viol. Mellis roſ. an. ℥ j. miſc.

In vſu cordialium propinatorum admotorumque perrexit. Victuque ſæpe & parùm exhibito reſtaurabatur.

Quarto, cùm adhuc periclitaretur, potionē cordialem, & quæ veneni vim infringeret, talem exhibui: ℞. aquę Theriacalis vt ſupra, aquarum Bugloſſi, Scabioſ. Calendulæ ſyr. de Agreſt. an. ℥. ß. pulu. Diamarg. frig. ʒ. ß. miſce.

Bubo interea admodùm increuit, accedente rubore & mollitie: quem cùm ad ſuppurationē tendere viderem, cataplaſma hoc, vt chirurgus applicaret, præſcripſi: ℞. herb. Maluæ M. j. fl. Chamom. P. j. Ficuum ℥. ij. coq. piſtentur. adde pulu. rad. Alth. ℥. ß. farin. ſem. Lini & Fœnogr. an. ℥. ij. Vitell. Ouorum numero ij. empl. Diachyl. diſſoluti in ol. Lil. ℥. j. Salis ʒ. ij. fiat cataplaſma.

Ab eo tempore melius habere cœpit. Perrexit in vsu prędictorũ remediorum, & sequenti Iulepo: ℞. Oxysacch. simpl. syr. de Limo. an. ℥.j. syr. Acetos. ℥. ß. iulep. Ros. ℥.j. ß. aq. Cinam. ℥. ß. spiritus Vitreoli gutt. iij. Camph. gr. iiij. misc. Vtatur frequenter.

Septimo die, quia pulsus erat debilior, rursum haustum hunc bibit: ℞. aq. Theriac. vt supra, ℥. ß. aq. Scabios. ℥. j. iulep. Ros. ℥. j. ß. Bibat. Postea sensim cœpit conualescere.

Cura Anthracis, qui amplus erat, lobũq; carnis nigræ cõtinebat; & Bubonis, qui in abscessũ, dein in vlcus conuertebatur, chirurgo commissa fuit.

Hæc sufficiant exempli loco in medium protulisse: cùm diuersi curationum modi in libro febriũ copiosè tractentur. Multos tamen, Deo per media operante, quatuor pestilẽtiis grassantibus, quibus quòd Medicus essem, interfui, ægrisq; innumeris adfui, tutusq; diuino numine euasi, liberatos medicamentorum adminiculo fuisse, bonâ conscientiâ affirmare possum.

Septima pestis Anno 1609. 1610. non minùs quàm tertia vehemens, Magna proin vti & illa dicta.

SEptimæ pestiferæ luis, quæ vrbem nostram depopulata est, Anno millesimo sexcentesimo & nono, primùm semina fuerunt iacta. Atque quinq; annis tardiùs quàm priores incipiens, breui tempore vti & tertia immensam stragem edidit, & ob id vti illa, Magna pestis der groß Sterbendt appellata fuit.

Inuasit autem hæc lues vrbem nostram, sub finem Octobris mensis, anni prædicti, cùm priùs paulatim per Rheni tractum ascendens, sic-

que

que ad nos perueniens, in vicino Marchionatu, per totam æstatem admodùm sæuijsset. Eam pistoris in minori Basilea famulus peste correptus, inde in vrbem importauit, magistrique sui, eadem illâ perempti, familiam infecit. Vnde in defuncti pistoris consanguineos, vicinosque, & præsertim qui illis ministrarant, eosq; inuiserant, serpens, aliquos quoq; è medio sustulit, ita vt quindecim numero sub principium sequentis anni, peste saltem extincti fuerint.

Anno 1610. sequenti, mox circa initium, lues, ex minori vrbe, in maiorem quoq; sensim trāsmeauit, atq; hinc inde aliquos prostrauit, de quibus tamen, in aliquibus nec bubone nec anthrace apparēte, an febris esset maligna solùm, vel pestis vera dubitabatur, præsertim cùm pauciores morerentur, donec mense Iulio in æstate, certis illius iam patescentibus indicijs plures extinguerentur, sensimq; per autumnum ad 12. Octobr. vsque illa inualesceret. Quo tempore, quam plurimi, ex vrbe pestem fugientes secesserunt, & cùm numerus defunctorum colligeretur, 1696. peste à Ianuario supputando, extincti inuenti sunt. Inde pestis adeò sæuijt, vt hebdomadatim à 250. ad 280. vitam finirent, ad mensem Decembrem vsq;, quo nonnihil eâ remittente, numerus defunctorū media ex parte septimanatim minui cœpit, longeq; ampliùs, sequentis anni 1611. mensib. trib. donec circa finem Martij, pestis penitùs per Dei gratiam nos reliquit.

In hac extrema vrbis nostræ calamitate & miseria, post diligētem inquisitionem, deprehendimus, in vniuersum breui hoc tempore peste correptos fuisse, sexies mille quadringentos & octo homines. E quibus è viuis excesserunt mortuique sunt, ter mille noningenti sexaginta & octo. Sanitati verò restituti, bis mille, ducenti & quinquaginta.

u 5

In magno horum numero, qui hoc tempore obierunt, Senatores fuerunt ſexdecim; Academici, Doctores, Theologiæ vnus, Iurium vnus, Medicinæ quinque, Philoſophiæ decem & ſeptem. E quibus & miniſtri verbi Dei, qui infectos ægros magno numero, cum vitæ periculo, ſubinde inuiſebant, fuerunt quinque; quatuor alijs, denuò ſanitati reſtitutis: ex Ludimagiſtris quatuor, ex Studioſis ſexdecim extincti fuerunt.

Matrimonia inſuper dirempta, alterutro coniuge mortuo, plurima; integra verò extincta, ambobus ſimul è medio ſublatis coniugibus, centum ſexaginta quinq;. Inter quos & inſignis ille Theologus, D. Amandus Polanus à Polansdorf, cum coniuge ſublatus recenſetur; Et duo illi viri præſtantes, D. Iacobus Zwingerus Medicus, & M. Henricus Iuſtus paſtor Eccleſiæ Petrinæ, cũ vxoribus: quorum ille vt curaret corpus, hic animam, ægros ſedulò viſitando vitam propriam expoſuerunt diſcrimini: vti & ex Academicis Medici duo, & Ludimagiſtri duo, cum coniugibus peſte interempti.

Inter cætera, memorabile hoc quoque tunc accidit, quòd in hoſpitali, ex magno numero illorum qui peſte correpti eò deducti ſunt, atq; ex illis qui in eo tunc habitarunt, ducenti & nouem tantùm ſint mortui, euaſerint verò ex illis qui hac lue ægri ibi decubuerũt quadringenti, ſeptuaginta & octo. Quorum multi nullis vſi ſunt remedijs peſti ſanandæ appropriatis. Pleriq; verò Aquam illá theriacalem biberunt, quam in priore ſexta peſte pro hoſpitali, & alijs pauperioribus, vti illic docui, ordinaueram, eaque magno ſucceſſu vſi erant, quæ Tertia inter aquas theriacales in Praxi mea deſcripta, & rurſum in fine, inter remedia, communi Medicorum conſenſu in hac peſte annotata, vltimo loco poſita fuit.

In hac septima pestifera strage, Deus opt. max. me quoque, vti priùs in sex prioribus, sanum conseruauit, familiamq; meam, puero mihi famulante saltem hac lue mortuo, protexit clementer. Cui gloria & laus in æternum. In qua cùm diligenter singula obseruauerim, eamque cum reliquis contulerim, deprehendi, singulis decennijs pestem nobis contagium minari, eamq;, si diutiùs protrahatur, eò vehementiorem postea fieri, sicuti in tertia, & hac septima peste factum: qui in vtrisq; Medicus, omnibus, qui meo consilio vti voluerunt, consilio & operâ meâ & præsens & absens lubentissimè sum gratificatus: atq; notaui, cùm illa biennium, hæc quinquennium supra decimum emanserit, moramque traxerit, vix intra sesquianni spatium longè maiorem stragem, quàm quæ singulo quoque decennio redeuntes per tres annos protrahebantur, edidisse, atque in priore tertia, & septima hac regnante peste, æqualem ferè numerum, ad quatuor scilicet millia è viuis sublata fuisse.

Quod remedia attinet, quæ eo tempore à Medicis plerumque ægris administrata fuerunt, præter iamdiu consueta, & priùs in alijs pestilentijs quoque vsurpari solita, in Praxi mea ad præseruationem & curationem copiosè descripta, communi consensu Medicorum, sequentia præcipuè, vt illis vterentur, præscripta & publicata fuerunt.

Ad præseruationem sequentibus pilulis per vices vtantur: ℞. Aloës, Rhabarbari, an. ʒ.ij. Agarici, Myrrhæ an. ʒ.j. rad. Gentianæ, Zedoariæ ana ℈.j. Croci ℈.ß. puluerisentur. & cum syrupo Ros. sol. infusion. fol. Senæ fiat massa.

Antidota item sequentia, primùm in forma tabularum vel electuarij: ℞. rad. Angelicæ, Imperat. Zedoariæ, semin. Angelicæ, granorum Iuniperi,

fol.Rutæ, Boli puri præpar. cum ſucco Citri, Cinamom.an.ʒ.ij.rad.Tormentillæ, Carlinæ, Vincetoxici,Morſus diaboli, Valerianæ mai. Dictamni albi, ſeminum, Acetoſæ, Citri vel Limonum aut Arantiorum,Cardui bened. fol.Lauri,Cardui ben. Croci,Cornu cerui vſti an.ʒ.j.Piperis longi,Maceris, Opij an. ʒ. ß. fiat puluis, cui adde Nucum nucleorum,Ficuum pulpæ an.℥.ß.Sacchari ℥.ij. Mellis deſpumati cum Vino ℥. xij. fiat electuarium inſtar theriacæ.

Vel: ℞.pulueris prædicti Antidoti ʒ.ij.Sacchari cocti cum aqua Cardui ben.℥.iiij.fiant tabulæ.

Vinum præſeruatiuum: ℞. rad. Tormentillæ, Pimpinel.an.℥.j. rad. Imperat, Angelicæ, Valerianæ an. ℥. ij. fol. Verbenæ, Cardui ben. Abſynthij an.ʒ.j. gr. Iuniperi ℥.j. cort. Citri ℥. ß. infundantur in Vini albi menſ.j.ß.

Aqua præſeruatiua: ℞. rad. Angelicæ, Imper. Zedoar.gran.Iuniperi,fol.Rutæ an.ʒ.ij.rad. Angel. ſylu.Pimpinellæ,Phu. mai. Aſclepiadis,bacc. Lauri an. ʒ.j. Cinam. ʒ.iij. Piperis longi ʒ.ß. Croci ℈.ß. puluerizatis affunde Aquæ vitæ rectificatæ, vt in pultem redigatur, ſtent in infuſione in loco calido aliquandiu, poſtea eliciatur aqua: De qua capiant cochleare vnum, per ſe, vel cum ſyrupo acetoſ. Citri.

Ad curationem aqua: ℞. rad. Angel. Imper. Zedoariæ,ſemin.Angelicæ, gran. Iuniperi an. ʒ.ij.fol. Rutæ,Calendulæ, Verbenæ,Scabioſæ,Saluiæ ana ʒ.j.ß.rad.Enulæ,Lappæ mai.Tormentil.Pimpinel. Aſclep.Phu magni.Dictamni,Croci an.ʒ.j.inciſa & pulueriſata macerentur in Aqua vitæ, quæ tribus digitis ſupereminеat, ſtent in infuſione per dies octo, indies agitando, ſenſim poſtea à fæcibus ſepararetur.Detur ℥.j.cum ʒ.j.Theriaces miſta.

Alia aqua curatiua, quæ in hac & priore tertia peſte

peste tantoperè profuit: ℞.rad.Tormentillę, Lappæ mai.Pimpinel.Succisæ,Phu mai. an.℥.iiij.radic. Imper.Angel. Dictamni, Gentianæ, Serpentariæ an. ℥.j. Cœparũ mund.à cortice,Nucum viridium ana ℥. vj. fol.Scabiosæ, Verbenæ, Calendulæ cum floribus,Rutæ,Acetosæ,Cardui ben.an.M.ij.Camphoræ ʒ.j.ß. Aquæ vitæ ℥. j. Vini albi gener. mens. j.ß.Aceti ros.℥.ij. Mithridati ℥.j.destillentur. Dosis huius summa ℥.ij.existit.

Febris Hectica.

PVella generosa, annorum octodecim, febre continua putrida aliquandiu periculosæ laborarat: quâ cessante,in declinatione morbi,etsi nulla febris ampliùs vti priùs, apparerent indicia, ipsaque cibos iam non inuita assumeret, & circumire posset; vrinæq; laudatæ essent,tamen non reficiebatur, sed lassa & prostratis erat viribus; corpusq; emaciatum febre acutâ, non in integrum restituebatur, sed potiùs consumebatur ampliùs, & cùm scalam ascendens,vel alioquin se exercẽs vti & post cibum sumptum,statim incalescebat,corque arteriæq; circa iugulum; colli latera & hypochondria pulsabant: reliquo quoque tempore pulsus concitatior naturali, citus, sed paruus erat. Quibus indicijs hecticam febrem adesse, cordis temperamento à priore febre in calidius conuerso, deprehendi exposuique, & diuturnitatem periculumq; morbi,præsertim cùm tenella prioríque morbo attrita esset,prædixi.

Ab initio mox occurrendum; cùm si diutiùs perseueret; corpusque absumat; incurabilis sit, docui.

Et quia multis priùs vsa erat medicamẽtis, dum febre acuta laboraret,eaq; proin fastidiret,grauioribus & delicatioribus vti coactus fui.

Victus rationem ab initio talem institui; vt in dies ter, horâ scilicet decimâ matutinâ, tertiâ & septimâ pomeridianâ, cibus illi exhiberetur, duorum saltem vel trium generum pro vna mensa: de quibus tantum solùm, quantum ventriculus optimè ferre digerereq; posset, assumeret.

Hæc autem erant quæ concedebantur. Caro caponis non antiqui, gallinæ iunioris, vituli, hœdi, agni, percæ piscis & lucii iunioris; ritè præparata, nunc elixa, nunc assa: Oua elixa tremula: cancrorum fluuiatilium caudæ coctæ: Leuiter omnia salita, & vixdum, vel tenuissimè saltem, aromatibus condita. Martius panis, amygdalæ, pineæ excorticatæ & in aqua rosarum infusæ. Passulæ, pro secunda mensa. Et poma, pyra, pruna matura siccata, priùs cocta. Ex lacte amygdalino puls, cum butyro recenti parata. Panis ex farina tritici pura pistus, non salitus. Oryza in iure cocta.

Iusculis ex capone, additis caudis cancrorũ aliquibus, paratis, buglossum tenerum adhuc, & portulacæ folia incoquebantur.

Vinum in prandio & cœna bibebat tenue, album maturum, saccharo addito dulcoratum, & aquâ recenter destillatâ buglossæ & portulacæ dilutum.

Emulsionem seu lac ex Amygdalis dulcibus, additis Pineis, & seminibus aliquibus Cucurbitæ recentibus contusis, expressum ad ℥.iiij. dissoluti in eo Sacchari rof. tab. ʒ. ij. alternis matutinis tepidum ieiuna bibebat, in eoque ad septimanas vsq; quatuor perseuerabat. Neque enim lacte animalium vt vteretur, cùm pulmo non affectus aliter esset, aut ipsa tantoperè consumta, necessarium esse duxi.

Altero die, quo lac amygdalinum non bibebat, confectione sequenti vtebatur: ℞. conf. fl. Violarum,

rum, Bugl. vtr. Rosſ. Nenuph. Scabioſæ an. ℥.j. cauliũ Lactucę, carnis Cucurb. & Citri ſaccharo conditarum, & ſiccat. vt ſolent, an. ʒ.vj. ſp. Diatra. Diamarg. frig. & Diapenid. an. ℥ j. ſyr. de Portul. rectè præp. ex ſucco, ℥.ij. miſc. Capiat ʒ.ij. pro vice.

Superbibendo ℥.ij. ſequentis Iulepi: ℞. ſyr. de Portul. & de Bugl. an. ℥.j. ß. iulep. Viol. ℥.ij. aq. Portul. Bugloſſ. & Limacum & Lumbricorum terreſtrium, an. ℥.iij. miſc. Vtatur.

Cordis regioni & pulſuum in vtroque carpo, ſequens ante ſomnum indies adhibitum fuit: ℞. ſuc. Portul. Buglo. Violariæ, Lactuc. ſimul expreſſ. an. ℥.j. ſuc. Scabioſ. ℥. ß. ol. Roſar. & Nenuph. ana ℥. iiij. coq. ad ſuccorum conſumptionem, addendo in fine ſucci Citri vel Limon. ℥. ß. adde mucil. ſ. Pſilij, factę cum aq. Roſ. ℥. ß. Cerę albę parùm permiſcendo: ſp. el. de Gemmis, Diamarg. fr. an. ʒ. ß. Coral. Cryſtalli ſubtiliſſ. pulu. an. ℈.j. fiat vnguentum, quo cordis regio & pulſuum inungatur: vel fiat ceratum. Et ſic applicetur.

Ne illuuies aliqua excremētorum congeſta, nouum morbum aut febrem efficeret, Mannæ ℥: j. cum iuſculo Cicer. rubr. addito Sacch. cando diſſolutam, ſeptimanatim bibit.

Et diebus tribus poſtea clyſter hic ſemper iniectus fuit: ℞. iuris Gallinæ, in quo flores Cord. quatuor, & Portul. recens decocta fuerint, lib. ß. Lactis caprini quartarium j. diſſ. Mannæ ℥. j. Butyri rec. ℥. j. ß. Vitel. oui j. miſc. fiat clyſter.

Peracto menſis ſpatio, cùm nō in deterius morbus vergeret, nec conſumeretur: iuſſi denuò per dies quatuordecim curam continuare.

Quo tempore abſoluto, cùm vegeta eſſet, nec ſiti præternaturali premeretur, inſeſſione in balneo humido, eam menſis ſpatio, cùm æſtas tunc eſſet, vti, vtile futurum dixi. Quod ſic parabatur:

℞. Aq. pluu. vel fluu. si ea destitueretur, q. s. in qua decoq. Maluam, Buglosſ. vtr. Portul. Violariam, fl. item Chamom. Sedeat indies ante cœnam horis duabus in eo tepidè.

Post balneum spina dorsi ol. Amyg. dul. & Violarum inuncta fuit.

His peractis, cùm benè haberet, recteque colorata & habita esset, discessit. Verùm Anno 1594. reuersa sub hyemem, nescio quomodo se absens gubernarit, in febrem, quæ tunc grassabatur, perniciosam incidit, menseq; Nouembri exspirauit.

Febris Hectica cum Tertiana duplici & Atrophia.

VIde in Consumptione Lib. III. Atrophia, tensiones hypochondriorum &c.

Hecticæ metus post peripneumoniam.

VIde in Pectoris dolore. Lib. II. Peripneumonia, melancholia, hecticæ &c.

Febris Synochos, Catharrus, Tußis, Lateris dolor.

QVidam varijs & multis negotijs iam senex inuolutus, diutiùs in aëre frigido, & ventoso moram trahens, 5. Martij, Anno 1597. horrore correptus & tussiculâ, nihilominus sequenti die prodijt: vnde defatigatus & lassus, denuo horrore correptus, in febrem incidit, moxq; de punctionis dolore, in latere dextro conquerebatur: quem tamen tantùm tussiens sentiebat, sed admodùm grauem. Spumosa primùm exscreabat, decubitus in latus sanum vel dorsum facilis illi, in ægrum verò latus molestus,

molestus, & quem ferre dolorib. & tussi tunc concitatis, non poterat: erectusq; sedere cogebatur.

Defluxionem à febre synocha commotam, à capite in thoricis inter costales musculos decubuisse iudicaui, falsamque esse pleuritidem. Verùm quia sequenti die subflaua nonnihil quædam exspuere, sed pauca atque admodùm difficulter cœpit, partem humoris in pulmones quoque decubuisse, & crudam peripneumoniam adesse quoque dixi.

Altero die, cùm primùm incepisset catarrhus, & coryza quoque adesset, iussi noctu cucupham gestare, sic paratam: ℞. rad. Ireos ℥. ß. Angel. ʒ. ij. Maior. Rosrubr. an. ʒ. j. ſ. Coriand. ʒ. j. ſ. Nigell. ℈. ß. Storac. cal. Benzoin. an. ʒ. j. misc. fiat puluis. Pedes item noctu lauare decoctione Saluiæ & Chamom. in Lixiu. sacculũ item ex Furfure, Milio & fl. Cham. cum Vino lateri applicare.

Tertio manè illum inuisens, pulsus febrilis, vrina admodùm tincta, ipseque valdè debilis & prostratus vti ex sua natura quoque imbecilliore constitutione præditus: & quia rugitus aderat ventris, dedi Mannæ ℥. j. in iusculo dissol. & semel, sed copiosè deiecit.

Iussi decoctum ex Passul. maioribus enucl. loco potus bibere, illique frequenter hunc syrupum permiscere: ℞. syrup. de Iuiub. de Violis an. ℥. j. iulep. Viol. ℥. ij. Oxym. simpl. ℥. ß. misc. Venam, quia sanguinem non spuebat, febrisq; non adeò magna fuit, non aperui.

Quarto, latus dolens hoc vng. inungebat: ℞. ol. Chamom. Amygd. d. an. ℥. ß. ol. Irini ʒ. ij. vng. Resumpt. ℥. ß. misc. Et quia vehementer debilis erat, iulepum hunc dedi: ℞. iulep. Viol. ℥. ij. Oxysacch. simpl. ℥. j. aq. Cinamom. ℥. ß. manus Christi ʒ. ij. misc. Item pulsibus hoc epithema applicatum fuit:

℞.aq.Rof.℥.iij.Bugl. Scab. an.℥.j. Aceti Rofar.℥.ß. fuc.Limon.ʒ.ij.ß.fiat epith.

Quinto, licèt rariùs, admodùm tamen difficulter & cum dolore tuſſiebat. Dedi illi: ℞. Dactyl. num.v.Iuiub.Sebeſt.an. p. x. rad. Liquir. ℥.j.ß.|Capill. ven. M.j.Sacch. q.ſ. coq. ad aliquam ſpiſſitudinem & continuò vtatur. Comedat hordeum mundum benè coctum, additis guttis tantùm aliquot aceti; & pruna damaſc. Item conſummatum caponis propinaui. Tabulis item vſus Diatra.& paratis ex ſucco Violarum.

Sexto, remiſerat febris: vrinæ tamen vehementer tinctæ. Et quia dolores punctorij in thorace & humero per vices acerbi aderant, & venter admodùm rugitum ederet: dedi iterum Mannæ ℥.j. cum iuſculo: atque octies deiecit ante prandium, ſed citra laborem, & nonnihil alleuatus, ſumſit Orizam cum brodio coctam. Iuſſi pergere in vſu ſyrupi & inunctione pectoris. Nox quietior.

10. Martij, ſine febre, dolorque remiſerat punctorius, ſolaque reſtabat tuſſis. Continuabat ſyrupum & tabulas.

11. Tuſſis noctu moleſta fuit: conſtipatio aderat. Dedi ℥.j. Mannæ, tertiò cum iuſculo. Eclegma item hoc ordinaui: ℞.pulu.Diatrag.ʒ.j.Sacch.candi ʒ.ij.ſyr.de Liquir. q.ſ.fiat lohoc.

Senſim ad ſe redijt.

Febris Synocha, Eryſipelas cruris œdematoſum.

ARthriticam hanc mulierem vetulam, de qua alibi, quæ totum biennium decubuit, horror inuaſit menſe Decemb. An. 1596. ſubſequente calore febrili, cum delirio & virium proſtratione.

Altero die cruris dextri pars inferior rubebat, & nonnihil tumebat. Quare eryſipelas œdematoſum,

totum à febre synocha exortum esse dixi. Iussi more solito, cùm ægrè remedia erysipelati admoueri concedant, veteri linteo, intincto in Croco, in aq. Rос. priùs infuso, crus inuoluere. Remisit mox & febris & tumor.

Post octiduum rediit febris, subsequente vtriusque cruris erysipelate, maiori adhuc cum tumore, illis quoq; sensim remittentibus.

Tertia vice denuò inuasit febris, & crus sinistrum (quod cum arthritide laboraret, semper magis altero afficiebatur) tantùm tunc erysipelate corripiebatur. Quod tamen mirum in modum totum, vnâ cum pedis superficie, intumuit, & circa inferiora pedis vehementer inflammatum erat, cum intenso ardoris & punctionis dolore: Ita vt necessitate adacta, topicorum vsum tandem sponte efflagitaret.

Iussi itaq; illinere locum rubentem hoc linimento: ℞. suc. Solani, Plantag. an. ℥.j. ol. Viol. Ros. ana ℥.ij. Aceti ros. ℥.ß. coqu. ad succor. consumpt. add. vng. Popul. & de Cerus. an. ℥.ß. Camph. ℈.j. Ceræ albæ parùm, fiat Linim. Illinat crus vbi rubet, & postea inuoluat corio Canino.

Mitigabatur dolor & rubedo: sed post biduum vehementer iterum recruduit malum. Itaque quia spissius adhærebat priùs vnguentum, aliud præscripsi: ℞. suc. Solani, Plantag. an. ℥.ij. Aceti ros. ℥.j. Lariceæ dis. in vitello oui, q. s. Album. oui num. j. ol. Ros. Viol. de Nenuph. an. ℥.j. agit. probè; Et illinat locum affectum.

Interea bibit Cereuisiam loco vini, atque interdum de hoc Iulepo sumsit: ℞. iulep. Viol. Rosar. an. ℥.j.ß. suc. Limon. ℥.ij. misc.

Quarto die, aperta sponte vena in imo cruris, vbi tumor maximè protuberabat, maxima copia sanguinis & saniei effluxit: idq; aliquot diebus se-

quentibus, etiam in alijs vicinis locis tanto fluore, vt ab vniuerso corpore materiam per hanc viam expurgari cernere esset. Pedis tumor sensim subsedit, & continuato vnguento inflámatio cessauit.

Pruritus admodùm illi molestus erat. Et cùm ex frictione vnguium recidiua metueretur, nec tamen sibi temperare posset: ad eum mitigandum, iussi in Vino permiscere Camphorá, coctam donec dissolu. in pauca quantitate aquæ Vitæ, & parùm Alum, & Litharg. permiscere, atque eo madefacere sæpè crus. Vnde minui cœpit pruritus, & locus vnguibus scalptus siccari.

Post aliquot dies, dolor ex frictione subortus est in illo crure nouus. Nam sentiebat in profundo, non ardentes in superficie dolores, sed lancinantes: sicuti priùs, dum arthritide laborabat, senserat circa genu.

Et cùm sponte iussisset illinere crus totum postremo linimento, statim ea nocte dolor, qui per biduum durauerat, remisit.

Febris Synocha, Ecthymata seu Morbilli.

PVer sexennis, regnante anno nonagesimo sexto, inter infantes febre synochâ malignâ, ecthymata protrudere solitâ 6. Februarij, horrore præeũte, calore præternaturali correptus, decumbebat. Accersitus, pulsum febrilem pleniũ & citum deprehendi: facies oculiq; rubebant, prostratus iacebat, nec de dolore aliquo conquerebatur.

Suspicatus febrem eam, quæ tunc infantibus consueta erat, esse, eam prædixi. Moxq; antequam ecthymata erumperent, vt purgaretur, sequens medicamentum propinaui: ℞. syr. Rosar. sol. cum inf. Rhab. syr. de flor. Persic. an. ℥. ß. Diagryd. gr. ij. bene permixta sumat per se, vel cum iusculo. Vnde aliquoties fœda excrementa deiecit.

In hy-

In hypocaustum vbi decumbebat, ne aër frigidus intromitteretur, fenestras clausas retineri, & ianuæ velamen rubrum obtendi, iussi. Cibum cum respueret, ne inuito nimium iuscula obtruderent, monui.

Altero die, cùm iam hinc inde pustulas, sed paucas adhuc, & rubras, nec dum eleuatas, in facie, pectore & brachijs apparere obseruarem illeque decoctum sumere, vti & dulcia, fastidiret; aquam hanc propinaui: ℞. aq. Portul. & Fumar. an. ℥.j. aq. Scabios. ℥.ß. Bibat & sub vesperam eundem potum repetat, additis suc. Limon. ʒ.ij.

Tertio, quarto & quinto die, pustulæ magnâ frequentiâ prodibant, atque vniuersum corpus replebant.

Iussi vt Ficus, Passulas, cum granis aliquot Hordei & Lentium in aqua decoquerent, hocq; decoctum clarificatum potus loco continuò, ad sitim sedandam biberet frigidum. Verùm cùm mox fastidiret, syrupo de Ribes addito, acetositatem illi conciliaui, & tunc magis placuit.

Sumsit quoque de sequenti syrupo cochl. j. frequenter, & hoc & sequentibus diebus: ℞. Oxysacch. simpl. syr. Acetos. simpl. de Limon. an. ℥.j.ß. misc. Vtatur.

Sexto die admodùm erat debilis, ecthymataque latescentia adeò palpebras & nares oppleuerant, vt oculos aperire minimè, nihilque penitùs videre, nec aerem per nares attrahere posset, oreque aperto respirare cogeretur. Quo incommodo alios aliquos infantes excœcatos vidi; & puellæ cuidam nares, cùm sanitati restitueretur, penitùs coaluisse.

Cùm aluus non responderet, clyster talis iniectus fuit: ℞. Maluæ, Mercur. fol. Acetos. recent. an. M.j. fl. Cord. p.j. Lent. Hord. Cicer. rubr. an. P.j. fiat

decoct.in iure gallinæ: disl.in col.q.s.Tryph.persic, ℥. ß. Diasen.ʒ.ij. Mellis viol.℥.j. ol.Viol.Amygd.an. ℥. j.fiat clyster. Deiecit subnigram & tenacem materiam.

Decoctum priùs cùm nollet ampliùs bibere,iussi rasuram Cornu cerui atque Vnicornu, quod ipsi habebant, & cui multum tribuunt, in aqua decoquere,& sic ea vti.

Et quia conuulsio metuebatur, aqu. Pæon. ℥.j. porrexi, & nucham oleo Amygd.dulc. etsi & hæc pustulis occupata esset,inungere iussi.

Septimo die, cum extremè prostratis esset viribus, cordiale hoc exhibui: ℞. sp. Cordial. elect.de Gemmis an. ʒ.ß.aq. Pæon. Scab.an.℥.j. colentur aliquoties: Bibat.

Easdem species Cord.ad ʒ.j. cum f. Citri & Acetos.an.ʒ.ß. Coral.pulu.ʒ.ij. in nodulo ligata, iusculis incoquere mandaui.

Cordis regioni,etsi quoq; pustulis scateret,Theriac.ʒ.ij.cum pulu.rad.Pæon.& sp.Diam.an.ʒ.j.permixtam,addito succo Citri,adhibui.

Sub vesperam,cùm eum iam animam agere existimarent,& ad preces confluerent; pulsus tamen, quem ægrè propter copiam pustularum explorare poteram,responderet: bono animo esse iussi, nihil adesse periculi. Quod & euentus, cùm statim ad se rediret,meliusq; postea haberet, sensimq; se recolligeret, comprobauit.

Nam postea sponte biliosa & nigra, pessimeque olentia, octauo die per aluum reddidit excrementa.

Nec solùm iuscula, verùm & cibum solidiorem sensim admisit, atque etiam expetiuit: quibus,& egregiè reficientibus successiuè vsus est.

Cœperuntq; pustulæ, partim sponte suppuratæ; partim quia illas vnguibus prurientes scindebat,

bat, apertę fluere, cruſtaq́; nigrâ obduci. Vnde tam horrendus totius ipſius corporis erat aſpectus, vt nullâ ſcabie, nec leprâ ipsâ infectos, miſeriores & turpiores viderim, quam hunc puerum, qui priùs pulcherrimus erat; aliamq́; nobilem puellulam, & fœminam quandam iuuenem, eo ipſo anno ſimili modo laborantes, defœdatasq́;.

Conualuit tamẽ mox, relictis ſolis in facie paruis, certis duntaxat in locis foueis, variolarũ veſtigijs.

Febris Tertiana intermittens, Icterus.

MVlier, quæ iam ſecundo pepererat, poſtquam ablactaſſet infantem Anno 1567. febriles paroxyſmos tertianæ paſſa leues; illis ceſſantibus, ſenſim flaueſcere, in oculis primùm, mox & in facie, collo, reliquoq́; corpore cępit, vrina penitùs crocea. Nec alioquin decumbebat, & ſaltem de vehementi alui conſtipatione querebatur; cùm per plures ſæpè dies nihil deiiceret. Compreſſiones tamẽ circa præcordia quoq; aliquas ſentiebat.

Bilis ad inteſtina, naturalem, per porum cholidochum, expurgationem impeditam eſſe, facilè coniicere potui: proin nec inteſtinis irritatis aluum moueri, ſed eam ſerò dilutam per venas, vnà cum ſanguine in vniuerſum corpus diffundi: illiusq́ue cauſam, obſtructiones circa viſcera horumq́; vias exiſtere.

Quas vt ſoluerem, cum ſuſpicio eſſet illam concepiſſe, leuioribus id primùm tentare aggreſſus ſum. Vino, quod ſic parabatur: ℞. rad. Aperit: ana ℥.ij. Cichor. ℥. ß. Abſynth. ʒ.iij. fol. Sennæ ℥.j. ſ. Aniſ. Fœnic. an. ʒ.j. conquaſſ. pro Vini infuſione: Vtatur per triduum loco præparationis. Verùm illius vſu aluus minimè mota fuit.

Quarto die hoc exhibui purgans: ℞. Rhabarb. el. ʒ.j. Agar. ʒ.ß. Spicæ ℈.j. infund. in Vino Absynth. Expressionem bibat. Nec hoc medicamento aluus respondit.

Vt clysterẽ sumeret suadebam. Verùm cùm illa omnino recusaret, videremque iam diu illam nihil deiecisse, nec facilè moueri, præsertim cùm adhuc de cõceptu dubitaret, fortius hoc exhibui medicamentum: ℞. rad. Cichor. ℥.j.ß. Fœnic. ℥.j. cort. Samb. ʒ.vj. fol. Sennæ ℥.ß. s. Anis. ʒ.ij. s. Petrosel. ʒ.j. Cusc. ʒ.ß. fiat decoct. infund. Rhab. el. ℈.iiij. Agar. troch. ʒ.j. fiat express. dissol. el. de Suc. ros. ʒ.j.ß. fiat potio. Hac sumptâ deiecit, sed parùm.

Et quia tunc, quod aluus responderat, contenta erat, per dies aliquot non iterum ad me misit; licèt ab eo tempore nunquam deiecisset.

Quo casu tandem impulsa consilio meo pilul. Agregat. ʒ.j. sumsit: quę aluum quoque soluerunt, nulla tamen insigni factâ euacuatione.

Et quia non grauius afficiebatur, vsum remediorum negligens, in febrem incidit. Dedi itaque: ℞. syr. de Endiuia s. de Cichorea, duplic. Rhabarb. an. ℥.j.ß. de radicibus ℥.j. aquæ Endiu. Cichorij, Bugl. an. ℥.iij. fiat Iulep. Bibat tribus vicibus.

Cessauit febris: sed tota erat ictérica, aluusque penitùs constipata. Persuasi itaq; vt Vino sequenti alternis vteretur diebus: ℞. radic. Aperit. ana ℥.ß. cort. rad. Samb. ʒ.vj. rad. Asari ʒ.ij. Absynt. ʒ.iij. sum. Centaur. ʒ.ij. fl. Cord. an. ʒ.j. sem. Fœnicul. Petrosel. Cusc. an. ʒ.j. fol. Sennæ ℥.iij. Turpet. ʒ.iij. Agar. ʒ.ß. Zing. ʒ.ß. Tartari Vini albi, limat. Chalybis in nodulo ligatæ ana ℥.ß. infund. in Viuo: coq. in duplici vase parùm. Et vtatur. Deiecit egregiè huius Vini vsu: in quo aliquamdiu permansit, sensimque flauities minui cœpit, vrinæque ad naturalem colorem redire, aluusq; respondere.

Postea

Poſtea quoque, vt viſcera ſimul roborarentur, obſtructionesque ſoluerentur, elect. hoc præſcripſi: ℞. conſ. fl. Cichor. fl. Bugl. Capill. vener. an. ℥. j. puluv. Pellic. ſtom. & inteſt. gallin. ʒ. j. Troch. de Eupat. ℈. j. limat. Chalyb. prępar. ʒ. ij. cum ſyr. de Bugl. fiat elect. Capiat alternis diebus, ſuperbib. parum Vini diluti aqua Endiu.

Sic reſtituta fuit. Et licet grauida tandem eſſe deprehenderetur, nihil horum vſu mali paſſa eſt, ſed filium mox ſanum & benè habitum peperit.

Febris Tertiana, Colicus & Nephriticus dolor.

POſt febrem tertianam, iuuenis quidam vigeſimum annum ſuperans, in colicum morbum, non ſine ſuſpicione ilei morbi, incidit. Adeoque doloribus torquebatur, vt hinc inde per lectum ſe volutaret, & ſurſum deorſumque ferretur, nec loco aliquo diutiùs poſſet quieſcere. Aluus obſtructa omnino erat, è qua neque flatus prodibat. Bilioſam colicam eſſe, quæ adeò frequens eſt in noſtris regionibus, à paucis deſcripta, tum ex oculis ictericis, tum vrinâ tinctâ, tum inprimis ex prægreſſa febre tertiana, quæ aliquamdiu illum afflixerat, & cuius indicia adhuc altero die ſe aliqua manifeſtabant, cognouimus. Cùm in febribus hoc ſæpe eueniat, vt febrilis cauſa, in venis meſaraicis contenta, nec dum per paroxyſmos febriles penitùs abſumpta, ad inteſtinorum fibras deriuata, tales caſus producat; febrisque tunc ceſſet, aut mitior euadat. Sicuti & in ſynochis febribus, ſanguine inflammato è venis excuſſo, placidiorem quidem febrem fieri, ſed grauiorem morbum, inflammationem ſcilicet, ſubſequi, alibi oſtendimus. Verùm & dolorem nephriticum aliquem colico coniunctum

esse, dolor fixus in lumbis, arenularum mictus, torsiones ventris, innuere videbantur.

Vigesimo sexto itaque Iunij, Anno 1596. dolore vrgente summo, statim sequens bibit: ℞. ol. Amyg. dulc. rec. ℥.ij. ß. syr. de Papau. Vini maluat. an. ℥. ß. misce.

Inde clyster iniectus fuit: ℞. Lactis ℔.j. diss. suc. Betæ, Mercurial. Mellis an. ℥. j. ß. Lariceæ diss. in vitellis Ovor. duobus, ʒ.ij. ol. Anet. Chamom. an. ℥.j. fiat Clyster.

Fotus abdominis regioni fuit adhibitus: ℞. rad. Alth. Lil. Petrosel. an. ℥.j. ß. herb. Pariet. Maluæ, Beton. Puleg. an. M.j. fl. Chamom. Melil. Samb. an. P.j. sem. Lini, Fœnogr. an ℥.j. sem. Carui ʒ.iij. coq. in Aqua & Vino, infund. in vesicam bubulam, eaq; semiplena calens loco dolenti applicetur.

Meliùs post horum vsum habebat. Sed dolores mox, cùm à fomentatione cessaretur, redibant. Ob quam causam clyster sequenti die repetitus: qui, vti & prior, copiosam materiã biliosam educebat. Sub noctem narcoticum cõsuetum meum illi cum bono successu exhibui.

Tertio die bibit Lariceæ ʒ. iij. diss. cum Vitello oui, Melle & Vino, adiecta syr. Rof. simp. ʒ. j. Post duas horas superbibit iusculũ, moxq; magnam in abdomine pulsationẽ sensit, de qua admodũ conquerebatur. Cœpit & animo nõnihil deficere, ita vt oculi illi obtenebrarẽtur, nec astantes ampliùs, nisi ex voce, posset discernere. Donec tãdem subiectus clyster, assumto pharmaco, commotisq; excremẽtis, & circa angustias hærentibus, viam patefaceret: vnde copiosissima bilis sequuta est excretio. A qua meliùs sensim habere cœpit, adeò vt fotũ, ne intestina nimiũm incalescerent, relinqueret.

Nondum tamen penitùs cessante malo, sequenti die, qui quartus erat, clyster talis iniectus fuit: ℞. rad.

rad. Alth. Lil. an. ℥.ij. rad. Apij ℥.j. herb. Maluæ, Viol, Atripl. Parietar, Beton. an. M.j. fl. Chamom. Melil. Samb. an. P.j. sem. Lini, Fœnogr. an. ℥.j. Carui ʒ.iij. fol. Senę ʒ.ij. Furf. P.j. fiat decoct. in Lacte, & in ℔. j. disl. Mellis ℥.ij. suc. Betæ ℥.j.ß. Bened. lax. ℥.ß. ol. Chamom. Viol. an. ℥.j. Salis parùm, fiat Clyst.

Semicupium quoque paratum fuit, si dolores non cessarent, vt in eo sederet. Verùm cùm remitterēt, illud neglectum fuit, Clysterque quinto die iterum repetitus.

Sexto die, qui primus erat Iulij, etsi iam sublati essent dolores colici & nephritici; tamen adeò circa articulorũ regionem & membra totius corporis, dolebat, ac si fustibus confractus esset, vti & in abdominis exterioribus: ita vt contactum vix ferre posset. Ob quam causam, & quia conuulsio metuebatur, quæ sæpe hosce colicos dolores sequi solet, spina dorsi oleo Chamom. & Amyg. dul. & Nardino inuncta fuit.

Et vt aluus responderet, quæ per se semper astricta erat, suppositorijs cautum fuit.

Hacq; ratione sensim ad pristinã sanitatẽ rediit: necdũ postea aliud quid mali passus est, nisi quòd febris quędam reliquiæ alternis diebus adhuc pullulabant. Quæ tamen alterantibus euacuantibusq; leuibus adhibitis mox sublatæ sunt.

Febris Lenta, Cachexia, Cordis & Arteriarum pulsatio.

PVella famula, annos viginti superans, cachectica iam longo tempore, de cardialgia, cordis & arteriarum palpitatione, & lassitudine omnium membrorum, conquerebatur; adeò vt iam seruire ampliùs minimè posset, sed domi cũ parentib. manere cogeretur. A quib. rogatus, cũ pulsum ipsius tangerem, febrilem esse deprehendi, citissi-

mum nimirùm, ſed paruũ: etſi vrina cruda eſſet,& non alioquin caleret, niſi ex leui exercitio, aut poſt cibum ſumptum. Sicuti in obſtructionibus viſcerum, eiuſmodi lentæ febres eas nonnunquam diu comitari ſolent, & cũ cachexia, vti in libro febrium dictum eſt, copulari.

Itaque obſtructionibus potiùs ſoluendis intentus, quàm febri, ſic eam reſtitui. Sumpſit 9. Aprilis pil. Aggreg. ʒ.ß. cum ſuc. Ireos formatas. Quarum vſu deiecit, ſed admodum commota fuit, vt torſiones & laſsitudines vehementer ſentiret.

Poſtea Iulepum hunc duobus matutinis exhibui: ℞. ſyr. de Duabus rad. de Endiu. an. ℥.j.ß. ſyr. Capill. ven. ℥.j. aq. Cichor. & Abſynt. an. ℥.ij.ß. miſce pro duabus vicibus.

Quarto die rurſum pill. Aggreg. ʒ.j. cum ſuc. Ireos formatas deglutiuit: meliuſque purgata fuit.

Poſt biduum vino aperiente & purgante vti cæpit, ſic parato: ℞. rad. Aperit. an. ʒ.iij. rad. Cichor. ℥.ß. fol. Abſynt. ʒ.iij. ſumm. Centaur. ʒ.ij. ſem. Aniſi ʒ.j.ß. ſem. Petroſ. ʒ.j. Limat. Chalyb. præp. inſtar nucis moſc. fol. Senæ ℥.j.ß. Agar. ℥.ß. Zing. ʒ.j. conquaſſ. pro infuſ. in vino facta, coquendo parùm in duplici vaſe. Quod bibit aliquot vicibus, beneque purgata fuit, & meliùs habere cœpit.

Menſes duodecimo die poſtea leniter fluxerũt, ſed per diem vnum tantùm, quos priùs totum annum non viderat. Vnde valde recreata, de ſalute, de qua priùs diffidebat, ſperare cœpit.

Vt, ſi fieri poſſet, ampliùs fluerent, iuſsi ſtatim altero die exhibere ad naturam mouendam pilulas: ℞. Myrrhę ℈.j.ß. pill. Aggreg. ℈.ij. cum aqua Artemiſ. fiát pill. ſumat. Deiecit, ſed menſes non ampliùs fluxerunt.

Vrinam ad me denuò miſit 5. Maij, an ne præterea aliquibus vti deberet quærens: rectè enim ſe nunc

nunc valere dicebat. Quod intelligens, & vrinam laudatam, quæ priùs aquea penitùs cernebatur, videns; iussi eam tempus mensium exspectare, atque interea vinū in mensæ principio, in quo Absynth. & Melissa macerata essent, aliquando bibere: & si instante mensium tempore menses minùs decenter fluerent, pilulas postremas denuò sumere, venamque in pede aperire. Sicque restituta ex longo morbo, denuò ad familiam, cui famulata fuerat, reuersa est.

Febris cum cardialgia.

VIde in Cordis dolore Lib. 11. Cardialgia febris ex esu, &c.

Febris, Conuulsio, Ischiadicus dolor, Vrina suppressa & Varices in puerpera.

PVerpera quædam quę sæpius priùs pepererat, octauo post puerperium die, qui 26. erat Decembris, An. 1592. circa meridiem horrore correpta, in conuulsiones incidit. Vbi ad eam vocatus, accesi, iam ad se redierat, attonita tamen adhuc, nec dum satis res cognoscens, interea febrilis calor summus ex pulsu deprehendebatur.

Præscripsi ei: ℞. semin. Pæoniæ ʒ.j. contund. & cum Iulepi Rosacei & aquæ Pæoniæ an. ℥.j. fiat emulsio: quam statim bibat.

Dein: ℞. Iulepi Rosacei ℥.j. ß. aquæ Pæoniæ ℥.j. aquæ Cinamoni cum Aqua destill. ℥. ß. misce: Capiat duabus vicibus manè.

Tertio die, eadem ferè horâ vt priùs paroxysmus rediit, & conuulsiones statim quoque superuenerunt, quibus cessantibus, & calore aucto, iussi

cum Aqua cocta miscere syrupum Violac. & de Limonibus, sicque loco potus bibere.

Et vt vteretur hoc electuario: ℞. conf. florum Pæoniæ, Buglosl. Violar. Maioran. Rosarum an. ℥. ß. seminis Pæoniæ excort. ʒ.j. rob. de Ribes ʒ.ij. cū syrupo Violac. fiat instar electuarij. Capiat manè superbibendo Iulepum cum aqua Pæoniæ.

Iterum tertio die, qui primus erat Ianuar. eodem tempore diei, redijt paroxysmus, cum conuulsionibus, cum magna virium prostratione & vitæ periculo: Reiterati fuerunt Iulepi: spina & ceruix inuncta oleo Amygd. dul.

Cùm dubium, an quartana esset febris, quia duobus diebus quiescebat, ipsaque melancholicis cogitationib. mirè diuexaretur, expectauimus quid tertio die subsequuturum esset. Verùm magna facta est mutatio, febrisque calore aliquo leuia tantùm inditia eius præbebat, sed dolor immensus circa coxam, in inguine dextro obortus est, cuius causâ sub vesperam dedi hunc Iulepum: ℞. syrupi Violac. iulepi Rosacei an. ℥. ß. syrupi de Papau. ʒ.ij. aquæ Buglossi ℥.j. aquæ Cinamomi ʒ.j. misce.

Quiete dormiuit, parùm sudauit, verùm sub vesperam dolor redijt, vrinaque penitùs fuit suppressa. Itaque iussi locum affectum inungere aquæ Vitæ ℥.ij. in qua dissoluta fuerit per coctionem Camphoræ ʒ. j. vnde dolor mitigatus, sed pruriebat & calebat pars vncta.

Dein ad mictionem prouocandam quæ mirè angebat, bibit iusculum, quod: ℞. Cicerum P.j. radic. Asparagi, Petroselin. an. ℥.j. seminis Melonū ℥. ß. coquantur, addito butyro: Bibat. Sub vesperam minxit copiosè vrinam, in qua copiosa fœculenta alba tenax purulenta inerat materia.

Sequenti die 8. Ianuarij, dedi illi Mannæ ℥.j. ß. cum iure dissol. vnde copiosè deiecit & minxit.

Sed

Sed dolor circa coxam recrudescebat, metusque erat conuulsionum, itaq; haustum hunc dedi qui ℞. syrupi de Limon. ℥. ß. de Papau. ʒ. ij. aq. Rosarum aq. Pæoniæ an. ℥. ß. aq. Cinamom. ʒ. j. misce. Item extrinsecus applicet, ℞. aq. Saluiæ ℥. ij. aq. Vitæ ℥. j. ß. Camphor. ʒ. ß. Opij ʒ. ß. Pro applicatione cū pannis ad locum affectum.

Dolor iam à coxa ad crus vniuersum extendebatur, varicesque erumpebant, in femoris crassiore sede externa, qui adeò dolebant, vt ne contactum quidem vel leuem ferre posset, vnde materiā sanguineam melancholicam & tetram, quæ priùs febrem, conuulsionem & melancholiam illi pepererat, doloremque circa maiores venas in inguinibus, eousque subsedisse conijciebam.

Et quia ex dolore cardialgiam tantam sentiebat, vt ferè animo deficeret, mortemque sibi imminere putaret, cum consumeretur, lacque pro infantis nutritione deficeret, iussi ventriculi regionem oleo Nucis mosch. inungere. Item: ℞. Iulepi Ros. ℥. j. ß. cum aq. Cinamom. ℥. ß. misce & frequenter exhibeatur, & simul iuscula efficacia offerantur, cætera omnia ferè respuebat.

Varicibus appositum fuit, hoc ceratum: ℞. vnguenti populeon. ℥. ij. mucilag. sem. Psylij, Lini, Fœnogr. an. ℥. j. ß. ol. Chamo. farin. Fabarum an. ℥. ij. Ceræ q. s. fiat Ceratum. Verùm cùm contactum ægrè ferret, non diu retinuit.

Volui itaque deriuationis causâ, vt venam in pede affecto aperiret, sed renuebat, vt erat morosa & delicata. Itaque iussi Cucurbitulas ternas suris cum flamma adhibere, postquā pedes in decocto florum Chamom. Saluiæ in Lixiuio & Vino facto aliquandiu retinuisset. Quo pacto magnum leuamen sensit. Ob quam causam crastino die, item tertio repetitum fuit, vnde dolor tandem ita remisit,

vt ſenſim ſedere, mox ſtare tandem & ambulare, diu tamen claudicans, poſſet.

Accedebat hiſce malis adhuc vrgentibus, alterum quòd eam penè peſſundarat, Vrinæ ſuppreſſio omnimoda, ad dies vſque quatuor. Dedi ab initio has pilulas: ℞. Tereb. ℥. j. incorporetur pulu. Liquirit. & ſaccharo Cando, addendo ſem. Alkekengi ʒ. ß. Diagrydij gr. 4. Deiecit copiosè adeò, vt debilitaretur, ſed ſemel tantùm minxit, vrinæ media pars in fundum ſubſidens, purulenta tenax videbatur.

Iterum ceſſante mictione dedi hanc potionem: ℞. ſemin. Naſturtij ʒ. ß. aq. Parietar. ℥. j. iulep. Viol. ℥. ß. Bibat. Et repetat decoctum Cicerum, quibus factis, immenſam denuò copiam vrinæ craſſæ, vti prius, minxit, nec poſtea aliquid detrimenti vrinam reddendo ſenſit. Atque ita per menſis ſpacium, producto morbo, ſenſim ad ſe redijt, ſanataque eſt.

IN CAPITIS DOLORE Obſeruationes.

Cephalalgia.

MAtrona quædam quadragenaria, quotannis ferè Synocha febre, eryſipelas in facie protrudente (Carfunckell dicto) infeſtabatur. Menſe Februario, An. 1598. capitis dolorem immenſum patiebatur, in vertice & iuxta occiput, ad ceruicem vſque deſinentẽ, qui contactu minimè exacerbabatur, ſed motu tãtum capitis: ob quam cauſam lecto proſtrata, immoto capite iacebat, punctioneſque intolerabiles ſentiebat, quæ tamen nonnunquam remittebant, aliquando ita inualeſcebant, vt etiam ob dolorem animo delinqueret.

Tertio

Tertio à prima inuasione vocatus, 22. Febr. die, præter iam dicta accidentia, in pulsu celeritatem, & in vrinis rubedinem deprehendi, non tamen sitiebat. Quia verò calebat admodùm, & interdum post somnum quædam præter rationem loquebatur, delirium veritus, venam brachij aperire iussi; sanguinem postea inspiciens, admodùm impurum animaduerti. Vinum prohibui, illiusque loco Aquam coctam præscripsi, Extrema fricare iussi.

Quarto die manè potiunculam hanc exhibui: ℞. Mannæ ℥.j. syr. Rosf. fol. cum Rhabarb. ℥.ß. Cum iusculo sumat, Circa meridiem, deliquium animi passa, postea bis deiecit.

Quinto die Cucurbitulas applicuit vitreas quatuor, scapulis vtrinque, manè, repetiitque vesperi: quo tempore meliùs habebat, sed sub noctem recruduit dolor, inquietaq; nox est secuta. Et quia dolor circa nucham magis vrgebat, materiam eò descendisse suspicans, præsertim cùm tumerent glandulæ sub aure sinistra, iussi Lanam succidam ol. Liliorum inunctam, cum panno Cannabeo collo obuoluere.

Sexto die non remittente dolore, Cucurbitulas repetere iussi, adhibitâ simul scarificatione. Circa meridiem pessimè habebat, animo delinquebat, parùm delirabat, quòd eclipsi, quæ tunc erat, acceptum ferebant: sub noctem cùm dolor non remitteret capitis, nec vnquam adeò eam molestasset, iussi vt pedes in decocto Saluiæ, Chamomil. facto in Lixiuio & Vino, immergeret, vnde mox se alleuatam nonnihil referebat.

Dein tempore somni hanc potionem dedi: ℞. aquarum Lactuc. ℥.j. aq. Beton. ℥. ß. syr. de Papau. ʒ. iij. syr. de acetos. Cini ℥. ß. Collo applicui sacculum: ℞. Furfur. P. ij. sem. Papau. alb. ʒ.j. ß. Rosf. rub. ʒ.j. Mastiches ʒ. iij. rad. Galang. ʒ.j. conquassentur, vinoq;

irrorétur & applicentur. Placidè dormiuit, dolorq; mitigatus eſt.

Septimo die 26. meliùs habuit. Admodùm tamen proſtratis erat viribus. Dedi igitur conſeruam Roſ. & Maioranæ. Continuauit pedum lotionem bis in die, vti & octauo die. Et quia capitis punctionibus ceſſantibus, adhuc grauedo ei erat moleſta; Cucupham ex prædicto puluere pro ſacculo, ſumere iuſsi, illiq; ſeminis Coriandri, & rad. Ireos an. ℥.ij. pulu. permiſcere, ſicque geſtare.

Decimo, defluxio decubuerat in ſcapulas, axillas, pectus, citra tamen magnum dolorem, ſed moleſtiam inde circa has partes ſentiebat. Iterum præſcripſi: ℞. Mannæ ſyr. Roſ. ſol. cum Rhabarb. an. ℥.j. Bibat cum iuſculo: Sic conualuit.

Cephalalgia cum faciei rubore.

VIde in Diſcoloratione Lib. III. Faciei rubedo & liuiditas, &c.

Cephalalgia in Febribus.

IN Continua. Vide in Febribus Lib. II. Febris continua putrida.
In Ardente ibidem. Febris ardens ſeu cauſus.
In Maligna ibidem. Febris continua maligna.

Capitis dolor, cum Menſtruo fluxu immodico.

VIde in Sanguinea excretione Lib. III. Menſtruus fluxus immodicus & dolor, &c.

Capitis dolor cum Lumbricis.

VIde in Animalium excretione Lib. III. Lumbricorum deiectio, capitis dolor.

Capitis grauedo & fluctuatio in eo, metusq; Apoplexiæ.

NObilis quidam strenuus & robustus, lautè viuens & intemperanter, de Capitis grauedine conquerebatur, Apoplexiamque ne superueniret admodum metuebat; vtque eam præueniret, huc consilij causâ, An. 1597. venit. Narrabat iam diu se in capite pondus aliquod sentire, & veluti fluctuationem, sensumque aliquem, atq; si caput magnū, & cauum esset, & se nonnunquam aperiret, rursumque marsupij alicuius instar, constringeret. Remittere interdum malum, aliâs exacerbari: per cætera benè se habere, nisi quòd totus esset melancholicus, & ad omnia munia obeunda segnis & tardus.

A pituitæ & serosi humoris copia, intrà caluariam collecta, hæc prouenire, de multis circumstantijs interrogans, deprehendi & iudicaui. Vndè eiusmodi fluctuationes; quas vertigines nominant, quoq; prouenire, sicuti in praxi mea descripsi, docui.

Iussi autem benè illum sperare, nec apoplexiam timere, cùm eâ sit adhuc ætate, quâ curari possit.

Cùm itaque se in omnibus obtemperaturum pollicitus esset, statim curam aggressi sumus, & 1. Martij hoc Minoratiuum propinauimus: ℞. Diaphœn. ʒ. ij. Diacathol. ℥. ß. syr. Rof. sol. ℥. j. aq. Cinamom. parùm, fiat potio. Deiecit aliquoties.

Sequenti die Vena aperta fuit brachij: erat enim corpore quadrato, & plethoricus.

Diebus sequentibus hoc Apozemate vsus est: ℞. rad. Fœnic. ℥. j. Ireos ℥. ß. Acori veri, Cyperi, Enulæ an. ʒ. ij. Glycyrrhiyæ ʒ. vj. herb. Fænic. Verbenæ, Euphrasiæ, Betonicæ, Fumariæ an. M. j. Thymi, Hyssopi an. M. j. ß. fl. Stœch. Anthos, Bor-

rag. an P. j. seminum Fœnic. ʒ. ij. ſ. Carui, Aniſi, Seſe. leos, Sileris mont. Rutæ an. ʒ. j. Paſſul. pa. x. Senæ ℥. ij. Polypod. ſem. Carthami an. ℥. j. fiat decoctio, & in Colat. infunde Agar. troch. ℥. ß. Turbith. ʒ. ij. Rhab. ʒ. j. ß. Cinam. ʒ. ij. Spicæ ʒ. j. fiat expreſſ. adde Sacch. q. ſ. arom. Cinam. fiat Apozema. Bibit quatuor vicibus, & ſingulis admodùm deiecit.

Interea & Cucurbitulas in vtroque latere ternas, in collo & ſcapulis, cum flamma, matutino tempore appoſuit, tribus vicibus, & quartâ ſcarificationem ſimul adhibuit, vt hæ naturam quoque vnà cum purgantibus, ad reuulſionem materiei, à capite, ſollicitarent & adiuuarent.

Abſolutis hiſce ſic purgatus fuit: ℞. rad. Ireos ℥. ß. rad. Glycyrrhizæ ℥. j. herb. Saluiæ, Maioranæ an. M. j. fl. Lauand. Anthos an. P. j. Paſſul. enucl. ℥. j. Senæ ℥. j. ſem. Aniſi ʒ. j. ſem. Carth. ʒ. ij. fiat decoctio, diſſolue in colaturæ tab. Diacarth. ʒ. j. ſyr. Roſ. ſol. ℥. j. fiat potio, adde parùm aquæ Cinamomi; Egregiè rurſum purgatus fuit, atque leuamen in capite ſentire incepit.

Errhinum deinceps aliquandiu è manibus naribus attraxit: ℞. ſuccorum Maioranæ, rad. Betæ, fol. Anagallidis an. ℥. ß. pul. rad. Pyrethri ʒ. j. Vini albi ʒ. ij. miſce.

Tabulas de nuce Moſchata ʒ. j. ß. quantitate, matutinis aliquibus ſumpſit: & aquas Maioranæ & Menthæ, Vino permixtas, ſuperbibit.

Prandio finito puluere hoc quoque vſus: ℞. ſeminum ſaccharo ſemi coopertorum, Coriandri ℥. j. Aniſi ℥. ß. Fœnic. ʒ. ij. Carui, Cubeb: condit. an. ʒ. j. fol. Maioranæ, fl. Roſ. rub. an. ʒ. j. ß. Cinam. ʒ. ij. Maceris ʒ. ß. ſp. Diacyton. ſine ſpeciebus ʒ. j. Sacchari ad pondus omnium, fiat puluis, poſt paſtum vſurpandus.

Cucupham noctu capiti impoſuit ſequentem: ℞. rad.

℞. rad. Ireos, Angelicæ an. ʒ.ij. Acori veri, Cyperi an.ʒ.j.fol.Maior.Rosmar.fl.Rosf.Lauandulæ,an.ʒ.ß. Nucis mosc. Garyoph.an. ʒ.j.ſ. Coriand. præp.ʒ.j. ß.ſ.Nigellæ ʒ.ß.fiat puluis. Pro Cucupha.

Meliùs horum vsu se habuit. Verùm cùm adhuc grauedo hęc interdum se manifestaret, denuò corpus purgandum censui: quod sequenti modo factum est: ℞. rad. Ireos ℥. ß. Liquiritiæ ℥.j. Saluiæ, Maioranæ an.M.j.fl.Lauand.Anthos,an.P.j.Passul. enucl.℥.j. fol. Senæ ʒ.vj. ſ. Anisi ʒ. j. Carthami ʒ.ij. fiat decoctio, dissolue in col. el. de succo Ros.Diaphœn.an.ʒ.j.ß. syr. Rosſ.sol.℥.j.fiat potio non valde spissa, addendo parùm aq. Cinam.

Et vt meliùs excuteretur illuuies illa è cerebro, sternutamentum hoc naribus inditum: ℞. Pyrethri ℈.j.Maior.ʒ. ß. fiat puluis: Insuffletur in nares.

Cùm iam omnia salua essent, discedenti, vt electuario hoc alternis dieb. manè vteretur consuluimus: ℞.conseruarum Maioranæ,fl.Stæchados an. ℥.j. ß.fl.Betonicæ ℥.ß.Rosſ.℥.j.Anthos ʒ.vj. cort Citri conditi, Zingib.cõditi an.℥. ß. pulu.Rosſ.nouellæ, pliris Arcot. an.ʒ.ß. Cinam. ʒ.ij. cum syr. de Beton.fiat elect.

Vt per vices purgaretur, aliud sic præscriptum fuit: ℞.Cathol.℥.j.Diaphęn.el.de succo Rosſ.an.℥.ß. pulpæ Tamarind. ʒ.vj.syr.Rosſ.sol.cum infus.Rhab. ℥.j. ß. adde Diagrydij cum syrupo dilig. permixti ℈.j.fiat instar elect.

Interea vt laudatâ victus ratione vteretur, decẽter se exerceret, imperatum. Et vt in balneo sicco hebdomadatim ieiunus sumpto Rob de sambuco priùs, sudaret. Atque in balneo caput lixiuio hoc ablueret: ℞.rad.Ireos ℥.j. ß. Cyperi, Agarici an.℥.ß. herb.Maior.Saluiæ, Spicæ celt.an.M.j.fl.Rosmarini P.j.ſ. Nigellæ ʒ.ij.Coriand.ʒ.iij.rad. Caryophyll. ℥.j.rad.Ang.Azari an.ʒ.ij.cõquasẽtur: Pro lixiuio.

Cephalæa, cum crustis in capite erumpentibus, & Alui constipatione.

MVlieri cuidam multorum liberorum matri hoc iam à multis annis fuit consuetum, vt nunquam per aluum excrementa redderet, nisi medicamento vteretur purgáte, ex folijs Senæ vel aliis parato, quæ & facilè ferebat.

Tandem illi, post capitis dolores quos aliquandiu perpessa est, in capitis pilosa sede superiore, ichor subflauus exsudare cœpit, qui cutem illic depascebatur, & crustas subluteas post se relinquebat.

Hoc autem cum deforme esset, ipsa integro anno & diutiùs occultauerat, multis lixiuijs siccantilum vsa, tandem sanauit, sed ita vt postea diuturno & graui capitis perseuerante dolore, vexaretur, atque vti aiebat, enecaretur.

Postea Anno 1592. affectu mihi aperto, suasi vt fluxus huius materiei in capite rursum reuocaretur.

Tentaui illud primum, Rubificante remedio hoc modo: ℞. se. Sinapis par. ij. Fimi columbi: part. ß. fl. Rosmarini, fol. Maior. an. ʒ. j. misceantur. Applicentur capiti, instar emplastri, non derasis capillis, quia nolebat concedere.

Verùm etsi ruberet caput, & arderet, tamen non fluebat materia, & cùm dolor ingrauesceret, Vesicatorium ex Flammula contusa, in medio capitis apposui, quod vesicam latam fecit, è qua rupta, apertaque Butyro cum fol. Brassicæ retenta, maxima humoris effluxit copia, subitoque capitis dolor inde cessauit, nec de eo ad hunc vsq; diem conquesta est ampliùs, quod sciam.

Cepha-

Cephalæa seu Capitis dolor inueteratus, cum Vterino dolore.

CONquerebatur de vterinis & capitis doloribus matrona quædam, cui tempus menstrui fluxus iam præterierat, sentire se dicēs, circa imam ventris & lumborũ regionem dolores certo tempore, cum imbecillitate totius corporis, accedebat periodicus capitis dolor, circa occiput potissimũm. Cephalæa nimirum antiqua.

Post multorum remediorum vsum, consului etiam, vt externis adhibitis emplastris, quæ continuò gestaret, vteretur, an fortè in morbo hoc diuturno & pertinaci, emendationem aliquam experiretur, quòd & illi maximè placebat, nam defatigata erat, tot remediorum vsu.

Cæterùm vt corpus priùs purgaretur, Vinum eiusmodi diebus quatuor, vel quinq; vti biberet, imperaui: ℞. rad. Fenic. Ireos, Acori veri seu Calami aromat. an. ℥. ß. cort. Tamaric. ʒ. vj. herb. Arthem. Matric. Betoni, Pulegij an. M. j. fl. Bugloss. Borrag. Hyperi. Genistæ an. P. j. baccarum Lauri ʒ. iij. sem. Cartham. ℥. ij. fol. Senæ ℥. j. Agari, trochisc. ℥. ß. Mechoac. ʒ. iij. Rhab. elect. ʒ. ij. Spicæ ʒ. j. infundantur in ℔. vj. Vini albi, & post macerentur, in duplici vase. Vtatur.

Dein Tabulas seq. præscripsi: ℞. sp. Diamarg. calid. ʒ j. sp. Aro. rosſ. & Diagalangæ an. ʒ. ß. Coralli ℈. ij. sp. Cordialium ℈. j. sacchari dissol. in aq. Matricariæ ℥. vj. fiant Tabulæ; Capiat vnam pond. ʒ. j. alternis diebus.

Postremò vt Emplastrum sequens aliquot noctib. in pubis regione, aliquot dein, in lumborum regione, gestaret: ℞. emplastri pro Matrice, q. s. malaxetur oleo Nardino, extendatur supra alutam: gestetur.

Pro Cephalæa illa antiqua, emplaſtrum ſeq. raſo capiti Pileoli inſtar, in verticis regione tota, & occipitij appoſitum, continuò geſtabat, parabatur illud ex vna parte emplaſtri de Ranis (quod mirè efficax, in cephalæa ſananda) & media parte emplaſtri de Betonica, & de Alabaſtro.

Præter hæc Lixiuio ſeq. ad diſcuſsionem materiei caput aliquoties lauit, moxq; iterum pannis Thure, Succino, Benzoino, ſuffumigatis abſterſit. ℞. Lixiuij ex cineribus quercus & oſsibus combuſtis ℔. quatuor aq. Fabrorum extinction. ferri ℥. iiij. decoq. fol. Beton. Saluiæ, Spicæ celticæ an. M. j. ſl. Roſ. rub. Roſm. Chamom. an. P. j. Agarici ℥. ß. ſe. Nigellæ ʒ. j. Pro Lixiuio.

Poſtea fumus ex Maſtiche, Thure, Succino, Benzoino æquis partibus, fiat.

Sicque melius habuit, viuitq; adhuc, vti puto hodierna die.

Cephalæa in lue Venerea.

VIde in Defœdatione. Lib. III. Puſtulæ & cephalæa, &c.

Hemicrania.

QVidã mediæ ætatis, pilis nigris, natura melancholicus, Anno 1584. appropinquante hyeme, nonnunquam ſecundâ vel tertiâ noctis, interdum quintâ vel ſextâ matutinâ horâ, capitis dolorem, in latere præſertim dextro, patiebatur, qui eum à ſomno excitans, per horas tres aut quatuor exercebat: perſeuerãte hoc dolore, & ſic per interualla ad ſeptimanas quinq; vſq; redeunte. Qui tamen poſt quã purgationib. vſus fuiſſet (nõ interim ſectâ venâ) ſenſim tunc remiſit. Verùm ſequenti An. 1585. verſus hyemem, eodem modo affligi cœpit, durauitq; hic capitis dextri dolor, donec à me vti & præcedenti anno curaretur.

Anno

Anno verò 1586. circa initium Nouemb. denuò Hemicrania hæc dextri lateris eum inuasit, longeque quàm priùs grauiùs, cui etiam Dentium affecti lateris accessit dolor; quibus duobus doloribus concurrentibus, miserè afflictus, & si varia adhiberet remedia, minimè tamen dolor minuebatur, sed augebatur. Consilio Medicorum, cum pilulis vsus esset capitalibus, adeò inualuit malum vt penè ad insaniam redigeretur, imprimisq; dolor à vertice capitis ad tempora vergens, tantus erat, vt eum qui in dentibus sentiebatur, (etsi & ille immensus esset) obscuraret. Diuersionis causâ pedum vsus est lotionib. capiti multa applicata fuêre anodyna; electuaria varia & pulueres ad capitis roborationem sumpsit: & cùm vigilijs molestaretur, vsus est potione somnifera, item ob imbecillitatem vires restaurantibus. Verùm perseuerante nihilominus, etsi quandoque nonnihil remitteret, malo, cùm latus capitis dextrum semper illi frigere existimaret, eoque nomine si stupham ingrederetur, hoc modo capite incalescente, egregieque sudante optimè secum actum iri existimans, hoc Medicis proposuit, quibus consentientibus, balneo sicco, per triduum vsus, admodumque in eo sudans, meliùs habere cœpit, dolorque sensim remittere, adeò vt in publicum denuò prodiret.

Verùm mox recidiuam passus, dolorem nunquam adeò violentum se passum fuisse conquestus fuit, illisq; præsertim capitis dextri lateris sedibus, vbi ossa nuda ex carnia que prominebant, veluti in verticis sede, franci vti aiebat nnmismatis amplitudine, in frontis ossis angulo, in osse iugali, à mala ad aurê vsq; in maxilla inferiore, præcipuè illic vbi iuxta collum prominet quib. locis adeò excruciabatur vt difficulter, nec sine aliqua molestia altiùs loquentes audire posset, & miserè se excrucians, in

quietus erat, ac quocunque caput inclinaret, requietem nullam inuenieba, totoq; corpore tremebat, sæpeque lachrymabatur, adeò vt etiam astantibus lachrymas commiseratione excuteret.

Tandem consilij causâ ad me ventum est; accedens eum, iussi Lixiuiũ more consueto per cineres aquam transfundendo, parari, in eoque Saluiam, Rosmarinum, Maioranam, Rutam, Melissam, flores Chamomillæ Sambuci, Rosarum rub. baccas Lauri & semen Anethi decoqui, Viniq́ue cyathum ad mensuram illius addere, spongiaq́ue in eo madefactâ, parumq́ue expressâ, quam calidè perferre posset, capitis dextri sedem fouere, spongiaq; sensim à superioribus deorsum ducere, quod cùm indies bis antequam cibum sumeret fecisset, cœpit summus ille cruciatus nonnihil mitescere.

Verùm cùm dolor non penitùs remitteret, interdumq́ue recrudesceret, suasi vt emplastrum de Vigo corio rubro extensum, & agglutinatum, vniuersi sedi doléti dextræ capitis, à vertice rasâ priùs, ad maxillam vsque inferiorem apponeret, agglutinatumq́ue retineret, quod cum horis duabus ante cœnam factitatum esset, sedenti in cœnâ, in capite sensus talis obortus est, ac si ex vase aliquo plures aquæ guttæ in subiecta vasa plura stillatim caderent, sonum edentes, quem non solùm ipse percipiebat, sed & propiùs astantes audiebant. Qui strepitus in capite per noctes binas diemq; vnum perseuerans, vnâ nocte cùm obdormiret, adeò inualuit, & cũ fragore intonuit, vt è somno excitatus, perterrefactusq;, domum concidisse, tabulatumq; in eum decidisse, exclamaret, seque sub lectum abderet. Quo strepitu denuò cessante, in male osse iugali, sub oculo ad aures vsque dolor, ac si vermes hanc sedem exederent corroderentq́ue, subortus est, qui & ad dies aliquot noctesq; perseuerauit.

Ob

Ob quá causam, fotu priori denuò vti cœpit, detracto priùs Emplastro, quod vbi cuti adhæserat, semper madidum ferè, ac veluti aquæ guttis conspersum inuentum fuit: rursumq; post fotum illud adhibebat, diesq; & noctes gestabat, donec indies remittente dolore, tandem ille penitùs euanuit, pristinæque valetudini æger restitutus est, quâ adhuc integrâ fruitur, nisi quod gelu ingruente doloris indicia quædam sentit, vti & si studijs curisq; caput nimiùm fatiget.

Hemicrania sinistri lateris 15 annos durans, cum Strepitu circa tempora & aurem sinistram.

MVlier quædam, ciuis vrbis S. Dietoldi in Lotharingia, octauâ à partu nocte, cœpit intensissimum sentire dolorem, in capitis sinistra parte, à fronte versus aurem sinistram, vermi illic repenti & omnia perforanti similem: nonnunquam etiã in aurem ipsam, strepitus hic quem & adstantes (vt retulit) percipiebant, sese ingerebat. Imaginabatur sibi à venefica vermem inter dormiendum, in aurem sinistram fuisse immissum, maximè cùm nullum vnquã, ex cuiusuis generis remediorum legitimo vsu, fructum percepisset: & licet pars Caluariæ, vbi maximè dolebat, trepano aperta fuisset, nihilominus tamen postmodum paulò altiùs, similis dolor eam infestabat. Ideò cauterio potẽtiali, cute ablatâ, iuxta futuram ossis petrosi, carne nouaculâ remotâ, secunda vice fuit caluaria perforatâ, remanente semper petinacissimo illo dolore, qui illam adeò continuò quindecim annos excruciauit (quamuis interim bis peperisset) vt nec dormire, nec nisi coactè comedere quicquam valeret, ac totum tempus lachrymas profundendo, & seipsam miseris cogitationibus affligendo, vt & pro semi-

fatua haberetur, cõſumeret: ſicuti & ipſe illam miſeram omnia ſic narrantem, S. Dietoldi, à Cardinali Lotharingico Baſileam rediens, Anno 1601. menſ. April. vidi, & ei remedia præſcripſi. Tandem Maio Anni 1604. enixa fœtum maſculum, ſtatim ab omni illa moleſtia, ſine vllo medicamento fuit liberata, ſicuti maritus Baſileæ 14. Iulij 1604. teſtatus eſt.

Hemicrania cum Dentium dolore.

VIde in Dentium dolore Lib. 11. Dentium dolor. Hemicrania.

Hemicrania cum Ophthalmia.

VIde in Oculorum dolore Lib. 11. Oculi inflammatio cum palpebræ &c.

IN OCVLORVM DOLORE Obſeruationes.

Oculi dolor & Palpebrarum inflammatio, cum Pupillæ obfuſcatione & Hemicrania.



Apitaneus quidam Solodoti ex largo potu vini, vt exiſtimabat, in ſemilatere capitis dextro, vehementer dolere cœpit, qui dolor circa meridiem exacerbabatur, ſub noctem mitior erat, aliquando penitùs remittebat. Acceſsit oculi dextri intenſus quoque dolor, rubedo totum oculi album occupans, turgidis venis, ac ſi rubrâ carnosâ pelliculâ intectum eſſet, ſicuti & palpebra vtraque intus foriſq́; pupillaque obfuſcata, adeò vt licet ſplendorem videret, tamen res diſcernere nequiret, durauerat iam affectus hic per ſex ſeptimanas.

Voca-

Vocatus ad ipsum 9. mensis Septembr. Anno 1597. primùm Cytoniati mei purgantis ℥.j. exhibui, bisq; deiecit.

Cauterium nuchæ imposui, verùm cùm ob vetustatem nihil operaretur, sub vesperam Vesicatorium ex Flammula contusa adhibui, vnde vesicæ, subortæ, manè sequenti apertæ, serum citrinum effundebant. Imposuiq; folium Brassicæ cum Butyro, sæpiusq; reiterare iussi.

Oculo, collyrium ex corticibus Granatorum, hoc modo applicaui: Imponebatur gutta vna aut altera in oculi canthum maiorem capite inclinato, clausisq; postea palpebris, spongiolâ in huius collirij modico admixtâ mucilagine, seminis Fœnogreci, madefactâ parumque expressâ, Bisq; vel ter in die fuit renouatum.

Emplastrum pro Ruptura in dextro temporum ad glutinatum gestabat.

Sequenti die elect. Diapomorum meo denuò purgatus fuit.

Discedens, eum sic pergere iussi, & post quinq; dies, vt hypochyma discuteretur, carnem Vitulinam, vel pulmonis Agni partem oculo imponere, & ex Penna nouiter nata columbæ sanguinis guttas in oculum imprimere.

Electuario cerebrum corroboráte hoc est vsus: ℞. cond. Acori, conser. Maior. Anthos, Lauandulæ, Rosarum, fl. Saluiæ an. æq. pref. Vtatur.

Post aliquot dies, cùm nondum penitùs cessaret rubedo, hoc collyrio vsus est: ℞. troch. alborum Rhasis ʒ.ij. aq. Ros. ℥.viij. aq. Fragorum cum lacte caprin. thure & camphora destillatæ ℥.j. aq. Fœniculi ℥.ß misc.

Cauterium Chirurgo, vt illius nuchæ apponeret, tùm visionis recuperandæ in illo oculo, tùm defluxionis arcendæ causâ, dedi; quod & benè

ſucceſsit, illudque diu apertum retinuit. Oculo à tumore & rubore liberato; cùm tamen de viſionis obſcuritate, ob maculam albam in pupilla natam, conquereretur, ſplendoremq; tamen aliquem cerneret, res verò minimè dijudicare poſſet, Aquam ex Fellibus, Therebintinâ, Melle, Sulphure, Vino deſtillatam, vt oculo inderet, iuſſi. Sicque omnia in meliùs ceſſerunt.

Oculorum ardor, rubor, tumor Palpebrarum & Lachrymæ.

MOnachus quidam, æſtate illa feruida Anno 1612. cœpit laborare oculi tam dextri quàm ſiniſtri dolore, rubebant admodùm & tumebant palpebræ non nihil, aderat quin etiam pruritus, ardor, atque lachrymarum calidarum continuus effluxus. Cùm negligeret, & leuioribus ſaltem ex vulgi conſilio vteretur, acceſſit viſionis defectus aliquis, non abſimilis fumo, oculis obiecto, qui prohibebat quo minùs res rectè diſcernere poſſet; tuncq; conſilij causâ ad me venit, circa finem Iulij; admodùm tunc feruente caniculâ.

Expoſui illi affectum eſſe Ophtalmiam falſam; monuiq; ſtatim, ne ſe ampliùs Solis feruori exponeret, aut iter faceret, à Vino ſibi temperaret, cui alioquin erat deditus, cæteraque quæ obeſſe poſſent; expoſui.

Præſcripſi ſequens decoctum, pro vtriuſq; oculi fotu: ℞. cort. Granat. contuſ. ℥.ß. decoquatur in aqua calicum Roſarum, & coletur, adde Chalcanti albi, Augſtein, tantum quantum oculi ferre poſſent, citra morſum (nigreſcit inde decoctum, atramenti inſtar, ſed valdè fit efficax.) De hoc decocto ſumat aliquantum, adde oui Albumen bene conquaſſatum, & parùm Lactis, madefiat petiæ panni

lintei

tintei nõ asperi, applicētur noctu; clausis palpebris, oculis, sicq; donec exiccentur, dùm dormit, sinat; inde rursum madefaciat, apponatq; & interdiu in altero oculo gestet, apertumque quo ad visionem vtitur, sæpè madefaciat hoc liquore.

Cucurbitulas per biduum applicare iussi collo, scapulis, tertioq; die simul scarificationẽ adhibere.

Emplastrum pro ruptura ad defluxionem cohibendam, temporibus quadrantis thaleri Imperialis magnitudine, vt ad glutinaret, suasi.

Quibus cùm per octiduum fuisset vsus, alter oculus sanatus est, alter vero adhuc rubebat. Sequenti postea hoc vsus collyrio: ℞. aquæ Rosarum Peculi Rosf. Plantag. an. q. s. lap. Hæmat. partem j. conteratur, & cũ aqua dicta succus inde attritionẽ illi mistus affundatur. Hacque vtatur aquâ pro fotu cum Album. oui, agitatâ.

Vesicatorium ex Flammula contusâ nuchæ apposuit, vnde vesicæ natæ disruptæ, plurimùm humoris reddiderunt, sicq; conualuit.

Oculorum dolor, rubedo, & Lachrymæ.

PHarmacopœi cuiusdam famulus, in vtroque oculo vehementem rubedinem passus est, cum dolore, & fluxu copioso calidaru m lachrymarum; quæ cùm diu durassent, ipseq; iam pilulas sumpsisset, & sacrificatione vsus esset.

Emplastrum pro temporibus ordinaui: ℞. boli Arm. ℥.ij. Mastiches ʒ. ß. sanguinis draconis ʒ. j. pul. Gallarum ʒ. ß. excipiantur oui Album. & Aceto: Applicetur vtrinq; temporibus.

Collyrio hoc vtatur: ℞. cort. Granat ℥. ß. coquatur in aqua Peculi rosf. & Plantag. in colatur. ℥. iiij. dissolu. lap. Hæmat. ʒ. ij. tamdiu, donec succus, redatur, abiectâ residentiâ, adde Vitreoli albi ℈. j. Camphoræ ℈. ß. misce cum inf. gummi Tragach.

facta in aqua Rosſ. Applicetur ſupra oculum.

Curatus fuit, ſed poſt tempus denuò recidiuam paſſus hoc Collyrio ſanatus iterum fuit: ℞. mucilag. ſ. Lini, Fœnogr. an. ℥. ß. aq. Plantag. Solani ana ℥. ij. Myrrhæ ʒ. ß. Sarcocollæ nutritæ in Lacte ʒ. ß. Ceruſæ, Tuthiæ an. ʒ. j. Anyli ℈. j. puluериſentur, vt alchool, miſceantur; Pro collyrio.

Oculorum tumor, rubedo, Pupilla obſcura & Lachrymæ.

AVrifaber quidam An. 1596. fluxum lachrymarum ex oculo ſiniſtro diu perſeuerantem, cum rubore oculi illius globi, & tumore ac obſcuritate pupillæ, patiebatur; Aliquando hæc ceſſabât, mox iterum reuertebantur, eratq; antiquus & confirmatus affectus. Tandẽ accerſitus, ord. Pilulas quas ſumpſit 3. Decemb. ℞. Pil. Aurear. Cocciar. an. ʒ. ß. cum aqua Fœnicul. fiant pilul. Deiecit admodùm, atq; ea ipſa die, lachrymę ceſſarunt & oculum aperire potuit.

Veſicatorium nuchæ 4. Sept. appoſui, ex Flammula ſcõtuſa; Veſicam latam fecit, appoſui fol. Braſſicæ cum Butyro; fluxit humor eâ apertâ.

Supra oculum affectum, iuſsi in temporum vno emplaſtrum pro Ruptura, ad inhibendũ influxum, continuò geſtare: Quod cum feciſſet ad 27. Dec. vſq;, ab omni rubore & lachrymis liber fuit.

Verùm cùm ſanata eſſet veſica, illæque minuta quædam ſculpens, in officina frigida, moram traheret, oculus denuò rubere cœpit. Ad arcẽdam itaque defluxionem ſequens ordinaui: ℞. cort. Granat. ʒ j. boli Arm. pinguis ʒ. ij. decoquantur in aqua Plantag. & peculi Roſ. & in ℥. iiij. colaturæ diſſ. lap. Hæmatitis ʒ. ij. diu agitando, vt penitùs diſſoluatur, adde Vitreoli albi ℈. j. Camphor. ℈. ß. miſceantur

tur diligenter, fiat collyrium; In quo paruam spongiolam madefaciat, & exprimat, atq; oculo clauso applicet: sæpè repetendo.

Cùm aliquoties vsus esset, vt meliùs operaretur, addidi: ℞. aquæ Plantag. Solani an. ℥. iij. Tuth. ʒ. ij. Mucilag. s. Psilij factæ cum aqua Ros. misce cum priori collyrio: Et vtatur.

Iterum sanatus, cùm metalla ad ignem funderet, calore & fumo in officina clausa, igneque carbonum calefactâ, in qua hyemis tempore laborabat, recidiuam passus, de cauterio monui, quod cùm non recusaret, illudq; in nucha potentiale illi adhibuissem, ab eo tempore, nihil ampliùs mali sensit, oculusque illæsus ad hoc vsque tempus permansit.

Oculi purulenti & Lachrymantes.

CVm consilium à me Anno 1569. vir præstans peteret. Sic illi respondi. Quod casum Domini huius attinet. Video illius oculos purulẽtam quandam materiam continuò exsudare, lachrymasq; facilè ex illis profluere, vnde pruritus in palpebris, & rubedo, sordesq; in cilijs apparent.

E quibus, caput ipsius multis aqueis serosisq; excrementis redundare, colligo, quę non per vias decentes, vti oportebat, expurgantur; sed palpebras oculorum infestãt, hancq; viam sibi familiarẽ fecerunt, cùm potiùs circa oculorum radices, humores hi ad fauces descendere deberent. Oculi alioquin globus illæsus, neq; affectus apparet.

Huic malo vt occurratur, neq; lippientes oculi continuò maneant, omnibus modis à sede illa defluxio erit auertenda.

Fiet hoc bonâ victus ratione moderatâ, nec varia, abstinendo ab ijs, quibus oculi irritantur, vt raphano, sinapi, cœpis. A splendore & luce magna,

fumo, capitis inclinatione & similibus, capite erectodorm iat.

Postea singulis hebdomadis ʒ j. pilularum Sine quibus appellatarum sumat, media nocte, ex quibus aquâ Euphrasiæ subactis, vij. formet pilulas.

Cucurbitulas siccas citra scarificationē, singulis mensibus semel applicet, sex numero, minores tres in vno latere, tres in altero, vnam in collo alteram in summo humero, tertiam in scapula.

Vesicatorium ex Ranunculo contuso, & supra nucham seu ceruicem collocato, adhibeat, indeq; vesicam genitam aperiat, Butyroque aliquandiu inungat, & cum sanare eam iterum vult, vnguento de Cerusa inungat.

Noctu cubitum iturus vtrinq; temporibus hoc emplastrum applicet, quod : ℞. boli. Arm. ʒ. ij. Mastiches ʒ. ß. Sanguinis Draconis ʒ.j. pul. Gallarum ʒ. ß. excipiantur oui Albumine & Aceto, fiant duo emplastra.

In Collyrio sequenti, duas spongiolas intingat, easq; noctu expressas, vtriq; oculo applicet, ligãdo cum fascia, aut retinẽdo cum cucupha, donec exiccentur, tunc enim etsi decidant, nihil obest, modo p duas horas, in oculis clausis prius hæserint. Paratur autem hoc modo efficacissimum: ℞. cort. Granat. ℥.j. coq. in aq. Rof. Plantag. & Solani an. ℥.iij. coletur, diss. Lap. Hæmat. ʒ. ij. agitetur donec rubeat totum collyrium, abiectâ deinde residentiâ, adde Myrrhæ ʒ. ß. Sarcocollæ nutritæ in lacte ℥.j. Cerusæ Tuthiæ an. ℥.j. Vitreoli albi, Amyli an. ℈.j. puluerisentur omnia vt alchool, misceantur cum collyrio. Item parẽtur mucilagines f. Lini & Fœnogræci, & quando vti vult collyrio, parùm harum mucilaginum collyrio permisceat, vel in harum penuria; Oui albumen.

Palpe-

Palpebrarum rubedo, Lachrymæ & Impreßio in albo oculi iuxta pupillam.

IN affectu nobilissimi Domini, oculos molestante illiusq; palpebras, eoq; diuturno hoc consiliũ dedi. Cum iam purgatus sit, suaderem nihilominus, vt per vices corpus sæpe purgaret, remedio hoc facili, sed oculis admodũm opportuno.

Sumendo Fumariã recentem, & Sennæ purgatę ãn. ℥. ß. decoquendo in sero Lactis, pro vno haustu sæpè repetẽdo; Quę duo visioni appropriata sunt.

Pilulæ quoque Sine quibus dictæ, idem possunt efficere, si ℨ. j. autumni & veris tempore, vel intermedio quoq; tempore sumatur.

Scarificationes singulis trimestribus factæ, in humeris proderunt.

Cucurbitularum quoq; sine scarificatione applicationes, singulis mensibus factæ.

Cauterium in ceruicis posteriore regione inustum plurimùm prodesset. Vel si illius loco vesicatorium ex contuso Ranunculo vel Flammula huic loco applicatis, fieret.

Victus ratio conueniens moderata, & imprimis in Vino temperantia, plurimùm conducet.

Per cætera vtatur tabulis de Nuce moscata interdum manè, aliquando noctu cubitum iturus; cœnâ diu prægressâ, alternis diebus.

Vnguento illinat palpebras: ℞. Omphacij ℥. j. succi Fœniculi ʒ. j. misce.

Lauet nonnunquã pedes decocto Saluiæ, Chamomil. Fœniculi, decoctis in Lixiuio.

Si vnguento aliquandiu vsus fuerit, & malit postea aquã vti: poterit sequenti aquâ noctu cubitum iturus, & manè humectare oculos, cum panno vel spongiola, quæ valdè erit vtilis.

Recipe aquæ peculi Rosar. Plantag. ana ℥. iij. aquæ Euphrasiæ ℥. ij. cort. Granat. ʒ. ij. Tuthiæ ℥. iij. lap. Hæmat. ʒ. j. decoquantur parùm & colentur: Pro vsu.

Aegylops seu tuberculum in oculi angulo, cum Inflammatione palpebrarum & faciei.

VIdua quædam nobilis, cùm diu purulentam & sanguineam materiam è nare sinistra reddidisset, quâ pannos multos comminacularat, tandem suppresso fluxu, dolor superuenit capitis lateris sinistri, & tuberculum cum dolore in angulo oculi interiore apparuit, durum, ex contactu dolens. Neglexit per aliquot dies, etsi ego vlcus subsecuturum, prædicerem. 14. Nouemb. Anno 1595. inflammatio cum tumore, in palpebris & malis subsecuta, cum summo dolore & rubore.

Applicui hoc cataplasma: ℞. pulpæ Pomorum dulc. ℥. vj. decoquantur in Lacte & pauca Aqua ros. addendo mucilaginis seminis Psilij & Fœnogræc. ana ℥. j. ol. Ros. ℥. ß. fiat Cataplas. Applicetur loco affecto. Oculus non apparebat, adeò omnia intumuerant. Vsa fuit per biduum, sed dolor perseuerabat, cum dolore capitis, tumor tamen parùm subsederat.

16. Nouemb. sumpsit pilulas: ℞. pilul. Sine quibus ℈. ij. cum aqua Fœniculi fiant pilulæ: Capiat media nocte. Sine molestia deiecit aliquoties. Sub vesperam iussi sex Cucurbitulas adhibere, vtrinq; tres, collo, & scapulis, sine scarificatione.

17. Nouembr. Manè vsa iterum cucurbitulis, sed cū scarificatione, & quia dolor magnus, aliud ordinaui Cataplasma: ℞. micæ Panis ℥. iij. farinæ Hordei,

Hordei, Fabarum, id discussionem an.℥.j. seminum Lini, Fœnograec. an.℥.ß. decoquantur in aqua Ros. Plantag. & Lacte, adde olei Rosacei Chamomel. ana ℥.ß. mucilag.s.Psilij & Fœnogræc. an.℥.j.ß.fiat Cataplasma.

18. Nouembr. Abscessu rupto in cantho maiore, iussi ponere supra vlcus Terebinth. Vitelli oui ana ʒ.j. fiat emplastrum.

19. Nouembris. Ne oculus læderetur vsu cataplasmatis continuo, & quia palpebræ detumuerant, iussi supra malam tantum cataplasma ponere.

20. Nouembr. Imposui turundam in vlcus, pus ex oculo, quo etiam ferebatur, purgaui, dolor, omnis cessarat, sed rubebat admodùm oculus, ideò iussi pannum intinctum in sequenti collyrio, supra oculum clausum ponere, noctu presertim: ℞. aquarum Ros. Fœniculi an.℥ j.ß. Tuthiæ præpar. ʒ j. lap. Hæmat.℥.ß. mucilag. s. Fœnogr. ʒ.j. cũ album. Oui misce, diu vsa est dicebat esse boni odoris.

22. Tuberculum durum adhuc apparebat, illic vbi suppurabatur, quare applicui hoc empla. ℞. Aloës hep. Mellis ana ʒ.j. Myrrhæ ʒ. ß. gummi Arab. ℈.j. Croci, Fellis ana ℈. ß. cum Terebinth. misce, factum ad abstersionem simul vlceris.

25. Rubedo in oculo minuebatur, sed pupilla obscura erat, addidi collyrio priori Sarcocollæ nutritæ in Lactæ ʒ.j. aquæ Euphrasię ℥.j. Iussi sequenti die Cucurbitulis vti.

Et quia aperto oculo, res inspiciens, Vertigine laborabet, ita vt cogeretur illum mox tegere, conijciens circa exortum nerui optici, etiam causam hærere defluxionis, ad diuertendam materiam varia tentaui. 27. primùm dedi Pilul. sine quibus ℈ ij.

28. Nouembr. Cauterium applicui in nucha, &

cum prima vice non satis operaretur, reiteraui. Et quia pus non ampliùs ex vlcere fluebat, iussi tantùm collyrio pro oculo vti.

Errhinum item hoc: ℞. succi Anagall. & rad. Betæ an. ʒ.ij. troch. Alhandal, Scammom. an. ℈.j. Mellis ʒ.j. fiat instar Linimenti: Vtatur cum penicillo in nares.

30. Nouembr. ad escharę casum, applicui Butyrum, & emplastrum ex Terebinth. & Vitello oui desuper, bis in die reiterando.

1. Decembr. de nubecula ante oculum conquerebatur, & quando res intuebatur, omnia circum agi putabat, sed tátùm ægro oculo sinistro, & stupebat mala illius loci, dicebat hoc iam diu sibi contigisse, in visione illius oculi & parte illa faciei. Vnde neruos affectos in ea regione cerebri iudicaui. Lachrymæ admodùm fluebant, & Catharrus superuenerat.

6. Decemb. Vt per nares defluxionem deriuarem quę omnino per maiorem oculi cáthum effluebat, iussi fibras rad. Hellebori in nares trudere & multùm promouit.

8. Decembr. Purgaui: ℞. syrup. Rosar. sol. cum infus. Sennæ & Agar. ℥ j. Cathol. ℥. ß. Diaphæ ʒ.j. fiat potio.

9. Decembr. Ord. Apozema pro v. vicibus tale, quale in vertigine pituitosa in praxi descripsi: ℞. Fœniculi ℥.j. &c.

11. Decembr. Escharam difficulter cedentem, resecui, & forpice extraxi, postea pilul. rad. Gentianæ imposui.

12. Decembr. Iterum intumuerat maxilla, Abscessui sub oculo, iussi iterũ applicare Cataplasma postremum, cuius portio adhuc aderat.

13. Decemb. Abscessus ruptus sub oculo, & alius in angulo oculi, applicui Cataplasma, priùs supra vlcus

vlcus ponendo emplastrum, quod ℞. Mellis &c.

23. Decembr. Tantum vtebatur emplastro, sine catapl. supra vlcuscula, quæ priùs multùm puris effuderant, nunc sanabantur. Ord. Puluerem tertium meum aromaticum, cap. de paralysi in mea praxi descriptum, vt manè per vices vteretur.

25. Decemb. Omnia sanata erant. Sed quia oculus rubebat, & adhuc purulenta materia cum lachrymis, continuò ex maiori oculi angulo fluebat, & noctu palpebræ conglutinarentur. Ord. ℞. cort. Granat. ʒ. vj. coquantur in aquis Peculi rosf. & Plantag. & Rosf. & in colaturæ ℥. iiij. dissl. lap. Hæmat. ʒ. ij. Vitreoli albi ℈. j. Camphor. ℈. ß. fiat collyrium: cùm eo vti vult permisceat, inf. f. Psilij factam cum aqua Rosar. quo collyrio in alijs vti soleo, sæpè magno cum successu. Huius vsu dixit se rectiùs etiam videre & oculum non adeò rubere, nullum dolorem sentiens toto tempore, statuit ita pergere.

Aegylops post inflammationem faciei.

VIde In superficiei corporis dolore. Lib. II. Inflammatio faciei in abscessum &c.

Fistula lachrymalis in oculi angulo, nec non Puris & Lachrymarum inde fluxus.

VIrgo quædam nobilis, ex ægylope fistulam lachrymalem contraxit, in maiori oculi angulo, osse illic vitiato, & purè continuò ex eo angulo fluente cum multis lachrymis. Frustra per anni spatium à Iudęo & Chirurgis afflicta & per diętam extenuata, tandem ad me deducta mens. Augusto. Anno 1593.

Purgaui eam primùm pilulis capitalib. ex Coc-

ciis & Aggregat: Postea applicui sex Cucurbitulas collo vtrinq; sine sectione, per biduum, tertio die cum scarificatione, more à me fieri solito.

Iniectione dein hac vsus sum: ℞. Lixiuii ℔.j.ß. Aceti rubr. rosl. Balaust. an. ℥.ß. Gallarum ℥.j. fol. Rutæ M. ß. decoquátur pro ablutione & iniectione, cum syringa in fistulam oculi anguli.

Postquam aliquoties vsa fuisset, semper portio illius in nares descendebat. Tandẽ portio ossis maxillæ superioris in oculi angulo ad nares cũ magna parte carnis putridæ fœtidissimę p nasum in palatũ erupit, quo factũ, nullum pus nec lachrymę ampliùs ex oculi sede effluxerunt, sed omnia per nasi amplitudinem in palatum deciderunt.

Dein vnguentum hoc immittebat in vlcus: ℞. Aloës, Thuris, Sarcocollę, Sãguinis draconis an. ʒ.j. Antimonii crudi, Plumbi vsti & loti, Tuthiæ, Lap. Hæmat. ana ʒ.ij. Balaust, Aristoloch. rot. ana ʒ.j.ß. Alumin. ʒ.ij. Æruginis æris ℈.j. puluerisl. subtilissè excipiantur Melle & Terebinth. fiat vnguentum.

Persistebat in vsu vnguenti & lixiuij, bisque in die chirurgus meo iussu administrabat.

Post dies aliquot applicui cauterium meum in nucha, quod sine dolore operatur, atq; eschara exemptâ, apertum retinui.

Dedi quoque potionem hanc pro v. dosibus: ℞. fol. Tanaceti, caulium rubr. Agrimoniæ, Filicis mai. Filipendulæ, Pimpinellæ Ceterach. ana M.j. fol. Myrthi M. ß. rad. Liquiritiæ ℥.j. Cicerum rubr. P.ij. fiat decoct. cape ℔.j. ß. addendo Sacchari q. s. pro quinque vicibus.

Purgaui denuò pilulis.

Incipiebat sanari vlcus, sed intrinsecus tunicà succinctum, metuens autem ne apertus maneret sinus, cauterij portiunculam intrusi, quod mirè vrebat, sed ilicò remittebat.

Postea

Postea ad carnem generandam hoc sarcotico sum vsus, quod ℞. Aristol. rot. rad. Ireos. cort. Thuris an. ℥. j. ß. Mastiches, Myrrhæ, Sarcocollæ, Aloës, Lap. Calaminaris an. ℥ j. Mellis q. s. fiat vnguentum.

Integrè sanata, ita vt tantum parua fouea illic citra incommodum, aciculæ capitis instar remaneret, formam tamen minimè defigurans. Anno 1612. ad me scripsit, cum esset Abbatissa facta & catharro laborasset, metuens ne recidiuam pateret, sed nihil subsecutum.

Oculo adhærens tumor, carneus niger diuturnus.

IN muliere vetula paupere, tumor in oculi sinistri latere iuxta pupillam, ante biennium exortus, cum immenso ardore & dolore oculi, adeò accreuit, vt medium ferè occuparet oculum, prominebatque ad auellanæ maioris magnitudinem, carnemque ex rubro nigricantem repræsentans, hypochymatis instar, adeò deformi colore, vt pauorem inspicientibus incuteret, & plerique oculi amissionem prædicerent; tandem verò suppuratione factâ, per dies 14. ater ex eo effluxit sanguis, remanente nihilominus carne illa ex atro rubente & nunc virescente. Ad me consilij gratiâ veniens, iussi vt Pomum putridum applicaret, exiguâ spem sanationis habens.

Verùm cùm nihil proficeretur, vehementer siccantibus & astringentibus, an quid effici posset, dixi vt sumeret cortices Granatorum, puluerizaretque adderetque folia Plantaginis recentia, eaq; simul in aqua fabrorum Ferrata decoqueret, addẽdo Albumen oui, simulque decoquendo, & sub finem puluerum Chalchanthi albi, ea quantitate, quam oculus perferre posset, hocque cataplasma

noctu oculo imponeret, illiusque vsum continuaret. Post duos menses reuersa, vidi tumorem mediâ ex parte absumptum, quapropter in huius applicationis vsu, pergendum esse, consului. Quod cùm adhuc mensib. duobus fecisset, tumor omnis præter omnem spem euanuit, remanente tantum maculâ quadam, variegato colore, qualis in gemma Iaspide cernitur, sed quæ in albo tantũ oculi erat, nec pupillam attingebat, vnde & visioni nullum adferebat detrimentum.

In oculo vesica casu nata.

IN horto meo, netrix mea deambulans, cùm fructum cucumeris asinini maturum decerpsisset, primo contactu, vti solent, dissiliente seu disrumpente, & humorem cum seminibus profundente, casu in oculum illius quoque prosilijt. Ex quo ardorem sentiens, oculumq; perfricans, vesica ampla phlyctenarum instar, totum oculi globum ambiens, nata est, pellucida, humoreq; plena, quæ tamen per noctem rursum subsedit, & euanuit.

IN AVRIVM DOLORE Obseruationes.

Aurium vlcus cum Tinnitu, difficiliq; Auditione.



IVuenis quidam viginti annos excedẽs, conquerebatur se iam triennium laborauisse difficultate auditus, in vtraque aure, & è dextra, manè, auriscalpio crustam, quæ in auditus camera nascebatur, eximenti sibi pus effluere, & nonnunquam vlcere irritato, sanguinem. Fœtere illud pus, adeò vt etiam ab aure expiratio illa, astantibus esset molesta. Idem in si-

nistra factum fuisse, nunc verò ex ea nullum pus effluere, sed sibilum restare, auditum impedientem, capitis grauedinem insuper se sentire, admodumque somnolentum esse, atque è naribus copiosam pituitam effluere.

Vsus erat multis purgationibus, per pilulas aliasque formas; Item cucurbitulis, scarificationibus. Auribus semel tantùm se indidisse succum cæparum, sed nihil profuisse, aiebat.

Præscripsi consilium, vt Aquam meam viridem supra vlcus applicaret, cum penicillo vel penna vel bombyce, non tamen nimis profundè inderet, ne ad tympanum perueniret, idque indies bis vel ter repeteret, si eroderet illa aqua, eum Vino & Vitello oui contemperaret.

Infundat in aurem illam vlceratam, Serum Lactis cum Saccharo cando, Melle, & Oxymel. squill. mistum, sinatq; iterum mox effluere.

Excipiat fumum illâ aure, ex puluere proiecto supra carbones, parato ex Resina pura, Colophonia, Thure, Mastiche & Succino.

In sinistram aurem, vbi sibilus, immittat guttas aliquot aquæ alterius destillatæ ex Fellibus pisciũ, quæ recipit, vt in *Praxi* mea eam descripsi. Hanc eandem vlcere curato in dextram aurem instillet, si grauis manserit auditio, sed permittat mox iterum effluere.

Bibat interea Vinum ex Capitalibus rad. herbis, additis purgantibus Sena an. ad v. mens. paratum, alternis diebus, diu continuando.

Electuarium capitale sumat alternatim, vno die electuar; altero Vinum. Hæc cerebrum purgant & roborant.

Applicet Cucurbitas in collo, sub auribus hebdomadatim. Si deficeret aqua viridis vtatur hoc vnguento: ℞. vnguẽti Ægypt ʒ.j. Pompholig. ℥.ß. Oxymel. squill. ʒ.ij. misce.

Naribus indat ad purgandũ cerebrum, ſuccum rad. Betæ & Anagallidis fl. cæruleo.

Item intrudat fibram Hellebori aliquoties, ad ſternutationem mouendam.

IN NARIVM DOLORE Obſeruationes.

Naſi vlcus illius apicem depaſcens.

VIrgo quædam nobilis, annos excedens 30. ad me conſilij causâ venit, cuius naſi extremitas cartilaginoſa, in medio tota ferè vlcere depaſcente abſumpta erat, remanẽtibus ſaltem vtrinq; portionibus quibuſdam, narium alarum, ſed diductarum & vlceratarum, qualis etiam erat reliqua naſi extremitas, facieſq; in ambitu naſi tumida, rubens patentibus narium foraminibus adeò, vt penitiſſimè quoq; introſpicere liceret.

Narrabat ante biennium in ſummitate naſi, ad canthum oculi ſiniſtri, puſtulam erupiſſe, eaque ſuppuratâ & apertâ, pus profudiſſe, & cũ diu non coaleſceret illud vlcus, oſsiculum tandem è naſo prodijſſe, atque demum ſanato vlcere, in ambitu narium, vlcus illud cœpiſſe, diuque fruſtra à multis chirurgis & empiricis tractatum, qui vnguentis varijs & emplaſtris erodentibus, vſi fuerũt, & eouſque, vt portio magna naſi abſumpta fuerit, excreuiſſe. Nec ab vllis aliquid commodi ſenſiſſe, niſi quando pilulis mercurialibus, & fumo ex trochiſcis ex cinnabari naribus excepto, vſa eſſet, tunc eam, cùm os inflammatum eſſet, & multa expuitio ſubſequeretur, penè curatam fuiſſe, ſed omiſsâ curâ vlcus recruduiſſe.

Ex quibus ſuſpicio nata, à lue venerea fortè hoc vlcus prodijſſe, niſi cancer eſſet narium.

Curatio.

Curationem aggreſsi in initio Septembris, An. 1600. corpore purgato obiter, cùm illud ſæpe iam euacuatum eſſet, & cauterio in nucha adhibito, licet in brachio alterum iam adhibuiſſet, cùm vlcus pure admodum ſordidum eſſet, ad illius abſterſionem, demum exſiccationem, varia adhibita fuerũt, primumque vnguento Apoſtolorum vſi ſumus, ſed cùm inualidius videretur, & appoſitis emplaſtris mucus narium retentus, & collectus, nouis ſordibus locum exeſum & ſordidum inquinaret, vnguentum Ægyptiacum adhibitum fuit, ſucco Tabaci parùm, vt vis acris illius nonnihil infringeretur, contemperatum, à quo, cùm admodùm repurgaretur, & mundum fieret vlcus, ad exſiccationem illius decoctum hoc adhibitum fuit, in ſcutella, in qua naſi eminentiam vlceratam immergebat, ſæpeque horæ ſpatio & amplius continebat, quod tale fuit: ℞. Agrimon. M.j. Rutæ M.ß. Gallarum ℥.j. Balauſt. ℥.ß. fiat decoctio in menſura ß. Lixiuij & Acet. roſ. cochl. iij. vel quatuor.

Interea ſemper poſt fotum vnguentum ſequens quoque fuit adhibitum, biſque in die renouatum: ℞. Ceruſæ ℥.j. Tuthię, Lytharg. an. ℥.ß. Plumbi vſti ʒ.vj. Myrrhæ, Ariſtol. rot. an. ʒ.ij. ol. Roſ. omphac. ſucci Plantag. an. ℥.ij. Agitentur.

Quæ duo remedia, & pręſertim decoctum adeò profuerunt, vt vlcus iam ſanari videretur. Verùm cùm in medio naſi nigrum quid apparens, prominęret, chirurgusque forpice arriperet, oſsiculum oblongum, fungoſum, narium prodijt, cuius rei causâ, cùm ſuſpitio eſſet, in interioribus fortè eroſa eſſe oſſa, præſertim cùm facies, quæ prius vſu fotus, penitùs detumuerat, rurſum tumeſcere & rubere inciperet, vt fumum ex trochiſcis, in quibus cinnabar. erat, iniectis carbonib. excitatum, per Infundibul. admitteret, iuſsimus, quòd cùm ſemel at-

que iterum tantùm feciſſet, puluerem admodùm ſiccantem, vt vlcus coaleſceret, ante vnguenti applicationem adhibuimus. Et ab vſu fotus ceſſauimus. Quo facto ala dextra naſi, findi admodùm cœpit, & vlcus de nouo ſordeſcere, ex quo multũ adhuc putridæ carnis, adeſſe coniecimus, denuóque ad vſum fotus & vnguenti Ægyptiaci redijmus, ſed cùm illud ferre nollet, ob dolorem, facieſque nonnihil inflammaretur, Sublimati puluerem aqua Roſ. diſſoluimus, & madefactas eo liquore petiolas, vlceratis locis appoſuimus: quòd cùm ferre poſſet, in illius vſu perreximus, vnde valde mundificari cœpit vlcus, caroque ſana, & rubens apparere.

Cùm verò ſordes continuò è naribus ſtillantes, & propter applicationes extrinſecùs naſo, illic hærentes, vlcus ſemper nouis ſordibus inquinarent. Corpore iterũ ſemel purgato, pilulam vnam ſumpſit Mercurialem, vt ad os pituita deriuaretur, & per ſputum expurgaretur, vnde cùm admodum purgata eſſet, os inflammari, lingua intumeſcere, eâ ipsâ die incepit, multumque magno cum dolore expuere, eam ob cauſam gargariſmat. vtebatur, donec per dies aliquot hæc omnia ceſſarent.

Interea vnguentum adhibitum fuit paratum ex Minio & ol: Roſac. additâ portiuncul. Maſtiches & Thuris, quo panni lintei inuncti, & vlcerato locô applicati fuerunt, ſuppoſitoque emplaſtro Baſilicone retenti. Naribus interea, calamo pennæ immiſſo, apertis ſeruatis: fuitque indies bis vnguentum hoc renouatum, vnde vlceratus locus hinc inde ſanari incæpit.

Verùm cùm adhuc produceretur integra ſanatio, & de lue venerea aliqua eſſet ſuſpicio, vt meliùs purgaretur, iterum pilulam ſumpſit, eademq; ſymptomata oris, ſed paulô mitiora paſſa fuit: qui-

bus

bus fanatis, atq; interea semper adhibito vnguento de Minio, media pars nasi exulcerati cute obduci incœpit. Verùm quia in altera pinna vlcusculum restabat; & sub ea cauum in labro superiori, puluis pręcipitatus ruber, sicuti eum Chirurgi ex Argent. viuo in aq. forti infuso, & demum consumptâ in carbonibus aquâ, remanente puluere, parare solent, impositus aliquando fuit, vnde integrè sanari cœpit. Restitutaque fuit circa finem Decembris 22. die, sanaq; à nobis discessit.

Cancer in Nasi interna sede.

IN Viro quodam nauta, cancer in nasi interiore altera sede natus, ardore quodam molestus, adeò dauctus spatio temporis fuit, vt nares admodum distendendo, in vno latere pugni magnitudinem superarent, differens à polypo, quòd non propenderet, sed omnino naribus vndique adnatus esset, & hic tandem in vlcus conuersus, omnia respuens remedia, eum è medio sustulit.

Cancer in Nare & Palato.

VIde in Oris dolore. Lib. II. Cancer in Palato & nare.

Nasus frigore congelatus.

EX summo frigore nasi apicem mihi congelatum fuisse, dum iter facerem, ex eo deprehēdi, quod cùm nasum emungere vellem, pars hæc insensilis & rigida esset, quam cum flectere conarer, sanguis mox è naribus erupit: quod tamen cùm non diu durarit, nullum incommodum mihi attulit.

IN ORIS DOLORE Obseruationes.

Oris vlcus iuxta inferiorem maxillam.

IN fœminæ cuiusdam gingiuas & maxillam inferiorem, sinistri lateris defluxione delapsâ, dolor vehemens, circa dentium regionem obortus est, intumuitq; locus ille foris intusque, abscessuque facto in ore, disruptoque, pus effluxit. Quo facto, dolor & tumor extrinsecùs nihilominus persistebant, rubebatque pars, cum acuto tumore & molli, quique contactu exacerbabatur: abscessu quoque illic genito, quem, cùm sectione aperiri nollet, cauterium meum potentiale applicui; id licet dolorem aliquem per duas horas mouerit, tamen adeò profuit, vt mox eo cessante, copiosissimè pus saniosum effluxerit, idque per multos dies, donec penitùs sanaretur.

Inflammatio, Abscessus sub lingua, è quo calculus prodijt.

PRæfecto cuidam arcis Homburgensis, post inflammationem ac tumorem in faucibus & linlongus progua, abscessus natus est, eoque rupto, calculus obdijt, quem mihi ostendit.

Alteri cuidam, tophaceus quoque calculus sub lingua creuit, qui punctorios illic adferebat dolores. Hunc chirurgus noster, leui sectione facta, exemit: Referebatque forma colore & substantia, lapillum eum, qui in capite cancri nascitur, in oculorum radicibus, eoq; nomine oculus cancri appellatur, Magnus autem erat, sed inæqualis.

Cancer in Lingua.

LIngua in quadam vndique in superficie extuberabat inæqualiter, tuberculis duris, rubicundis, magnis, vuæ instar botrorum conglomeratis, quę pustulas elephanticorum omnino referebant. Hæ in certis locis, iam in vlcera conuersæ erant, quorum labia prætumida & inuersa apparebant, cum dolore aliquo vel ardore, ex quibus cancrum esse, & hinc inde in carcinoma conuersum, iudicaui. Impedimentum hæc & in loquela & deglutione adferebant, non leue.

Vsus sum ad linguam sic affectam sanandam, oris Collutionib. validè siccantibus, & postea præcepi vt illiniret, aquâ Viridi ex Arsenico & Aeris ærugine paratâ, in oris dolore paxeos meæ descriptâ, vnde minui cœpit. Sed postea non ampliùs est reuersa.

Cancer in Labijs.

IN vtroq; labio, tubercula similia admodũ prominebant cuidam, atque aliqua ex illis vlcerata, inuersa callosaque erant. Adhibui Aquam viridem prædictá, quâ iam diu vsus est, indeq; etsi aliqua subsideant, crustaq; obducantur, mox tamen repullulant, quid futurum sit, exspecto.

Cancer in Palato & Nare.

MErcatori, cuius supra mentionem fecimus in Auditione graui, cum faucium excoriatione, & vlcere vuulam depascẽte, quibus laborarat, postquam aliquandiu surditas cessarat, vti illic expositum, annos aliquot sequentes, rursum difficultate auditus laborare cœpit, vt ferè penitus surdaster fieret. Præterea in palato ipsius, cœperunt pustulæ aliquæ extuberantes emergere, quibus tandem

ruptis, ſubſecuta ſunt vlcera ſordida, lobis carneis, inæqualia, per vniuerſum palatum diſperſa, & in narium amplitudinem quoque pertinentia. In nare itidem ſiniſtra tumor enatus, alam illius loci tumidam & duram reddebat, & in labij ſuperioris muſtace, ſimilis tumor durus verrucoſus ſe offerebat. Ex quibus cancrum & carcinoma haſce ſedes occupaſſe, conijcere licuit. Et licet & priùs & nunc in hoc caſu ſuperueniente, multis fuerit vſus euacuationibus, atque ſudoribus per decoctum Gaiaci, per inunctiones ex Hydrargyro, ſuffumigationibus ex Cinnabari, alijsque remedijs, tamẽ non ceſſauit hoc malum, donec diu poſtea è medio fuerit ſublatus.

Cancer Gingiuarum, Durchfeule.

ADoleſcens quidam ſcriba, cùm ſenſiſſet ante ſeptimanas ſexdecim, per dies aliquot in maxilla inferiore dentes quatuor, duos inciſorios, & duos caninos vacillare, eos apprehenſos, ſine labore & dolore euulſit, remanente dolore aliquo punctorio, eo in loco. Prodierunt quoque ſquamæ aliquæ, alueolorum iſtorum, quibus dentes infixi erant. Atque labia inde oris, intrinſecusque gingiuæ admodùm exulcerari cœperunt, metuebamus ne cancer eſſet gingiuarum, Durchfeule vt appellant, vnde ſepe tota maxilla ita inficitur, vt portionem eius cum dentibus eximi viderim. Verùm cũ non adeò eſſent virulenta vlcuſcula, vſus collutionibus oris conuenientibus, & imprimis aquâ illâ Viridi, exactè ſanatus eſt, remanẽte cicatrice in labio inferiore, vnde os nonnihil illius curuum fuit redditum.

IN DENTIVM DOLORE Obſeruationes.

Dentium dolor, Hemicrania, Vteri ſuffocatio & Cachexia.



Vella quædam virgo, annos paulò minus viginti nata, pallidula iam diu, dentium dolore laborare cœpit, ex defluxione oborta, in vtroque latere, dentibus molaribus aliquibus cauis.

Qui dolor, quando dentibus adhibebat aquam actu calidam, compoſitam ex varijs plantis calidis & aromatibus infuſis, in Vino & Aqua vitæ, & deſtillatis, mitigabatur: Sed rurſum redibat.

Purgaui illam primùm, poſtea collutione oris ex Sandaracæ ℥.ß. in poculo vno Vini decocta, vſa eſt. Et cùm dolor in dextro latere magis vrgeret, Allium contuſum carpo dextro apposui, vnde cuticula abſceſsit, dolorque in eo latere remiſit.

Verùm in ſiniſtro latere, dolor non ſolùm dentium regionem occupabat, ſed & temporum ſiniſtrum, totaq; mala illic dolorem patiebantur eumque intoleralibem, punctionesque in aure ſentiebantur. Itaque cucurbitulas binas ſcapulis vtrinq; adhibui, Allium etiam ſiniſtro carpo applicatum fuit. In aures aqua Roſ. cum Album. oui & Lacte conquaſſata, additis guttis quatuor extracti Opij, immiſit, temporibus Oxyrhodynum adhibitum, addito ſimul ol. Chamomelino. Lotiones item crurum ex decocto herbarum capitalium factæ. Vnde etſi dolor quandoque remitteret, redibat tamen, tunc præſertim, cùm ex febricula quæ acceſſerat, corpus admodùm incaleſceret.

Repetij Cucurbitulas, rurſumque eam Purgaui, & poſtea etiam Scarificatione vti iuſsi.

Verùm dolore perſeuerante, ſuoſque paroxyſmos ſed inordinatos habente, & in dentium regione, & in mala & temporibus, nunc ſeparatim, nunc ſimul vrgente, adeò ſæpe, vt in animi deliquium incideret, & de vita periclitaretur: quod illi ſemel, cum cardialgia graui, & veluti vteri ſuffocatione, accidit, lotioni pedum ex decocto Saluiæ, Violariæ, fl. Chamom. diutiùs inſidenti. Collutionem oris ex decocto rad. Pyrethri, Ireos, fol. Saluiæ, Hyſopi, flo. Roſmarini, Roſarum, Sandaracæ facto, in Aqua, addito Aceto, præſcripſi.

Totique malæ ſiniſtræ, cataplaſma hoc applicui: ℞. nucl. Perſicorum P. iij. gr. Iuniperi P. ß. contundantur; adde Amyli, farinæ ſeminis Fœnogr. Lini an. ℥. j. ſeminis Pſilij ℥. ß. ſeminis Papau. ʒ. ij. affundatur Lac, & parùm coquantur, addendo in fine ol. Anethini ℥. ij. ol. Chamomel ℥. j. fiat cataplaſma. Quod quoties geſtabat, dolorem mitigabat, ſed eo ablato, redibat.

⁂ Cucurbitam magnam ſcapulis cum flammâ adhibui, idque ſæpius diebus ſequentibus iteraui.

Inſtantibus iam menſibus, cùm morbus ſeptimanas penè quatuor compleuiſſet, cœperunt torſiones ventris & cardialgiæ ſuperuenire, quapropter frictiones crurum factæ. Superuenerunt poſtea menſes; ſtato tempore, ſed admodùm fuit imbecillis, febreque perſeuerante; quæ exacerbato dolore, quoque augebatur, vt aſtantes de vita eius eſſent ſolliciti.

Applicui epithema pulſibus ex aquæ Roſ. ℥. quatuor, aq. Bugloſſi ℥. ij. Meliſſæ, Aceti roſ. ana ℥. j. aquæ florum Arantiorum ʒ. ij. Quo repetito ſæpe, calor ſecundo die menſium, remittere cœpit, & cum eo dolor capitis, ad biduum vſque ſanguine

guine interdum è naribus, ſed parcè fluente.

Tertio die poſt ſomnum, dolor redijt, non tamen adeò violentus. Itaque, vt diſcuteretur materia, nec in abſceſſum abiret, inunximus totam malam & tempora oleo Anethino primùm, mox & addito Chamomelino. Sed cùm odorem vnctuoſum ferre minimè poſſet, animoque inde deficeret, omittere deinceps neceſſe fuit, & cataplaſma & inunctionem.

Oris collutionem aliam paraui: ℞. rad. Biſtortę, Pyrethri an. ℥.j. rad. Ireos ℥ ß. herb. Hyſſopi, Agrimoniæ, Saluiæ, Betonicæ, Maioranæ an. M.j. fl. Anthos P. j. Sandaracæ pulueriſatæ ʒ. vj. Piperis longi, Zingib. an. ʒ.ij. bulliant in Aqua, addito Aceto, donec decoctum aceſcat. Vtebatur eo tantùm tempore, quando dolor vrgebat, alio minimè, ſemperque profuit: ſed dolor ſubinde poſt mediam noctem præſertim, & manè redijt, ſub noctem minuebatur, interdumque ceſſans.

Temporibus hoc epithema, cum ſtuppa cannabea, quoties dolor ingruebat, appoſitum fuit: ℞. aquæ Roſ. ℥. quatuor, aquæ Lauandulæ ℥.j. Lactis ℥. ij. Album oui agit. num. j. pul. ſem. Cimini ʒ. ij. extracti Opij liquidi guttas quatuor. Vtatur hoc, quoties applicuit leuamen ſenſit.

Naribus ſuccum Betæ fol. & Maioranæ cum penna indidit, vnde ſternutatio bis ſub noctem ſecuta eſt.

Cùm non continuaret remedia, iterum dolor medij capitis lateris, & in ore, nunc ardens, nunc punctorius redijt, maculaque rubra eryſipelatis inſtar, in temporibus, iuxta oculum ſiniſtrum, apparuit. Purgaui denuò illam, extr. Cyd. ʒ j. vnde ſepties deiecit, ſatisque quieta fuit.

Sed redeunte dolore, ipſaque debili exiſtente, caloresque frequentes ſentiente, repetitæ ſunt to-

to postea tempore, applicationes epithematum in pulsibus. Iuscula & oryzam coctam, sine fastidio edebat. Aquam coctam & Lac amygd. bibebat. Cucurbitæ duæ maiores scapulis iterum adhibitæ.

Gargarismo hoc postquam vsa est, multum expuere cœpit: ℞. Gaiaci ℥ j. ß. gummi Sandaracæ ℥ ij. coquantur in Vino acidulo, postea rad. Pyrethri & Hyssopus addita fuêre. Et quia os erodi & astringi intùs sentiebat, Lac tepidum post oris collutionem, in quo Altheę & Consolidę radix coctæ erant, in ore continebat.

Ne abscessus aliquis generaretur, maxillamque, vt sæpe fit, vitiaret, temporum sinistro, & malæ, sequens applicitum repetitumque fuit: ℞. aquæ Rof. ℥. iij. aquæ Lauandulæ ℥. j. aquæ Vitæ compos. ℥. ij. aquæ Vitæ opiatæ ℥ j. Lactis ℥. ij. ol. Anethini ℥. ij. Chamom. ℥. j. agitentur: Applicetur, valde profuit.

Iterum purgaui illam: ℞. syr. Rof. sol. simp. ℥. j. ß. syr. ex Sena ℥. ß. cum aqua Buglof. & Melissæ fiat potio: Deiecit quinquies, sine molestia: beneque habuit, & dormiuit plus quàm priùs.

Sequenti die iterum dedi: ℞. syr. Rof. sol simpl. ℥. j ß. cum aqua Bugloss. & fl. Sabuci (propter obstructiones) Melissæ, fiat potio: Quater deiecit, & quietior inde facta.

Cum denuò rediret dolor, Cucurbitulæ quatuor cum scarificatione, in scapulis appositę fuêre, & cùm ad fornacem sederet, animo defecit.

Sed sequentibus diebus, dolor adeò indutias dedit, vt iam se induere, in hypocausto deambulare, noctuque in suum cubile ascendere, illicque dormire posset. Sub noctem tamen suos paroxysmos adhuc multis diebus passa est.

Et quia simul ad cachexiam disposita erat, antequam

tequam hunc capitis dolorem pateretur, Purgaui illam Vino ex infusione rad. Cichoreæ, Petros. Fœniculi, Ireos, Enulæ, herb. Absynth. Centaurij min. Chamæpith. Chamædrios; seminis Fœniculi, Petrosel. an. q. s. fol. Senæ ℥.j. rad. Azari ʒ.j. Rhab. ʒ.ij. parato: Idque per tres dies, vnde sine molestia copiosè deiecit.

Sed quartò recruduit malum, dolor capitis medij lateris summus, & in mala & gingiuis. Applicui denuò Epithema prius, sed sine oleis, quorum odorem non ferebat. Carpo brachij sinistri Allium contusum bis apposui, & portionem illius in aurem partis affectæ immisit: quę adiumentum aliquod adferebant.

Sed dolor tunc potissimùm in dente cauo posteriore sæuire cœpit, idq; postquàm Aquam compositam calidam in ore retinuisset. Imposui in eum extractum Opij cum pilula Bombacis cœpitque statim mitigari, eaque nocte quiescere, multumq; dormire, malaque nonnihil subtus ad maxillam intumescere.

Verùm cùm dentem cauum huic defluxioni, indeque natæ recidiuæ occasionem omninò præbere cognoscerem, iussi eum euellere, quo facto, postea ab eiusmodi doloribus liberata fuit.

Dentium dolor, cum Tumore aquoso, sub lingua & in faucibus.

ILlustris quidam Dominus, qui ante biennium atheroma sub mento passus erat, & à me curatus, obnoxius eiusmodi oris, faucium & colli affectibus, quibus & iam sæpe, & ante hyemem anni præcedentis, quoque diuexatus fuit, nunc denuò hoc Anno in canicularibus, eosdem affectus per duos continuos menses, patiebatur, dolorem scilicet dentium molarium & maxillæ, ita vt os

vix aperire posset: difficultatem item deglutiendi, tumorem in faucibus & dolorem, præsertim exscreaturus, vrgentem. Vesica etiam sub lingua suborta erat, sicuti priùs quoque illi acciderat,& metuebatur tumor sub mento, ne denuò rediret. Multum autem pituitæ insipidæ exspuebat indesinenter, nunc tenuis, nunc viscidæ. Accedebat calor aliquis totius corporis præternaturalis, nondum tamen febris. Vrinæ subcroceę nonnihil, non tam horum affectuum causâ, quàm quòd ad obstructiones hepatis & icterum, cuius principia hoc vere pullulabant, pronus erat.

Cùm hæc à Medico, qui illi ministrabat, ad me transcripta essent, nec, vocatus cōparere possem, sequens consilium dedi.

Primùm, etsi corpus purgatum esset; cùm tamen leuiora fuissent, vt denuò hoc modo purgaretur: ℞. syr. de Hyssopo, de Beton. an. ℥.j. syr. de Endiuia hepatis causâ, ʒ.vj. aquarum Saluiæ, Betonicæ an. ℥.j. Cichorij ℥.ß. misce, arom. Sant. citrin. Capiat duabus vicibus.

Dein pilulas sequentes sumat: ℞. pilul. Sine quibus ʒ.j. cum Oxymel. scyll. fiant pilulæ xj.

Postea etiam extracti mei Citronati ʒ.j. dedi, vt diebus aliquot postea sumeret: pulchreque inde fuit purgatus.

Masticatorio sequenti manè vtatur: ℞. rad. Pyrethri ʒ.ij. rad. Angelicæ ʒ.ß. s. Staphisag. ʒ.j. Cubeb. ℈.j. Nucis mosc. ʒ.j. fi. puluis, adde Saccha. ℥.ß. & cū infus. gūmi tragach. fiat rotulę: Masticet exspuēdo.

Postea gargarizet fauces, quod & interdiu sæpe faciat: ℞. rad. Altheæ, Penthaphylli an. ℥.ij. rad. Galangæ ʒ.ij. Liquirit. ℥.j.ß. Saluiæ, Beton. an. M.j. fl. Ros. Maluæ autum. an. P.j. fl. Anthos P.ß. Hordei P.j. Nucis mosc. ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua & Vino, & ℔.iij. col. dissl. Diamor. ℥.ij. Mellis anthos. ℥.j.ß. Aceti scyll. ℥.j. fiat garg. Adhæc

Adhæc interdum cochleare vnum sequentis liquoris calidè in ore contineat: ℞. Balsami mei, seu aquæ destillatæ ex floribus & herb. cal. odoratis & arom. ℥.ij. Oxymel. veri ex hydromel. Maluat. ℥.j. Oxymel. squil. ℥. ß. misce. Vtatur.

Cataplasma hoc sub mento in ambitu collocauit: ℞. far. Fab. Hordei an. ℥.iiij. coq. in Aqua & Vino, addendo Mellis ℥.ij. pulu. Nidi hirund. ʒ.ij. ol. Cheirini, Lilior. an. ℥.ij. fiat Catapl.

Victu tenui vtebatur, & liquido cùm propter dolorem solidiorem nec masticare, nec deglutire posset.

Scripsit postea ad me, gratias agens pro consilio, illudque valde profuisse prædicabat. Et vt quo pacto sequenti anno huic malo obuiam ire posset, vt cogitarem, rogabat.

IN FAVCIVM DOLORE Obseruationes.

Faucium tumor cum Dentium dolore.

VIde in Dentium dolore. Lib. 11. Dentium dolor cum tumore aquoso.

Faucium ardor in febre continua.

VIde in Febribus. Lib. 11. Febris continua putrida &c.

Faucium vlcus Palatum exedens Columellamq; absumens.

QVidam in palati tunica crassa posteriore, narium amplitudinem respiciente, iuxta vuulam, vlcus obortum, ex defluxione, vti aiebat, spatio

temporis adeò inualuit, vt magnâ illius portione absumptâ, vuula simul perderetur, vnde vocē nonnihil raucam edebat, potusque quandoque in deglutitione per narium amplitudinem ascendens, effundebatur.

Licet multa tentasset remedia topica, & generales purgationes sæpè repetitas, & sudores vsu decocti Gaiaci, nihilominus tamen exulceratio hæc persistens vlterius serpebat, durauerat q; tunc cùm ad me venit mens. April. 1513. per biennium.

Difficilem fore curationem prædicens, nec columellam amissam reparari posse, curam sic aggressus sum.

Vt Potionem vulnerariam, ex Pyrolæ, Consolidæ cæterarumq; in Praxi mea notatarum plantatarum decoctarum in Vino paratam, per mensis spatium biberet, edocui.

Liquoreq; sequenti, seu aqua Viridi, exulcerata loca in faucibus, cū penicillo in ea madefacto, tangeret semel indies; cautione adhibita, ne q̄d deglutiret, & proin statim postea Lacte caprino vstulato cum chalybe, os collueret, expueretq;. In cuius Lactis poc. j. Mellis ℥. j. Alum. vsti ʒ. j. mista essent.

Aqua viridis sic parabatur: ℞. Æruginis æris ʒ. j. Alum. ℥. ß. Vitreol. Minij an. ʒ. j. decoquātur in Vini albi ℥. iiij. Aquæ vitæ ℥. ß. reponatur ad vsum.

Post illius per dies aliquot vsum, colluat sępe os, Vino in quo folia Ligustri cocta sint.

Mastiche, Thus, Myrrham, carbonibus ardentibus inspergat, fumumq; interdum per acetabulum in os intromittat.

Reuersus mense Iulio, cùm fauces inspicerem, exulceratio nulla ampliùs conspiciebatur, sed omnia sana, præterquam quod portio palati, vt & vuula deerant, quæ reparari minimè poterant. Ipseq; optimè contentus, à me discesit.

Faucium

Faucium excoriatio, & Vuulæ amißio.

VIde in Auditus defectu. Lib. 1. Auditio grauis & penè surditas &c.

Vlcus exedens cauum in faucibus.

IN faucibus dolorem & ardorem mulier quædam sentiebat, & præsertim inter deglutiendum, & cùm bibebat copiosè, pars potus è naribus reddebatur, quod satis diu passa fuit.

Cùm fauces inspicerem 20. Aprilis, Anno 1598. vidi amplo foramine, in latere sinistro iuxta gurgulionem, palatum apertum, vlcusq; illic diuturnum exedens ad narium amplitudinem pertingens, per quod inter deglutiendum pars potionis, constrictis faucibus, sursum in nares propellebatur.

Ægrè coalescere, sanari tamen vlcus posse prædixi. Gargarismate sequẽte iussi vti: ℞. aquę Plantag. & Rosl. an. ℥. iiij. Aceti hydromell. ℥. ij. Rob. mororũ coctì sine Saccharo ℥. iij. Alumin. Vitreol. albi an. ℥. ß. misceantur. Illiusque portionem sumat, eamque cum Lacte ouillo, in quo silices igniti extincti fuerint, permisceat. Et gargarizet fauces bis in die.

Vt lamberet frequenter sequens Eclegma monui: ℞. Mellis rosl. rob. Mororum vt supra ana ℥. iij. Aluminis ʒ. ij. misce.

Sæpè etiã Lacte ouillo tepido fauces colluebat.

Reuersa 30. Aprilis, dicebat se ardorem non amplius sentire, sed adhuc potum interdum per nares erumpere, respondi difficile esse, foramẽ carne implere, contentam esse debere, si sanetur vlcus.

Denuò itaq; huius rei causâ gargarismum hunc præscripsi: ℞. aq. Fabrorũ extinct. ferri mensl. ß. aqu. Rosl. ℥. iiij. Aceti hydrom. Rob. mororũ an. ʒ. ij. syr. de Cerasl. acidis ℥. ß. Alum. Vitreol. albi an. ℥. ß. vtatur.

Et vt successiuè lacte Ouillo, in quo Consolida cocta fuisset, etiam fauces ablueret, iussi.

Sicq; vlceris labijs sanatis in circumferentia, foramen apertum remansit, incommodum hoc tantùm adferens, quod inter bibendum aliquádo, vti dictum, portionem illius, è naribus effunderet, quod tamen obturando hoc foramen petiâ laneâ bibere volens, cauere potuit. Vox quoq; rauca aliquo pacto, & caua, vt vocant, permansit.

Eadem hæc sutori cuidam accidisse, alijsq; multis, à lue præsertim Venereâ, sicq; curatis impedimenta hæc remansisse, obseruaui.

Angina cum tumore Faucium extrinsecùs apparente, difficili Respiratione, & Loquela.

CVidam quadragenario viro crapulæ dedito, & à teneris multis morbis inde natis subiecto (inter quos & paralysin cùm puer adhuc esset, lateris dextri passus est) statim à secundis nuptijs, defluxio in humeros decidit, quam vt diuerteret, suo ipsius cousilio, stupham ingressus, scarificatione vsus est, moxq; ad crapulam reuersus, die festo quodam, bene potus, noctu domum reuersus, subitò in suffocationis incidit periculum, adeò vt non nisi magno labore, & erectus spiritum duceret, deglutire nihil posset, nec vocem nisi submissè proferre.

Summo manè 27. Iunij. Anno 1598. vocatus, anginam esse cognoui, sed quæ à defluxione potiùs à capite delapsâ, quam sanguinis influxu procederet: In faucibus nihil apparebat, collum affectum & veluti obstrictum esse, manu ostendebat; pulsus exiguus, nec febrilis. Et quia admodùm angebatur, Cucurbitulas vtrinq; tres, scapulis & humero

mero apponere cum flamma iussi, & circa meridiem repetere.

Præscripsi dein Gargarismum hunc: ℞.aq.Plantag.Hyssopi, Prunellæ ana ℥.ij.ß. Mellis rosar. ℥.j. Diamoron. Dianucum ana ℥.ß. misce: Pro gargarismate.

Et vt lamberet hunc syr.℞. Diamoron, Dianucum, syrup.de Hyssopo, de Liquiritia an.℥.ß.misce.

Sub vesperam vena aperta brachij, collumque inunctum fuit seq. Linimento: ℞. ol.Irini, Cheirini an.℥.ß.misce: Lana succida desuper applicata.

Ea nox valde inquieta fuit & insomnis. 28. manè, cùm verba meliùs proferret, dicebat se angustiam in colli humiliore sede & pectore sentire, quare & collum & pectus inungere iussi, hoc vnguento: ℞. vnguenti Resumptiui, Dialtheæ ana ℥ j. misce.

Tumere latus dextrũ colli cœpit, quod etsi astantes valde terreret, ego bonum esse signum pronuntiaui. Quandò os aperiebatur illi, vel lingua deprimebatur, statim vomitus vrgebat, tenacemq; pituitam reddebat.Iussi itaq; vt hoc lamberet.

℞.Oxymel.s.℥.ij.Oxym.squill.℥.j. syr.de Hyssopo ℥ j.ß.misce: & vt hoc gargarismate vteretur: ℞. aq.Hyssopi ℥.iij.aq.Prunellæ, Tussilag. Mell.ros.an. ℥.ij. Oxymel.scill.℥.j.Dianucum ℥.ß.misce.

Aluus omnino suppressa erat, ob quam causam suppositorium indere iussi. Deglutire enim medicamentum non poterat, vixque & non nisi maximo labore interdum cochl. j .lactis Amygdalini sumebat, quod alioquin tamen reuomebat, & ex deglutitione admodùm postea eructabat. Adeò quoq; spiritus illi erat interclusus, vt flatus ventris ex conatu illo vehementi propellerentur.

Sub noctem summè debilis erat, ita vt epithema hoc pro pultibus prescriberem: ℞. aq.Ros.℥.iij. aq.

Bugl. Melissæ an. ℥. j. sp. Diam. frig. ʒ. j. Aceti rosſ. ℥. ß. succi Limonum ʒ. j. fiat epithema.

Tertio die manè, pedes manusque frigebant, ita vt pleriq; illum animam agere putarent, pulsus tamen constabat: vrina rubra; nihil loquebatur. Tumor in collo auctus, cui hoc catapl. appositum, totumq; collum eo obuolutum fuit: ℞. nidi Hirund. P. j. puluerisſ. coquatur, addēdo farinę ſ. Lini. quart. j. semin. Fœnogræci & Fabarum an. quart. ß. Butyr. ℥. ij. ol. Cham. ℥. j. ß. fiat cataplasma.

Vix ea die aliquid aliud præter linctum admittere voluit. De salute exigua licet esset apud astantes spes, tamen in vigore esse morbum dicens, clysterem volui inijcere, sed adeò erat sub vesperam debilis, vt omissus fuerit.

Gargarismum hunc ordinaui: ℞. Dactylorum num. vj. Ficuum num. xij. ſ. Lini, Fœnogr. ana ℥. ß. fl. Cham. p. j. decoq. & in ℥. x. colaturæ adde Cassiæ rec. ex ℥. ß. Mellis rosſ. ℥. ij. nidi Hirund. ʒ. j. colentur iterum; Aliquoties vtatur.

Tertio die manè nonnihil se recolligebat, & tantùm de difficultate deglutiendi conquerebatur, & dolore circa orificium ventriculi; quod oleo Nucis mosc. inungere iussi.

Clyster manè fuit iniectus: ℞. herb. Emoll. an. M. j. Betæ, Mercur. an. M. ß. Centaur. minor. P. j rad. Lil. ℥. ij. Furfur. fl. Chamom. Samb. an. P. j. ſ. Carui. ʒ. j. fiat decoct. dissolue in ſ. q. Hieræ picræ, Bened. lax. ana ʒ. vj. Mellis rosſ. ol. Chamom. Aneth. ana ℥. j. ß. Salis gemmæ parùm, fiat clyster. Deiecit bis.

Meliùs spirare cœpit, tantùm deglutitio magna cum molestia procedebat, ita vt ad semicochleare iusculi, antequam deglutiret, admodùm laborare cogeretur, & ad illius descensum fragor veluti audiretur. Tumor in collo augebatur, emplastro semper illic relicto, conquerebatur de capitis quoque dolore

dolore & vigilijs: Tempore itaque somni, dedi paruam hanc potionem: ℞. syrup. de Papau. ℥.iij. aq. Buglos. ℥. ß. misce.

Quieuit ea nocte aliquoties, excitatus inquietus fuit, manè de dolore capitis & grauedine admodùm conquerebatur; spiritum placidiùs ducebat, angustiá in deglutitione statim supra stomachum sentiebat & ardorem in ventriculo, quem à rupto abscessu fieri conijciebá, cùm iam inter deglutiendum vehementem lancinationem sentiret.

Perrexit in vsu Eclegmatis & Gargarismatis, Clyster denuò iniectus fuit, addito priùs succi. Mercurialis ℥.j. & Melle anthosaro, propter caput.

Sub noctem cœpit vehemẽter inquietus esse, & de cardialgia cõqueri, sudare, animo interdũ delinquere, in lecto agitari. Epithem. reiterata; iuscula exhibit, aquæ ægrè magno conatu & strepitu deglutiebat. Et cũ gargarisando tenacem ꝓferret materiam, vnà cum cæteris quæ lingebat, iussi hæc dare: ℞. ol. Amyg. dulc. rec. Iulep. viol. an. ℥.j. aq. Cinam. ʒ.ij. succ. rad. Ireos ℥.j. misc. Capiat frequenter cochleare. Reiecit cruenti quid, post illius vsum, vnde apostema ruptum conieci.

Post mediam noctem dormire cœpit, adeò profundè, vt licet astantes loquerentur, nõ excitaretur. Manè cùm adhuc dormiret, pedes fricare iussi, & quia ventriculus laborare, ex materia purulenta, eò descendente, videbatur, iussi eum ungere ol. Absynth. & Mastich. & Cham. permixtis, additâ Cerâ.

Et vt sumeret frequenter pultem Maij dictam ex Butyro Amylo & Sacch. paratum, à qua plurimùm angustia mitigabatur, ipseque nonnihil alebatur. Pergebat interim in ecleg. & gargarismatis vsu.

Dedi etiam succi Hederæ express. cum Sacchato permixt. cochl. j. inde ardorem in gula sensit, Verùm à meridie meliùs habere cœpit, nox etiam paulò quietior.

Cùm matutino tempore in ventriculi regione, dolorem sentiret, & sępè eructaret, licet valdè prostratus adhuc viribus esset, existimans hoc à purulēta prouenire materia, dedi illi extracti Cydo: mei purgantis ℥. j. ß. cùm nihil posset aliud maiori quantitate sumere, pauloque ante meridiem vna sessione, octies copiosè deiecit, dein iterum bis fœtida excrementa, veluti pulte alba permixta, cœpitque admodùm se recolligere, ita vt deglutitionis impedimentum & capitis veluti stupor tantum restare videretur.

Iussi illi freque nter pultem ex Vino & Ouis, restaurationis gratiâ, exhibere, cùm vix supra tria aut quatuor cochlearia pro vna vice posset admittere.

Sequenti die qui octauus morbi erat, deglutiebat meliùs, deiecitque iterum sponte binas sedes. Vt ad cibos solidiores transiret, iussi & Vinum dilutum bibere.

Quod nec stare nec incedere posset, mirabatur, & clysteribus acceptum ferebat, vt nostri solent, ego stultam ipsius opinionem reprehendens, ob ebrietatem in hunc morbum eum incidisse dixi, luxuriosèque statim, post nuptias viuendo, totoque octiduo nihil cibi solidioris admittendo, morbum hunc lethalem & membrorum debilitatem sibi attraxisse.

Cœpit inde sensim conualescere, purgato adhuc semel corpore, vnde copiosissimas sedes habuit, etsi dieb. aliquot postea adhuc impedimentum inter deglutiendum, sed indies leuius, sentiret; nec dum auidè cibos appeteret, quod sibi familiare esse dicebat, nec mirum, cùm ex consuetâ Vini continua ingurgitatione, naturâ suam mutasset, vnde & sanus cùm adhuc esset, colorem non viuidum habebat.

Angina

Angina cum tumore in faucibus, & periculo suffocationis.

VOcatus ad quendam Anno 1596. Iunio mens. cui gutturis regio adeò intumuerat, vt ne verbum proloqui posset, & ferè suffocaretur, tumore in faucibus manifestè apparente, cùm adherente tenacissima pituita & lentore.

Statim cucurbitulas cum scarificatione scapulis adhibui.

Gargarismum sequentem suasi: ℞. syrup. Viol. Mellis viol. ana. ℥. ß. Diamoron ℥ j. aquarum Solani, Plantag. an. ℥. iij. Aceti, flor. Papau. rheas ʒij. fiat Gargarismus.

Applicuit collo sequens cataplasma, in illius ambitu sub mento: ℞. farinæ Hordei, Fabarum ana ℥. iiij. nidi Hirundi ℥. ij. Stercoris canis sicci ℥. j. ß. Mellis ℥. ij. ol. Ros. q. s. fiat Cataplasma.

Hisce vix dum per diem vsurpatis, meliùs habere cœpit, & è summo periculo euasit.

In Gula dolor ab ossiculo illic hærente

SCriba quidam, cùm in pastillo seu artocreate, pullos columbinos, confractis vt solent, priùs ipsorum ossibus, coctos comedens, osiculum simul ex parte deglutiuisset, illic vbi abruptum fuit, acutū, oesophago infixum hæsit, vnde tantus dolor subortus, vt miserè cruciaretur, mox sequuta inflammatione, & tumore, qui etiam foris in collo apparebat.

Cùm varijs instrumentis illud eximere chirurgus studeret, apprehendere tamen, cùm non esset conspicuum, minimè potuit, deorsum propellere longè minùs, cùm tunc dolor admodùm exacer-

baretur. Vocatus, iussi eum iusculis & lacte nutrire, crassiora enim deglutire minimè poterat, tumori extrinsecùs, cùm mollis esset, cataplasma maturans apposui, ex quo exactis diebus aliquot, maturari & in abscessum conuerti cœpit, quo aperto, vnà cum pure, ossiculum quoq; prodijt, atq; exemptum est. Postea sanato vlcere, nihil mali ampliùs passus est. Accidit hoc circa Annum 1563.

In Gula dolor, ob numisma deglutitum inhærens.

INfans quem nutrix vlnis gestabat, cùm aureum florenum quem manibus versatum, ori iadidisset, eum mox, antequam nutrix rursum illum eripere posset, deglutiuit, qui in œsophago subsistens, cũ nulla ratione inde auelli aut propelli potuerit, cũ magno cruciatu eum tandem iugulauit.

IN PECTORIS DOLORE Obseruationes.

In Latere sinistro molestia, cum Sono quodam in pectore.

QVidam mercator conquerebatur mihi, se iam diu spiritum ducentem, sonum aliquem intrinsecùs in latere sinistro, leuemque molestiam sentire, & quod mirum, affirmabat mihi, quando alium aliquem tussientem audiret, ex sono & strepitu illo, se in latere affecto eo in loco, vbi molestiam sentiebat, sonum quoque & veluti fragorem percipere, simili ferè consensu, quo & chordarum æqualiter tensarum, pulsatâ vnâ, etiam alteram moueri, obseruamus.

Lateris

Lateris sub papilla dextra dolor lancinans, per vices, malum diuturnum.

QVidam ante triennium, per arduam & salebrosam viam iter faciens, cecidit, & post illum casum hactenus, dolorem lancinantem cum ardore aliquo, sub papilla dextra, toto hoc tempore passus est. Metuens ille etsi aliud nihil pateretur, ne interna viscera fortè læsa essent, multorũ consilio, & pro cuiusq; iudicio diuersis vsus est remedijs, tam euacuantibus quàm alterantibus, & acidis aquis, omnino interea diuque à Vino abstinuit: plerisq; à defluxione hoc proficisci autumantibus. Tandẽ ad me consilij causâ venit An. 1598. cumq; omnibus circumstantijs consideratis, in pectoris regione enarratâ, hoc illum tantùm sentire deprehenderem, nullisque alijs, nec tussiendo, aut spiritum ducendo, affici accidentibus, neq; etiam aliquid foris apparere, aut ex contactu irritari malum, nisi quando brachium agendo, illud validiùs mouebat, statim sub mamillari dextro musculo, pectori instrato, brachiumque attrahente, causam mali latere iudicaui, fuisseq; hunc musculum in casu, nixuq; tunc brachij vehemẽti, adeò distractum, vt aliqua sui parte, à subiectis musculis costisúe fuerit auulsus. In quod spatium, flatibus irrumpentibus vti in alijs locis, dolores fieri solent, sic & hic; tuncq; præsertim, cũ per validum motũ, musculus hic attollitur, succedentibus tunc flatibus, eamq; causam esse, quòd dolore tam diu perseuerante, perq; vices desinente, redeunteq;, nullus sequatur abscessus, aut alicuius humoris collectio, cûm morbi à flatibus geniti diuturni, subitoque irruentes, moxq; iterum cessantes, dolores hosce citra aliam

noxam proferre soleant. Quæ multis argumētis ad huius rei confirmationē, illi demonstrare conatus sum. Persuasiq; vt sequentibus vteretur remedijs.

Ad flatuum generationem impediendam, eorumq; discussionem, iussi eum bonâ victus ratione vti & moderatâ, singulisq; septimanis in stupha ieiunum sudare. Dein vt bis in mense sequentium pilularum ℥ ß.vel.℈.ij. sumeret.

℞.pilul Alephang. Assaiereth. an. ℥.j.ß.ol. Anisi gut. iij. Cum syrupo de Mentha, fiat Massula.

Post cibum, aliquot diebus continuis, postea alternis, vt sumeret huius puluer. cochl. j. statim in fine mensæ.

℞ f. Coriand. præpar. ℥ j ß Fœnic. Anisi an. ℥. ij. Carui, Sileris mont. an. ℥. j sp Diacyd. sine speciebus ℈.ij, Maioran. bacc. Lauri an. ℈.j. Rad Galang. ℥.j. Cinamom ℥. ß. Sacchari Rof. tab. iterum puluerisati ℥.ij. fiat Puluis.

Vt pectorale, quod latus affectum comprehenderet, ex puluere sequenti, interbastato inter syndonem rubram, cum bombace parari curaret, illudque collo appensum, pectoris mediæ sedi incumbens, sub thorace gestaret, quod.

℞.baccarum Lauri ℥. ß. semin. Carui, Fœnicul. an. ℥ ij. Maior. Spicæ celtic. an. ℈. ij. Sileris mont. ℥. j. Garioph. rad. Galang. an. ℥. ß. fl. Chamom. Lauand. Anthos an. ℥. ß. fiat Puluis; Pro pectorali.

Dein vt tertio die hoc Empl. in corio extensum similique forma pectoralis, loco prioris gestaret, syndone rubrâ substratâ, ne adhæreret tenaciùs.

℞ emplastri de Baccis lauri recēter dispens. ℥. iij. Diachylon. ireat & de Melilot. an. ℥. j. Malax. omnia ol. Irino adde puluer is Garioph. ℥. ij.

Quod si horum vsu non mutationem aliquā aut remissionem sentiret, vt aliquot dies manè ieiunus, hoc fotu pectoris regionem dolentem foueret,

ret, antequam emplastrum vel sacculum imponeret, eodemq; dum in balneo esset, vteretur.

℞. radic. Ireos, Bryoniæ ana ℥.j. herb. Calamin. Spicæ celt. Pulegij. Origani ana M.j. fl. Chamom. Melilot. Samb. an. P.j ſ. Carui ℥.j. baccarum Lauri, Iuniperi an. P. ß. Decoq. in Vino & Aqua ad vsum.

Lateris dolor punctorius, cum spirandi difficultate ex casu.

PRæfectus cuiusdam pagi, ebrius ex via secundum Rhenum elatiore, in inferiorem illius ripam decidit, latus in palū, sepis vimineę illic ripam à Rheni vi coercentem, eo casu vehemēter adegit: vnde grauissimo in thoracis latere, dolore punctorio, & spirandi difficultate laborare cœpit. Vrina, quæ 16. Aprilis Anno 1697. adferebatur, tincta admodùm erat. Qui sequentibus, meo consilio vsus, hoc pacto fuit restitutus.

Venam primùm aperuit medianam in brachio lateris dolentis.

Iulepum hunc duabus bibit vicibus, manè & vesperi: ℞. aquæ Plantag. Papau. rhœas ana ℥.j. ß. syr. de Iuiub. iulep. Viol. an. ℥.j. misce.

Latus dolens vnguento Resumptiuo inunxit.

Postea cùm dolor increbresceret, chirurgum, vt diligenter an costa aliqua fracta luxatáue, aut contusio adesset, inspiceret, iussi: & cùm nihil horum appareret, dolorq; ad inferiora quoq; descenderet, potionem hanc exhibui: ℞. syr. rosſ. sol. cum infuſ. Rhab. ℥.j. el. de succo Rosſ. ʒ.ij. Diaph. ʒ.j. cum aqua Plantag. & Cerefol. fiat potio.

Cataplasma sequēs lateri dolēti continuò applicare iussi: ℞. rad. Altheę, Bryonię an. ℥.iij. Lil. rec. ℥.iiij. Ficuum nu. xv. Maluæ, Absynth. an. M.j. coq. in Vino & Aqua, pistentur, adde far. ſ. Lini, Fœnogr. an. ℥.j. ſ. Carui ʒ.ij. ol. Cham. Lil. an. ℥.j. ß. misce fiat Catapl.

Horum vſu mitigatus dolor, ita vt iam 24. April. è lecto ſurgere, parumq; deambulare poſſet, cùm tamen punctiones redirent, Sacculum hunc lateri adhibuit: ℞. Furfuris ſcutellã vnam, far. Fabarũ ℥.j. Abſynth. & fl. Chamom. pulu. an. ℥.ß. coquantur in Aceto: Et vtatur calidè.

Ceſſarunt dolores, ſed mox aëri frigido ſe illo exponente, redierunt, vrinaq; denuò colorabatur. Metuens itaq; nouum ſanguinis in latus influxum, venam priùs ſectam rurſum 28. aperire iuſsi.

Et. 29. ſequentem potionem ſumere: ℞. ſyrup. Roſ. lax. cum inf. Rhab. ℥.j. el. de ſucco Roſ. ʒ.j. cum aq. Plantag. & Cerefol. fiat potio: Capiat ſtatim.

Cùm omnia remiſiſſent, iuſſi eum ad diſcutiendum reliquias, in balneo ſicco ieiunum ſudare, ſicque conualuit.

Lateris dolor in Febre Synocha.

VIde in Febribus. Lib. 11. Febris ſynochos, catharrus &c.

Pleuritis in puerpera, Lactis defectus.

PVerpera, horrore correpta, & febre continuâ, ſanguinem ſpuebat, punctoriosq; lateris dolores ſentiebat, Pleuritidem eſſe dixi, quam facilè lactantibus accidere, ob ſanguinis ad thoracẽ affluxum, lactis generandi gratiâ, alibi quoq; oſtendi.

12. Maij, Anno 1592. venam aperuit, brachij è regione loci dolentis.

Loco Vini decoctum hoc bibere iuſsi: ℞ Hordei, fl. Bugloſſ. an. P.j. Paſſul. ℥.ij. in menſura Aquæ decoquantur.

Diſſoluat cum ea interdum ſyrupum Violatum & Capill. ven.

Sumat

Sumat singulis matutinis, rasuræ dentis Apri ʒ j. cum præcedenti decocto.

Quia lac penitùs defecerat, 15. Maij, hoc decoctum manè & vesperi biberet, iussi: ℞. Hordei P. j. ſ. Anisi ʒ. ij. Ficuum num. x. decoquantur in Iusculo carnium, Pro duabus vicibus.

Dolore adhuc punctorio vrgente: ℞. Caricarum quart. j. decoquantur in Lacte, contundantur, addito ol. Chamom. Lateri dolenti applicentur.

17. Omnia in melius tendebant, & febre remittente sanata est.

Pleuritis in grauida ætate profecta lethalis.

MEmini Anno 1558. mulierem penè quinquaginta annos natam, longo tempore sterilem, tandem quoque grauidam factam, & quia illi mamillæ ob lac quod generabant, intumescebant, quę iam ætate ferè emarcuerant, accidisse, ob sanguinis illum ad thoracē affluxum, vt pleuritica facta, hoc morbo antequam fœtum pareret, extingueretur.

Pleuritis cum Angina lethalis.

SEnex quidam potationibus assuetus, Iureconsultus, subrufus, mense Iunio Anno 1592. cœlo sereno, in pomœrio, iuxta arcem suam dormiens, capite nudo radijs solaribus exposito, expergefactus, horrore correptus, subsequētē calore, de dolore punctorio lateris & ardore colli cōquerebatur.

Sequenti die, missâ vrinâ, cum ex ea & relatis febrem cognoscerem, & pleuritidis, & anginæ principium metuerem, iussi venam secare, quod ille tamen magno suo malo, quia veris tempore priùs iam aperuerat, omisit.

19. De dolore punctorio præsertim conquestus est, ord. Iulepum: ℞. Iulep. Viol. ℥. j. ß. Rosacei, syr.

Rof.simpl.an.℥.j.aquarum Buglof.℥.iij. Cardui bened. Cerefolij an. ℥.ß. Bibat duabus vicibus manè & vesperi.

Dein sacculum ex Furfure, & Rosis, madefactum in Aceto rof.lateri dolenti tepidè applicet.

12. Iunij vocatus, cognoui collum inflāmatum intrinsecùs vehementi ardore peruri, aliaq; anginę indicia, & periculum mox significaui, atq; Gargarismum præscripsi: ℞.rad. Liquiritiæ fol. Lactucæ an. M.j.fl. Maluæ autumnalis P.j. fiat decoctio diss. syr. Viol.℥.j.ß. syr. de Rosis rub.sic: Diamoron.ana ℥.ß.misce, Gargarizet.

Item teneat in ore Tab. Diatragach. frig.

Vnguent.resumptiuo collũ & thoracẽ inungat.

Cucurbitulas & scarificationem consului, sed renuit, & quia vires prostratæ, pulsus debilis, vrina confusa, & principium delirij, mortem præsagiebat, vrgere nolui, sed periculum prædixi.

Sequenti die cùm vires deficerent: ℞. aquam Buglosf.℥.j.ß.aquæ Cinam.℥.ß.Manus Christi ʒ.ij. iulep. Viol.℥.j.misce: Capiat frequenter.

Epithema cordiale applicetur: ℞.aquæ Rof.ʒ.ij. aq.Bugl. Meliff. an.℥.j.Aceti rof.℥.ß.pul.Diamarg. frig.ʒ.j.misce.

Sed mox agone mortis subsequente, 22. Iunij die extinctus est.

Peripneumonia & Defluxio in musculos thoraci instratos.

QVædam cùm nupsisset, mensibus totos nouem annos caruit, ita vt ne vllum vestigium illorum appareret, sana interim facie rubra, & crinibus rufa existens. Postea superuenientibus mensibus, attamẽ parcè fluentibus, 27. Octobris, qui dies Mercurij erat, Anno 1602. quo tempore defluxiones molestæ erant, sub meridiem horrore

horrore correpta, vix dum ad noctem vſque incaleſcere potuit, ſuccedente poſtea calore febreque continuâ; de pectoris regione dextra conquerebatur, illic ſe angi, punctionesque ſentire aiebat, nec in affectum latus decumbere valebat, ex contactu quinetiam lateris dolor augebatur, tuſsicula aderat leuis, exſpuebat ſpumoſa ſed pauca.

Peripneumoniam hunc affectum, inflammatis in loco doloris, pulmonibus eſſe iudicaui, febremque copulatam ſynocham, ex vehementi calore, facie rubra, oculorum venis turgentibus, capitisque dolore, agnoui. Et ſimul defluxionem in eam lateris ſedem procubuiſſe, eiusque muſculos præſertim intercoſtales pectorique inſtratos occupaſſe, dixi.

Quia menſium tempus inſtabat, venam in pede aperire iuſsi, altero die, qui Iouis erat.

Et vt hoc ſyrupo vteretur ſuaſi: ℞. ſyrupi de Iuiubis, Violis, Oxymell. ſimplic. an. ℥.j. miſce; Capiat frequenter cochleare j. Aliquando etiam tempore ſitis, cum Aqua cocta ex Vuis paſsis, Siliquis & rad. Liquirit. vſurpet.

Pectoris regionem vnguento Reſumptiuo inunxit.

Die Veneris reiteraſſem venæ ſectionem, ob faciem inflammatá, ſed quia aluus ab aliquot diebus erat ſuppreſſa, hanc potionem ei exhibui: ℞. ſyrupi Roſarum ſolut. ſimpl. ℥.ij. elect. de ſucco Roſarum ʒ. ß. aquæ Endiuiæ, Bugloſſ. q. ſ. fiat Potio. Deiecit & ſub noctem menſes ſuperuenerunt, ſed parcè, ſequentique die iterum ceſſarunt.

Quia de dorſi dolore admodùm cõquerebatur, iuſsi inungere oleo Chamomelino & Violarum.

Die Sabbathi ob ſummum æſtum, ſitim & inquietudinem, Epithema hoc pulſibus fuit applicatum: ℞. aquæ Roſarum ℥.ij. aquæ Bugloſs. Bor.

ragin. Aceti Rosac. an.℥.j. Santali rubri ʒ.j.ß. Camphoræ ℈.j. succi Limonum ʒ.ij. misce.

Pergebat interim in vsu expectorantium, quando tussis vrgebat.

Et cùm dolor punctorius augeretur, dedi die Dominica olei Amygdal. dulc. rec. express. ℥.j.ß. cum rasura Dentis apri in Iusculo, & sub noctem denuò cum aqua Cardui bened.

Vtebatur etiam tabulis Diatragach. frigid.

Die Lunæ, quia febris intensa & indies augebatur, ordinaui hunc Iulepum: ℞. Iulepi Violac. Rosacei an.℥.j.ß. succi Limonum ʒ.ij. Oxymell. simpl. ℥.ß. Aceti rosac. ʒ.j. aquę Endiuiæ ℥.j.ß. misce: Vtatur per vices.

Et cùm leue delirium accederet, aliquotq; iam deliquia animi passa esset, ita vt iam eam deplorarent amici, dixi crisim imminere, sextumque esse diem, qui Tyrannus & dici & esse soleat, septimum fore iudicatorium.

Sub noctem ad refectionem vsa est hoc cordiali: ℞. Manus Christi perlati ʒ. ij. Iulep. rosac. aquæ Cinamomi an. ℥.j. aq. Rosarum ℥.ß. misce. Sudauit ea nocte parùm, quæ tamen summè erat inquieta.

Martis die, qui septimus erat, cùm pulsum tangerem, febrem penitùs cessasse deprehendi: Et quia de angustia adhuc conquerebatur, & tussi, vt quod in pectore restabat, & musculis intercostalibus, absumeretur, iussi Ceratum hoc pectori imponere: ℞. Ficuum quartar. j. radic. Altheæ, Liliorum ana ℥.j.ß. seminis Lini ℥. j. Coquantur in Aqua & contundantur, addendo olei Violac. Amygd. dulc. an. ℥.j. Ceræ q.s. fiat Ceratum, addendo vt hæreat, parùm Terebinthinæ.

Expectorans quinetiam hoc ei præscripsi: ℞. syrupi de Liquiritia, Tussilag. Hyssopo an. ℥.ß. tabul. Diaireos, Diamarg. frigid. an. ʒ.j. Looch sani & experti

perti ℥.ij. fiat Looch, Capiat lambendo cum baculo Liquiritiæ.

Sequenti die, qui octauus erat morbi, cùm eam inuiserem, cibum capiebat, & cùm ita sensim se recolligeret, illi valedixi.

Peripneumonia, Melancholia, Hecticæ metus.

VIrgo nobilis, quæ ante annos aliquot febre cõtinua & graui melancholia laborans, consilio meo vsa, restituta fuit, mense Nouembr. An. 1597. quo catharri quam plurimos infestabant, eundem quoque prius passa, 20. illius mensis die, è templo domum reuersa, circa meridiem, frigore correpta, mox horrore percussa, copiosam euomens materiam, subseq. calore, febricitare toto hoc die, & sequenti cœpit, doloreq; capitis premi: Postea tertio die tussire, spumosum cum cruore permixtũ sputum excreare; accedente dolore punctorio lateris dextri, & compresione circa pectus, dyarrhoeâ quoque non tamen vehementi subsequente.

Consilio amitæ, quę catarrhum tantùm esse putabat, non alijs vsa fuit remedijs, nisi quòd caloris causâ, à vino sibi temperauit, & propter alui fluxum, Lac amygdalinum bibit, & propter punctiones aquam Cardui benedicti, semel atque iterum sumpsit.

Verùm cùm symptomata inualescerent, ægreq; excrearet, idque ob punctiones, cum magno dolore, viresque collaberentur, vocatus quarto demum ab invasione die, sciscitatus de omnibus, pulmonum inflammationem esse dixi, peripneumoniam scil. idque compresione quam insignem sentiebat pectoris permotus, accedente rubore maxillarum, cui capitis quoque iungebatur dolor,

& quia materiam pulmonibus inesse, ex stertore deprehendebam: dextrum tamen pulmonem potiùs affectum censens, cùm illic potissimùm & dolor & compressio infestarent, decubitusque in latus sinistrum molestiam pareret, & in dorso continuò decumbere cogeretur. Quæ etsi in pleuritide quoque accidunt (quam à peripneumonia parùm differre, cùm & in ea pulmones inflammentur alibi ostendimus) tamen ob causas dictas, peripneumoniam potiùs nominare voluimus.

Venam aperire (quod ab initio admodùm conduxisset) cùm iam quartus adesset, & non ampliùs cruenta expueret, nolui. Iussi itaque hoc iulepo tribus vti vicibus, statim manè, postea iterum sub vesperam, & circa medium noctis, haustum sumendo: ℞. Iulep Violacei ℥.iij. syr. de Iuiubis ℥.j. aq. Violarum ℥.ß. Manus Christi ℥.ß. misce. Item vnguentum Resumptiuum in panno linteo extensum, lateri dolenti applicare.

Et vt decoctum Passul. maior, enucleatarum priùs, loco sitis biberet.

Quinto die, calor intensus, pulsus celer, vrinæ tinctæ, excretio nonnihil cocta, sublutea, erat, aliũ itaque Iulepum præscripsi: ℞. Iulep Violar. ℥.ij. syr. de Iuiubis, Oxymel. simp. syr. de Tussilag. an. ℥.j. aq. Tussilag. Viol. an. ℥.j.ß. misce. Vtatur frequẽter.

Puluerem quoque hunc exhibui: ℞. oculorum Cancri ʒ.j.ß. Manus Christi perlati ʒ ij. fiat puluis subtilissimus. Capiat mediã partem manè cũ Iulepo, alteram sub vesperam. Vnguento resumptiuo manè & vesperi inunxit latus dolens.

Et quia tenax erat materia, quam expuebat, difficulterq; procedebat, acidaque expetebat, præscripsi: ℞. Oxymel. simp. ℥.j. oxym. Squil. ℥.ß. misce. Capiat frequenter lambendo.

Nox inquieta fuit, dolorque vehemens in axilla & lum-

& lumbis de nouo subortus est, qui tussiendo exacerbabatur, ex quo defluxionem accessisse conieci. Itaque fotu hoc eam uti iussi: ℞. rad. Altheæ ℥.j. Lilior rec.℥.iij. fl. Cham. Meliloti. Rosarum an. P.j. seminum Lini & Fœnogr. an. ℥. ß. sem. Carui ʒ.ij. fiat decoctio in Vino & Aq. infundatur colatura in vesicam, quæ semi impleatur, & strictè ligata, ne quid effluat, loco doléti tepidè applicetur. Cuius vsu mitigatum malum seq. die fuit, quo & continuauit fotum.

Sexto die admodùm imbecillis difficulterq; & cum multa tussi, luteas portiones purulentas excreabat, postea se per horas aliquot recolligebat, denuoq; redeunte tussi, quam stertor aliquis pulmonum præcedebat, aliquoties excreabat.

Vt promoueretur purulenta materia, & coqueretur, Eclegma hoc ordinaui: ℞. tab. Diaireos, Diamarg. frig. an. ℥. ß. Looch sani & exper. ʒ.iij. Sacchari cand. ʒ.ij. syr. de Liquiritia. q. s. fiat Looch: Capiat cum baculo Liquiritiæ lambendo. Item: ℞. olei Amygd. dulc. recent. expre. ℥.ij. Sacchari candi. ℥.j. Oxymel. scil. ʒ.ij. misce: Capiat aliquoties. Sub noctem citò spiritum ducebat, & quia iam per multas horas nihil expuerat, eam táquam morituram deflebant, ego bene sperare iussi.

Et pulsus Balsamo ex oleis destillatis parato inunxi, noctuque repetere iussi.

Septimo die, summo manè vocatus, cú inquieta admodùm fuisset, nec multùm excreasset, adhæc animo valde angeretur, ob melancholiam, quâ in morbis prioribus quoque diuexari solebat, esset, que summè debilis, in expectorantibus eam persistere iussi, quæ neglexerat aliquandiu, illorum q; loco transmissam conseruam Violarũ & Syrupum aliquem sumpserat; Itaque Looch iam absumptum reiterare iussi.

Et quia acida expetebat summopere, Hydromel maluaticum meum recens, permixtum pauca portione Aceti hydromelit. & minori adhuc aceti Squill. & pauxillo aquæ Rof. ob gratiam, exhibui, quod & libenter continuò, vti & sequentibus diebus, bibit.

Pectori cataplasma hoc ad concoctionem materiei applicandum præscripsi: ℞. Caricarum incis. P.ij. Micæ panis P.j. decoquantur in Lacte, adde farinæ sem. Lini ℥.ij. contusis, adde ol. Viol. Amygd. dulc. an. ℥.j.ß. Croci parùm, misc: Illinatur eo pannus linteus, tepidumque applicetur; quod & sub vesperam manequé renouatum fuit.

Quando tussis vrgebat, mox Hydromellite iterum vsa, vel Looch, multùum excreabat, præsertim iusculum quoque sumens, post cuius vsum faciliùs pus reddebat, copiosiusque.

Iam de Melancholia potiùs quam alio, conquerebatur.

Aluus indies fluebat, sed semel duntaxat, vel ad summum bis.

Octauo & nono, in eodem quo & in septimo die erat statu, multumque per vices, sineque magno labore spuebat, de melancholia quæ post meridiem reuerti solebat, potissimùm conquesta. In Hydromel: Looch. aliorumque expectorantium, & Cataplas: vsu pergebat.

Decimo sub vesperam, adeò melancholia inualuit, vt varias tentationes pateretur, ploraret, corpus mirè torqueret, agitaretque: consolationi tamen locum dabat, menteq; nihilominus cõstabat.

Et cùm biduo iam nihil deiecisset, & insomnis esset, ob hasce graues cogitationes, dedi seq. ℞. conf. Alberures ℈.j. syr. de Papau. ℥.ij. aq. Buglos. ℥.j. aq. Cinamom. ʒ.j. Iulep. ros. ℥. ß. misce: Bibat mediam partem ineunte, alteram media nocte.

Vnde-

Vndecimo die summo manè accedēs, dormientem reperi. Verùm excitata, iterū solitis suis phantasmatibus vexabatur, Deumque se negligere, nec exaudire velle, sibi in mentem venire, clam mihi reuelabat. Excreabat sæpius vsu expectorantium prædictorum.

Sub noctem clyster ad melancholicas exhalationes diuertendas iniectus fuit: ℞. rad. Altheæ ℥. j. herb. Maluæ, Buglossi, Brassicæ, Betæ an. M. j. rad. Polypodij ℥. ß. Epithymi ʒ. ij. fl. Viol. Chamó. Anethi Furfuris an. P. j. sem. Lini, Cucurb. an. ℥. ß. fiat decoctio, diss. in ℔. j. Sacchari rub. ℥. j. Mellis viol. ℥. ß. olei Viol. Chamom. an. ℥. j. Hieræ picræ ʒ. ij. Salis parùm fiat clyster. Retinuit aliquandiu, postea inuoluntariè illum reddidit, lectumque eo commaculauit. Bis quoque ea nocte, quæ admodùm inquieta fuit, deiecit.

Duodecimo cogitationes hæ sinistræ penitùs cessauerunt, totoque die meliùs habuit, multum excreauit. Hydromel superiùs descriptū & Looch repetita sunt. Nox quæ secuta, quieta, plusq; dormivit, quàm priùs toto morbi tempore.

Sic quoque decimo tertio die se habuit, quietaque fuit. Pulsus tamen adhuc febrilis, vrinæ tinctę, cùm copioso sedimento, tussis aliquoties infestabat, & cùm excretio non tàm promptè succederet, mutaui eclegma hoc pacto: ℞. tab. Diatrag. frigid. Oxymel. squil. syr. de Liquiritia, de Hyssopo, Penidiarum an. ℥. ß. misce.

Item teneat in ore Saccharum penidiatum.

Vtatur ferculo Butyri cum Amylo & Saccharo Aquaque rosacea, vti Germani parant.

Iusculis sustentabatur & pane Martio, quo delectabatur.

Decimoquarto & decimoquinto, Clystere repetij, quem prima vice iniectum cùm non retinuisset,

altero die denuò fuit repetitus, illumque vix dum quartæ horis ſpatio continere potuit, ab vtroque tamen fæces aliquas excreauit. Satis bene ſe habebat, & proin expectorantibus vti perrexit.

Decimoſexto, appetitus paululum redire cœpit: Prunis & Pomis coctis vtebatur. Vinum, cùm vrina adhuc tincta eſſet, nondum volui concedere: Potum Seri lactis expetebat, quod & conceſsi.

Poſtea dies tres pulſus ſemper febrilis, vrinaque tincta, cum copioſo craſſo ſedimento apparuêre, ipſaque membris admodùm conquaſſatis fuit. Tuſsi tamen, excretione, aluoque conſtipata remanente.

Dedi itaque decimonono die Mannæ ℥.j. cum Iuſculo, ſed mox iterum vomuit.

Iuſsi ſub veſperam hunc clyſterem inijcere: ℞. rad. Altheæ ℥.j.ß. herb. Maluæ, Betæ an. M.j.ß. fl. Bugloſ. Borrag. Chamom. Viol. Furfuris an. P.j. ſem. Fœnic. ʒ.ij. Ficuū numero v. fiat decoctio in quartarijs tribus diſſo. Sacchari rub. ℥.j. Caſsiæ cū Melle ℥.ß. Hieræ picræ ʒ.ij. ol. Viol. ℥.ij. Salis parùm: iniectus fuit, ſed vix quartam horæ partem retinuit, poſteaque nonnihil tamen excrementis permixtum, deiecit.

Cùm ſequenti die nulla amplius ſequeretur deiectio, vigeſimo primo, extracti mei Diacyd. ʒ.j.ß. dedi, & tertia poſt hora tres habuit deiectiones copioſas, ſine omni moleſtia, quæ valde profuerunt, beneque poſtea dormiuit.

Rurſum verò conſtipatæ, cùm biduò poſt, idem exhiberem medicamentum, nihil promouit, cuius causâ Clyſterem ſub veſperam ſequentem ſine Sale, vt retinere diutiùs poſſet, præſcripſi: ℞. Hordei integri, Furfuris an. P.j. Maluæ M.j. fl. Cord. P.j. ſeminis Carui ʒ.j. fiat decoctio, in colatura non copioſa, diſſolue Caſsiæ cum melle, Mellis viol. ol.

Viol.

Viol.an. ℥.j.ſucci Betę ℥.ß.fiat clyſt. Per tres horas illum retinuit, poſtea deiecit fæcibus permixtum, maneque ſeq.iterum ſedem habuit.

Ab eo tempore, cùm adhuc aluus ſubſiſteret, pulſus citus ſemper permaneret, vrinaque craſſa & tincta, atque interea tamen multùm dormiret, cibumque appeteret, de hectica metuere cœpi, clyſterem iterum inijciendum biduo poſt, die morbi 26. curaui, addito, vt meliùs ſtimularet, tantillo Salis: Ex quo binas ſedes excrementis permixtas habuit.

Sequenti die 27.potiunculam purgantem exhibui, ſi fortè biliosa aut alia maligna adhuc ſubſiſtens materia, calorem hunc præternaturalem in corpore ſuſcitaret; præſertim cùm priùs in excrementis, inſtar oui vitelli putreſcentis, fœtida deprehenſa eſſet materia: ℞.Rhabarbari ℈.quatuor, inf. in aqua Endiuiæ & pauco Vino, fiat expreſsio, adde ſyr. Roſ. ſol. cum inf. Senæ ℥.j.aq.Cinam.parum, Bibat. Deiecit quater huius vſu, cõmodumq; inde ſenſit, paulatimque ad ſe redire cœpit. Verùm quia pulſus adhuc citus perſiſtebat, hecticam metuens, iuſsi eam in cordis regione, hunc ſacculum geſtare: ℞. flor.Roſ.ʒ.ij. Viol.Bugloſ. Borrag.Nenuph.an.ʒ.j,Santali rubri ʒ. ij. ſyr. acetoſ.Citri ʒ.j. Coralli ʒ j.ß.Gariophyl.ʒ ß. fiat ſacculus, interbaſtatus in ſindone rubra; Apponatur cordis regioni, irroratus interdum aq.Roſaceâ pauco vino dilutâ.

Cùm iam deambulare inciperet, roburq; corporis augeretur, de nouo ſuperuenit tuſsis, per quam multum pituitæ excreabat, quâ repurgatâ, à tuſsi poſtea eo die libera erat. Perſeuerauit hoc ad dies aliquot, citra aliud incõmodũ, cùm in reliquis omnibus bene ſe haberet, & multũ dormiret. Poſtremò & hæc ceſſauit, vti & pulſus ille citus, qui mihi ſemper ſuſpectus erat, ſicq; exactè reſtituta fuit.

C

IN CORDIS DOLORE Obseruationes.

Cordis dolor seu Cardialgia, Ventriculi rosio, Vomitus biliosus, Oris amaritudo, Lipothymia & Articulorum dolor.



EX terrore, ob casum infantis, cùm ancilla, illum vlnis gestans, per scalas ceciderat, honesta quædam patriciæ familiæ matrona, eum adhuc lactans, perculsa, articulorum dolores graues & cardialgias, cum rosione cordis, oris amaritudine vomituque bilioso, accedentibus lipothymijs, patiebatur. Accedens 24. Aprilis, Anno 1592. conieci bilem commotam fuisse, quam ex terrore æquè ac ira concitari solere, aliàs etiam obseruaui.

Ob quam causam, hanc cùm expurgare cogitarem, illaq; Clysma admittere, quàm per os aliquid sumere mallet, quod priùs mense Aprili dysenteria laborans, huius vsum valde sibi profuisse diceret, tale ord: ℞. rad. Altheæ ℥.j. Maluæ, Betonicæ, Saluiæ an. M. j. fl. Chamom. Meliloti, Sambuci an. P. j. seminis Carui ʒ.ij. sem. Fœniculi ʒ.iij. sem. Lini, Fœnogr. an. ℥. ß. fiat decoctio, dissolue Bened. lax. ʒ.iij. Mellis ℥. j. ol. Chamom. Anethini an. ℥. j. ß. Salis parùm, fiat Clyster, Detur.

Altero postea 26. Aprilis die, sequēti modo eam purgaui: ℞. syrupi Ros. sol. cum infus. fol. Senæ & Agar. ℥. j. ß. dissolue cum aqua Cinam. ac Buglossi. Bibat.

Sequentibus diebus animo frequenter deficiebat, vt etiam mediâ nocte vocarer, exhibuique: ℞. aquæ Cinamom. ℥. j. succi Limonum ʒ. ij. sp. Cord. ʒ. ß.

℥.ß.misce; Capiat tribus vel quatuor vicibus.

Quo absoluto, alium Iulepum præscripsi: ℞. iul. lep.Rof.℥. ij. aquæ Cinam. ℥. ß. Manus Christi ʒ. ij. syrupi de Limonibus ℥.ß. misce; Capiat frequenter coch. j. vel ij.

Viribus nonnihil recollectis, sed perseuerante rosione ventriculi à bile, 2. Maij, & conatu vomendi, vomitorium sequens propinaui: ℞. sem. Atriplicis ʒ. j. rad. Asari ʒ. ij. fiat decoctio, dis. ol. Amygd. dulc.℥.j. Oxymel, simp. ℥.ß. misce, Bibit & faucibus irritatis vomuit.

Sed quia maiori expurgatione opus erat, sequẽti die, purgans dedi: ℞. Absynthij ʒ.j. fl. Buglossi, Viol.an.ʒ.ß. Rhabar.℈. quatuor, Cinam.ʒ.ß. infundantur in Vino albo: Expressionem bibat: Vnde purgata fuit placidè, & benè se habuit.

Quinto Maij, quia de amaritudine oris conquerebatur, ordinaui: ℞. syr. de Agresta, de Limonibus an.℥ j.ß. aquæ Rof.℥.j. aquæ Cinamom.ʒ.ij. misce; Capiat potionem per vices.

Sexto Maij, non cessante amarore illo, priorem potionem purgantem denuò sumpsit. Profuit & hæc.

Octauo Maij, quia maiore adhuc euacuatione videbatur opus habere, sic potionem ordinaui. ℞. Absynth. ʒ.j. fol. Senæ ʒ.iij. sem. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ß. Rhabarbari ℈. quatuor, Cinamom. ℈.ij. fiat infusio in Vino albo, expressioni adde syrupi Rof. sol. ℥.j. Capiat. Ex hac potione aliquoties deiecit.

Decimo Maij, quia adhuc perseuerabat oris amaritudo, iussi bibere Vinum absynthites, cum floribus Cordialib. Cuius vsu sensim remisit morbus, meliusque habuit.

Decimo tertio Maij, nouum superuenit accidẽs; defluxione in thoracis musculos delapsâ, vnde magna exorta fuit pectoris angustia.

Iussi itaq; vt extrema fricarētur, & oleo Amygd. dulc.& Chamom.pectus inungeretur. Dein sequēti die, quia calebat; & adhuc oris sentiebat amarorem. Iulepum hunc exhibui: ℞.iulep.Ros.Viol.an. ℥.j.syrupi de Limonibus ℥.ß. aquæ Ros.Buglos.an. ℥.j.misce, Vtatur.

Quia de ventriculi imbecillitate cōquerebatur, dedi 15.Maij, syrupum Cydoniorum.

Cœpitq; meliùs habere, sed quia purgatione adhuc opus habebat, præscripsi 17.Maij: ℞.Absynth. ʒ.j.ß.fl.Cord.ʒ.j Senæ ʒ.ij. sem. Fœn.ʒ.j Rhabarari ℈.quatuor. Cinamom. ʒ.ß.infundantur in Vino, exprimatur, adde syrupi Diasereos ℥.ß.misce: Sumat, deiecit egregiè.

Atque ita integrè restituta conualuit.

Cordis dolor, seu Cardialgia, Tormina, Cachexia.

VIrgo quædam nubilis à multis iam annis, cardialgiâ seu cōpressionis circa ventriculi regionē dolore, vexabatur, ructus continuò edebat acidos, in hypochondrijs murmura & rugitus audiebantur, tormina frequentia ventris, & dolor capitis eam infestabāt, colore pallida, cachectica, mensesq; nō decēter fluebant. Ab imbecillitatē vētriculi & obstructionib.viscerū, hæc proficisci, exposui.

Multis etsi iam vsa esset remedijs, illisq; fatigata, tamen bonâ spe auxilij mei, mihi casum illi exponenti, & curandi modum proponenti, se parituram est pollicita.

Itaq; An.1558.Pilulas vsuales leues, & quę simul ventriculū roborarent, neq; enim fortia vllo modo ferre potuit cathartica, prę scripsi: ℞.pilul.de Hiera simp.ʒ.j.ß.Alephang.Assaiereth.Agar.troch.an.ʒ.j. Rhab.el.ʒ.ß.Cinam.℈.ß.cum succo Apij fiat pilularū massa; capiat ʒ.ß.cū pomo cocto, hedomadatim.

Electuario dein hoc vsa est: ℞. confect. Arom. rof. descrip. Gab. ℥.ij. conf. Rof. antiquæ & fl. Cichorij. an. ℥.j. cõserue Scolopend. cort. Citri cond. an. ℥.ß. Cineris intestinorum & pelliculaǖ ventriculi gallinæ ʒ j. ß. limaturæ Chalybis præparat cũ Aceto ℥. ß. Troch. de Rhabarb. ʒ.iij. de Eupatorio ʒ.j. ß. spec. Triasantali duplicato Rhab. ʒ.j. sp. de Gemmis ℈.j. cum syr. de Menta & Bysantijs fiat electuariũ; Capiat, ad quantitatem nucis, manè horis duabus ante prandium, superbibendo Vinum generosum, dilutum aquâ Absynth.

In fine mensæ mixturâ hac vtebatur: ℞. carniũ Cydon: saccharo cond. ℥.ij. conf. Rof. antiquæ ℥.j. ß. cort. Citri cond. ℥. ß. Coralli rub. vsti & loti, rasuræ Eboris & cornu cerui an. ʒ.j. sp. Diacydon: sine speciebus ℈.j. Cinam. ʒ. ß. Sacchari ad pondus omniũ, fiat mixtura: Capiat cochl. j. post pastus singulos.

In ventriculi sede, scutũ sequens stomachale gestet, & saltem cũ cibũ sumptura est, deponat, eóq; sumpto reponat: ℞. emplastri de Mastich. & pro Stomacho an. ℥.j. pul. rad. Galangæ ʒ.iij. Garioph. ʒ. ß. Ladani ʒ j. Coralli rub. ʒ. ß. cũ ol. Absynth. fiat emplastrũ extensum in corio, in forma scuti.

Hepatis regionẽ semper manè inungat: ℞. olei de Absynth. Nardini an. ℥.ij. ol. Cydon. ℥.j. Spicæ vtriusq; ʒ.j. rad. Cyperi, Asari, Santali rub. & albi an. ʒ. ß. Ceræ q. s. fiat Linimentum.

Horum usu ita restituta est, vt postea de hisce nihil ampliùs sit conquesta, vixitq; annos ab eo tempore exactos triginta octo, successum hunc, in praxis meæ initio, prædicans.

Ventriculi imbecillitas, Zingiberis usu correcta.

Affinis quidam meus, vir doctissimus ex febre quartanâ, quâ laborauit per trienniũ, imbecilli

tate ventriculi contractâ, iussus à D. Erasto, manè Zingiber crudum comedere, cùm id maiori etiam copiâ assumpsisset, quàm fortasse edoctus erat, ab eo tempore vltra triginta annos, singulis matutinis, duas radices magnas Zingiberis, paululũ saltẽ masticatas deglutiuit, facitq; adhuc, nec quicquam ab eo tempore mali, in ventriculo sensit. Immò alacrior inde ad omnia munia gnauiter obeunda redditur solitus. Quo tam multorum annorũ huius aromatis usu, hoc sibi adeò familiare fecit medicamentum, vt nec die vno, sine noxa, illo carere ampliùs possit.

Ventriculi refrigeratio.

PRinceps quidam ecclesiasticus, cùm Aquam quandam, in sua ditione scaturientem, cui plurimũ in varijs affectibus sanandis vulgus tribuebat, diu bibisset, atq; ventriculũ sic refrigerando, imbecillitatẽ inde contraxisset, vt eam emendaret, Zingiber conditũ sæpe affatim comedit, sed inualescẽte morbo, cùm moreretur, atq; corpus illius aperiretur, in ventriculo eius, Zingiberis librã vnam inuenerunt Medici, qui hoc mihi narrarunt.

Ventriculi ardor, Sitis cum Tentigine.

VIde in Salacitate Lib. I. Tentigo, Ventriculi ardor, Sitis.

Ventriculi ardor, ob maculam luteam in eo deprehensam.

VEntriculũ à bile flaua, ea sede, quâ vesicula bilis ventriculo substrata, illum attingit, tingi, maculâ latâ luteâ, ad interiora illius quoq; penetrante, commaculari, aliquoties obseruaui: Illisq; præsertim, quibus viuentibus, perpetui ventriculi ardores molesti erant, hoc accidisse notaui.

Idem

Idem in sectione generosę cuiusdam, quæ in partu obijt, inuenimus.

Dein & in ea, quæ calculum renum gerebat & multoties abortierat, vti in Hypochondriaco dolore mox ostendetur. Vide calculus immensus renum, &c.

Ventriculi macula nigra.

MAculam nigram quoque admodùm, in ventriculo furis cuiusdam capite truncati, tum in exteriore tum interiore ipsius superficie apparentem, similiter spectaui.

Ventriculus cum septo perforatus.

VEntriculum in puero quodam phthisico, quẽ secui, tribus foraminibus exesum, septumque illius foramine amplo perforatum, à puris copia atq; acrimonia, quod ex thorace in abdomen defluens, has partes & musculos quoque abdominis, ad superficiem cutis vsque eroserat, vbi vesica subliuida, circa vmbilicum ea regione, quâ pus sibi viam ad exitum facere nitebatur, apparebat, multis fide dignis testibus deprehẽdimus. Quam rem admiratione dignam, magis stupendam reddebat, quòd puer ante obitum non contabuerit, sed benè habitus adhuc existẽs, nulla alia affectuum indicia externa, quàm quòd ventre erat inflato & subliuido, in quo vesica subnigricans circa umbilicum ea regione, quâ pus sibi viam ad exitum facere nitebatur, eminebat, ostenderit. Quæ verò alia passus sit symptomata, sciscitari minimè licebat, cùm corpus inscijs parentibus, in villæ cuiusdam cœmeterij sepulchro, media nocte solus, manibus scalpendo, nec labore, nec terrore deterritus (tanto cognoscendi ardore tenebar) eruerim.

Ventriculo innatus callus.

IN ſectione cuiſdam ſupplicio affecti, deprehendimus, callum durum vẽtriculo innatum, quem ex vlcere eius, aut læſione alia, luxuriante, cum cicatrix induceretur carne, natum iudicauimus. Atque ex eo vlcera ventriculi quandoque ſanari poſſe, aut vulnera, coniecimus. Quod vt crederem, ſequens etiam hiſtoria me impulit.

Cùm porcus mactaretur, ſanus alioquin & benè ſaginatus, bacillum acutum digiti craſsitie ventriculi ipſius ſubſtantiam penetrantem, atque intus foriſque callo in ambitu bacilli circumducto adeò firmiter innatum, vt nonniſi ſectione eximi poſſet, lanius mihi oſtendit.

Ventriculi compreſsio cauſa cardialgiæ.

HVius compreſsionis cauſa eſt veſiculæ bilis ſitus & anguſtia, quæ inter ventriculum & hepar ea ſede, quâ bilis illius cauæ ſedi innaſcitur, occurrit. Quę picrocholis ijs quibus ampla plenaque hæc veſicula eſt, plerunq; accidit, quòd cùm ventriculo pleno, & dum concoctio præſertim fit, ſcribentes vel aliud quid hoc ſitu corporis agentes, incumbunt, bilisque veſiculam premunt, oris amaritudine & cordis roſione diuexentur. Quod malum peritiores vſu edocti, mensâ altiore, ita vt ſtádo res peragentes, minùs corpus inclinent, corrigere ſtudent, qui mos ſtudendi nunc eruditis conſuetus eſſe ſolet.

Cardialgia, cum impedimento veluti bolo in faucibus.

CVidam fœminæ, de dolore ſtomachi, cũ nauſea ac difficultate aliqua deglutiendi, ac ſi bucella

bucella in faucibus hæreret, iam longo tempore conquerenti, cùm sæpè varia atque inter reliqua etiam vomitoria exhibita, nihil effecissent, illaque vnicè vomere cuperet, & adhuc robusta esset, dedi Aquam destillatam ex Nucibus viridibus, cum Raphano priùs in Aceto maceratis, quâ aliàs vomitum mouere solitus eram, sed in illa nihil effecerat, itaque addidi, Vini albi in cuius ℥.ij. Stibij vitreati pul. gr. iij. macerata per noctem fuerant, ℥.j.ʒ. vt biberet. Quo facto copiosissimâ materiam quinquies euomuit, & postea ab eiusmodi cardialgia, & impedimento in faucibus, penitùs liberata est.

Cardialgia in Febre Tertiana.

VIde in Febribus. Lib. II. Tertiana intermittens duplex obstructio &c.

Ventriculi nimia distentio, à panis deuorati copia.

PVer quidam famelicus, cùm panes albos, qui denario venduntur, duodecim se vna vice deuorare posse cum alio deponeret, & penè omnes deuorasset, tanto distendente cordis dolore angi cœpit, simul insuffocationis periculo versatus, vt vix mortem instantem euaserit.

Ventriculi nimia repletio, à carne ingesta, causa mortis.

MAtrona quædam nobilis vetula, deuota admodùm, cùm per totam quadragesimam ab esu carnium abstinuisset, cùm die Pascatis prandij horam expectare non posset, summo manè in templo missâ auditâ, domum reuersa, carnem coctam auidè comedit, vti & postea rursum in prandio, ea se adeò repleuit, vt non solùm grauamen circa ven-

triculi regionem, sed & summam pectoris angustiam difficilemque respirationem, inde passa sit. Vocatus ad eam, cùm ob loci distantiam, quæ erat vnius diei, tardiùs aduenissem, inueni eam hoc biduo adeò debilitatam, & ob retentum cibum incoctum obstructam, vt nec clysteribus, nec exhibitis per os, infra supraque excretio promoueri potuerit, & sic veluti suffocata extincta fuit.

Cardialgia & Febris ex esu Sij Crateuæ.

IN febrem nobilis quidam incidit, media nocte, cum horrore vehementi, & subsequente calore magno. Anno 1598. Durauit ad meridiem vsque. De ventriculi dolore admodùm conquerebatur, ructus edebat, ardorem sentiebat. Cùm quidnám cœnasset, quærerem Sion Crateuæ cum Garo magnâ copiâ se in cœnâ esitasse, dicebat: ex quo hæc illi nata symptomata fuisse, indicaui. Cùm in alijs quoque viderim, picrocholis præsertim, qualis & ille erat, noxam ex illius vsu ventriculo inustam, cùm acris sit planta, quæ ventriculum vellicat, accendit, & quæ inbilem facilè conuertitur, sicuti & à nasturtio accidere solet, præsertim si non Aceto oleoque copiosè additis, in acetarijs vis illorum infringatur. Sine quibus cùm & hic nobilis Sion illud cùm solo garo, piscium comedisset, citiùs etiam ab eo læsionem ventriculi sensit. Quæ tamen purgante cholagogo medicamento, intra triduum iterum cessauit.

Cardialgia

Cardialgia & Colicus dolor, post vsum Hellebori.

SAcerdos inordinatè viuens, se purgare volens, circumforanei consilio helleborum sumpsit, à cuius vsu vehementer supra infraq; purgatus, postea dolore & ardore ventriculi, & colico grauiter afflictus, consilium petijt. Anno 1597.

Dedi illi statim ad mitigandũ sensum vẽtriculi, & quia conuulsiones, quæ ex spasmo flatulẽto, quem iam sentiebat, metuebam, Narcotici mei ʒ. ß. & vt sequenti nocte repeteret iussi.

Et vt ventris totam regionem oleo Mastichino, Cydoniorum, Rosarum, & Chamomelino illiniret.

Triduo post, se meliùs habuisse, horum vsu, me certiorem reddebat, verùm nũquam interea deiecisse, torminaq; grauia ventris persensisse. Adhæc vrina tincta, ipseq; ictero flauus: Itaq; Vinum hoc præscripsi: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j.ß. rad. Fœniculi, Petrosel. an. ℥.j. Ireos ℥.ß. Enulæ ʒ.ij herb. Absynth. Chamæpith. Chamædr. Maioran. an M.j. fl. Cord. P.j. semin. Coriandr. ʒ.ij. Fœnicul. Carui an. ʒ.j. fol. Sennæ ℥ j.ß. rad. Bryoniæ ℥.ß. Zing. ʒ.j. cõquassentur pro Vino; Vtatur alternis diebus.

Item: ℞. hydrom. Meluat. ℥.iiij. syr. Cydon. ℥.j.ß. misce: Vtatur cum crusta Panis & per se.

Dein: ℞. conseru. Rosarum, Maioranæ an. ℥.j.ß. cons. fl. Lauandulæ, Primulæ veris (ad conuuls. vel paralysim præcauenda) an. ℥.j. syrupi de Papau. ℥.j. misce fiat electuarium: Capiat de eo alternis noctibus, cubitum iturus.

Non potuit satis postea prædicare, quàm egregiè fuerit restitutus, cum diu priùs malè esse dispositus, & ob sumptum helleborum in magno fuisset periculo.

Cardialgia vehemens, Vomitio ex Aconiti exhibitione, quâ quidam mortis periculum euasit, & simul à febre liberatus est.

Foemina quædam se prostituere solita, marito infensa, eum febricitãtem è medio tollere cogitans, hanc occasionem nacta, ad me vrinam detulit, vt illi remedium quoddam præscriberem, quod & feci, atq; ex Rhabarbaro leuem potionem præscripsi, quam illa non parari curauit, sed pharmacopœum accedens, radicem Lycoctoni Aconiti ab eo petijt, vt eâ lixiuio, pro ablutione capitis infantib. ad pediculos enecandos, incoqueret. Quam cùm illa in iusculo decoxisset, marito ægro, tanquam à me ordinatam potionẽ propinauit, astantibus indicans, me lethalem hũc morbũ esse proũntiasse, q̃ falsum erat. Ille sumpto hoc toxico, cardialgia graui affectus, crebrâ & vehementi vomitione, à periculo mortis & febre simul fuit liberatus.

Cardialgia mortalis ob arsenicum propinatum.

Vinitor quidã ciuis huius vrbis, adulterio cum vicini vxore commisso, eam vti postea fassa est imprægnauit, quæ filium inde genitum marito adhuc viuente, & nihil suspicante, tanquam ab ipso procreatum, educauit. Verùm illa maritum suum, fastidiens, & adultero magis adhęrens, de eo è medio tollendo consilium cum adultero iniuit. Qui arsenicum à pharmacopæo, prætextu murium eo interficiendorum, emens, mulieri vt marito propinaret, tradidit. Cuius dimidiũ in Lacte calido, cùm marito ientanti in syluam vicinam ituro propinasset, mox id eum magno impetu reuomuit, sicque liber

liber tunc euasit. Cæterùm cùm in placenta panis postea denuò illi reliquum exhibuisset, dolore & angore correptus, intra triduum exspirauit. Nec multis diebus interiectis, adultero nupsit, & cum eo rursum sobolem progenuit. Tandem hydropica facta, diu decumbẽs & miserè afflicta, ante mortem confessa est aliquibus delictum, vnum ex libe-beris quem existimarent, prioris mariti esse sobolem, adulteri esse, & proin in hæreditatem cũ prioriti mariti liberis non admittendum, simul etiam quòd veneno è medio eum sustulisset, fassa. Cùm autem eâ mortuâ filium ex adulterio natum, excludere ab hæreditate vellent amici, quibus hoc innotuerat, & pater resisteret, lite inter illos suspicioneque apud alios vicinos, adulterij sæpiùs commissi, exortâ, â magistratu incarceratus, & torturæ subiectus, adulterium, & quòd venenum emisset, atque adulteræ dedisset, quoq; pacto hoc illi exhibitum esset, confessus est, ob idq; delictum 10. Iulij Anno 1613. capite plexus fuit.

Ventriculi offensa, ob lapides deuoratos.

CIrcumibat hic ante ante annos aliquot puer quidam mendicans, quęstum miserum & horrendum simul exercẽs, pro quatuor obolis, lapides quamplurimos, quos hinc inde colligebat iuglandis quoq; nucis magnitudine, vna vi ce quã citissimè deglutire solitus, adeoq; ventriculum implens, vt ex collisione horum, dum premebatur, strepitus apertè audiretur. Hos deinde sine labore excernẽs, ablutosq; rursum, vel alios de nouo collectos, deuorabat. Quem post menses aliquot, eadem adhuc exercẽtem, denuò Friburgi inueni & vidi, Quamdiu verò vixerit, aut quid tandem eo sit factum, intelligere non potui, non tamen dubito, tandem ita ventriculũ debilitatum, vt diu viuere nõ potuerit.

Cardialgia, Raucedo ob deglutitum scarabæum.

PVellus quidam, nondum anno ætatis completo, à matre in vinetum deportatus, casu, non obseruante hoc matre, Scarabæum nigrum, oblongum viuum deglutiuit Anno 1601. in Augusto. Cœpit inde ploratu, molestiá quam circa ventriculum sentiebat, testari, cibum respuere, raucus fieri. Quorum causam cùm parentes ignorarent, anxij cibum illi obtrudebant. Tandem elapso biduo, cùm aliquid introimisisset, admodumque torqueretur, vomitus superuenit, quo scarabæum vnà cum cibo & pituita, sed mortuum euomuit. Ex quo parentes causam mali, & quòd cùm in vinea fuisset, hoc illi acciderit, cùm ab ea hora malè habere cœperit, colligere potuerunt.

Cardialgia & cruciatus maximus ob deuoratam anguillam.

IN vrbe S. Gallensi Heluetiæ, Eques quidam stipendiarius, homo facetus & histrio, anguillam iam grandem, manibus versans, atque ac si eam deglutire vellet, ori adhibens, illa capite in os ipsius ingesto, per gulam cum impetu in ventriculum descendit, & post modum intestina peruadens, summos illi dolores, & lipothymias intulit, adeò vt de vita illius desperarent, idque donec elapsis multis horis, eam per aluum rursum, non ampliùs viuam, sed veluti excoriatam, excreuit.

Similis casus ob deglutitum cochleare.

CApitaneus nobilis Valesianus, in die Cinerum, quo quæuis licenter perpetrare solent, seq;

seq; inuicem commaculare, in rheda cum alijs per vrbē bacchatus, cochleari lac comedens, alijsq; infundens, eosq; conspurcans, cùm cochleare ori suo inditū dentibus mordicùs teneret, manubrio tantùm apparente, socius illi assidens manu adeò ipsi in fauces impegit, vt cùm euellere nequiret, illud deglutire coactus fuerit. Vnde grauissimè cruciari cœpit, à meridie quod id factum, ad sequentis diei diluculum vsq;, quo tempore illud rursum, sed valdè ægrè, & cum alui lancinante summo dolore, in podice hærens, vix extraxit, moxq; surgens, comilitonibus suis, qui ientabant, & de illius doloribus loquebantur, clam accedens, in offam sordidum, vt erat, proiecit.

Cordis dolor in Animi perturbationibus.

AB affectibus & ægritudinibus animi illiusque perturbationibus, Tristitia & Mœrore præsertim, ob rem charam amissam, aut ob delictum graue comissum, aut alijs de causis, priùs in Animi diuersis perturbationibus expositis, dolor quidam in cordis, vt vocant, seu ventriculi potiùs regione tantus oboritur, qui rodendo & premēdo adeò excruciat, vt minùs sæpè eum se ferre, quàm cardialgiam à ventriculi morbo procedentem, posse clamitent: Qui vix donec animus rursum quietus euadat, cessat, sæpeque ad desperationem vsq; dolore hoc oppressum adigit.

Cordis dolor, in luctu ob mortem illorum, quos summè dileximus.

OB mortem liberorum, parentum, coniugis, vel etiam amicorum fidelissimorum; hoc modo plurimos, de summo cruciatu, & cordis dolore, quo

mirè angebantur, conqueſtos, non ſolùm audiui, ſed & ipſe eum expertus ſum, ob quem vti in vera cardialgia ventriculi, etſi proprio morbo non teneatur, functiones nihilominus tamen labefactantur, appetentia proſternitur, concoctioq; læditur. Grauis ſanè & intolerabilis dolor, quem ſæpè non niſi temporis longinquitas aut mutat aut minuit, & qui hominem interdum conficit.

Cordis dolor ob amiſſum proceſſum iudicialem deſperationem cauſans.

Ciuis cuiuſdam noſtri vxor Burgunda, circa Annũ 1554. cùm hæreditatis potiundæ causâ, diu in foro litigaſſet, & in iure ſuo perſequendo, maiori parte ſubſtantiæ inſumptâ, causâ tamen cecidiſſet, de hoc cordis dolore, diu cõqueſta, nec conſolationem admittens, etſi pia eſſet mulier, tamen doloris huius impatiens, ſummo manè cùm ſurrexiſſet, indutis veſtibus, relictâ zonâ, & huic appenſo loculo, ante lucem domo egreſſa, in Rhenum ſe præcipitauit & ſubmerſa eſt.

Cordis dolor cuiuſdam fœminæ, quod decepta à quodam maritum ſe eius mentito, adulterium commiſiſſet, ad deſperationem impellens.

AD nundinas noſtras Baſilienſes, quæ ſub initium Nouemb. habentur, circa Annum 1544. mercator quidam, inercium ſuarum diuendendarum causâ venire ſolitus, apud Pellionem quêdam ciuem noſtrum diuertere conſueuerat, illicq; publicis hoſpitijs reliquis occupatis noctu cubare. Huius

Huius coniugem iuuenculam adhuc, venustam, pudicam & probam, alteram Lucretiam clàm deperire cœpit, & cùm spes illâ potiundi nulla esset, nec amorem illi detegere auderet, vt libidinem suam ab ipsa expleret, sic eam decepit. Cùm noctu maritus ad agendum excubias, ordine ipsum deposcète fuisset egressus, cubiculiq; porta aperta mansisset, circa medium noctis, è suo conclaui indusio tantùm indutus, in cubiculum vbi mulier dormiebat, clàm ingressus, ad eã cubans, simulansq; se maritũ illius, modò ab excubijs reuersum, eam somno adhuc nonnihil obrutã, compressit, quo facto, cùm mulier expergefacta, dolum agnosceret, exclamitaretq;, ille subitò relicto vestitu, è domo aufugit, nec ampliùs huc reuerti, metu supplicij, ausus fuit. Mulier interim dolore & animi & cordis intolerabili, ex hoc facinore concepto, pudore suffusa, nec tamen celare ausa, cùm maritus manè reuersus, cur tantoperè se excruciaret, quidq; illi accidisset, scire vellet, negotium vti actum erat, cum gemitu & multis lachrymis ei patefecit, veniam ab eo petens, atque se ab eo interfici, rogans, cum cordis dolore hoc afflicta, & ob vulnus tam graue conscientiæ, superuiuere ampliùs minimè possit, nec velit. Deum interim testata, semidormientem se, ideoque insciam nec consentientem & mœchum illum maritum existimantem, deceptam fuisse. Ad vltionem huius deterrimi facti, maritum vehementer sollicitans. Quibus auditis, maritus eã pudicam semper fuisse cognoscens, & piam, illi factum hoc condonauit, atq; insuper consolatus est. Sed cùm eam paulisper solã reliquisset, illa leuiter se vestiens, properanter ex ædibus, summo adhuc diluculo, in extremum suburbij Albani locum, Rheno proximum perrexit, atq; illic per foramẽ in muro, sordibus per illud in Rhenum effundẽdis peruium, se in

flumen deiecit,suffocataq; perijt. Atq; sic Lucretia hæc altera, vitę, modò non æternę etiam salutis dispēdio, pudicitiam suā testatam esse voluit. Quam historiam non minùs ac Lucretiæ illius Romanæ, apertam vim à Tarquinio, vti hęc ab hoc mercatore occultam passę, sibiq; mortem ob id inferētis, memoriâ dignā, minimè reticere volui, sed hic in cordis doloris generibus explicandis, cùm in Animi perturbatione, quò aliàs, vti & prior atque quæ sequitur pertinuit omissa fuerit, vt quæ meo tempore acciderit, describere oportunum esse censui.

Cordis dolor, alterius fœminæ, quæ simili modo decepta, adulterium commiserat.

ACcidit ante annos circiter triginta, cum in pago quodā Rustici commessabundi ad noctem vsque mediam in hospitio manerent, inter quos & duo erant sanguine nonnihil non tamen arctè iuncti, atq; vnà cùm ipsis vxor alterius diutius māsisset tandem moræ pertęsa neglectis illis, domum suam dormitum se contulit quod obseruans alter, cùm maritum illius ebrium somno obrutum vidisset, eo relicto in hospitio, in ædes eius, quas apertas vxor vti & cubiculū, existimans maritum è vestigio subsecuturum, reliquerat, & cubiculum ingressus, detractis saltem caligis, ad eam, somnolentam & ex Vino nonnihil temulentam collocans se in lectum cum ea, ac si vir ipsius esset, rem habuit, & casu relictâ ex caligis ligulâ, ab ea secessit. Paulò post maritus, postquam crapulam edormiuisset, domum rediens, cum ea congressurus, ab ea, illum minimè admittere volente ipsiusq; importunitatem accusante, repulsus fuit. Ex quo alijsque circumstantijs, & quia ligulam quam in lecto inuenerat sui compe-

compotatoris esse agnouit, suspicatus eum hoc facinus commisisse, maneq; eum adortus, conuicit, vt fateri delictum cogeretur; veniamq; deprecari, & ne se proderet, rogare. Verùm vxor illud nesciēs, adeò ęgrè tulit, vt in animi deliquia sępe inciderit, & cordis eiusmodi cruciatus diu passa, etsi illa & à marito & Magistratu veniam impetrasset, authorque huius sceleris; capitis supplicio affectus esset, tandem tamen in melancholiam grauem etiam inciderit, à qua non nisi per mortem liberari potuit, omnibus vti & mihi, qui eam cùm illic essem inuisi, conquesta, se ob commissum hoc scelus, damnatam perditamque fore.

IN VENTRIS DOLORE Obseruationes.

Colicus dolor ab ira.



Ratus quidam lanius, robustus & cholericus, in colicum dolorem incidit, sæuum admodùm cum cōstipatione alui.

Dedi illi 25. Iulij. Extracti Diacydonitis ℥.j.ß. & quater deiecit: alleuatusq; est.

Altero die cum rediret dolor, sub noctem sumpsit: Narcotici tabulati ℈.j. & gran. vj. totamquē noctem quieuit.

Tertio die meliùs habuit, sed constipatus erat denuò; nec à prima purgatione ampliùs defecerat.

Ideò sequenti die, qui quartus erat, denuò repetij Diacydonites purgans clarum, eadem quâ priùs quantitate, multumque deiecit & liberatus fuit.

Colicus dolor in alio.

IN colicum cruciatũ vir iuuenis incidit, cui malo obnoxius erat, sumpserat iam medicamentum purgans, sed nihilo meliùs habebat.

Dedi itaq; 15. Aprilis, An. 1592. vsitatum meum ad dolores colicos sedandos remedium: ℞. ol. A. myg. dulc. rec. exp. ℥. j. ß. Vini Maluatici ℥. ß. syrup. de Papau. ʒ. ij. Pro vno haustu.

16. Quia constipatus erat, dedi potionem, nam Clysterem nolebat admittere: ℞. Absynthij ʒ. j. ß. summit. Centaurij ʒ ß. rad. Liquirit. ℥. ß. s. Anisi ʒ. ij. fl. Cord. P. j. fiat decoctio in Vini & Aquæ æquis partibus, infunda tur in colatura fol. Sennæ ℥. ß. Rhab. ʒ. j. fiat expr. adde syrup. Rof. sol. simp. ℥. j. Capiat. Deiecit quinquies copiosa excrementa biliosa.

Verùm redibat dolor, persuasi tandem vt Clysterem sumeret 17 talem: ℞. rad. Altheæ ℥ j. Furfuris, P. j cort. Fabarum P. ß. Maluarum, Betonicæ an. M. j. Sennæ ℥ ß. fl. Cham. Melil. an. P. j. s. Lini & Fœnogr. an. ℥. ß. Carui ʒ. ij. fiat decoctio, diss. in colat. Mellis viol. ℥. j. Bened. lax. ℥. ß. ol. Chamom, Anethini, succi. Betæ an. ℥. j. fiat Clyster.

Cessauit dolor, sed postea iterũ reuersus est, cum murmure ventris 29. Apr. ideò hic Clyster iniectus fuit, flatus potissimùm discutiens: ℞. herb. Emollit Origani, Serpil. an. M. ß. fl. Chamom. P. j. s. Carui, Cimini, Fœnicul. an. ʒ. ij. fiat decoctio, dissol. Ben. lax. ʒ ij. Cathol. ℥. ß. ol. Chamom. ℥. j. ß. Salis parùm fiat Clyster.

30. Aprilis purgatus fuit: ℞. el. Diaphœn. ʒ. iij. de succo Rof. ʒ. ij. syr. Rof. sol. ℥. j. aquæ Absynth. q. s. fiat potio.

Quia multum deiecerat, iterũ repetita fuit, sicq; conualuit, post annum verò recidiuam est passus.

Colicus dolor cum Cardialgia.

VIde in Cordis dolore. Lib. 11, Cardialgia, Colicus dolor, post vsum &c.

Colicus dolor cum Cardialgia in adolescente.

ADolescens quidam nobilis, ex inordinata victus ratione, & nimio potu Vini Muscati Narbonensis, Anno 1598. Cardialgiâ primùm, mox colico dolore laborans, postquam semel curatus, maturiùs quàm par erat aëri frigido se credidisset, & quadrigis celeriter per vrbem veheretur, recidiuam passus, sex septimanarum spatio, durante morbo, licet sæpiùs Clysteribus & Narcoticis vsus esset, non tamen integrè sanari potuit, donec Vomitorio sequenti vsus fuerit: quod ℞. Infusionis Stibij calcinati vitrei gr. iiij. in Vini ℥. iij. factæ, aquæ Nucum viridium cum Aceto destillatæ addito Raphano ℥. j. ß. misce, Bibat & quando vomere incipit, cardialgiasq; sentire, sumat Iusculum.

Ab vsu huius mox magnam copiam æruginosæ bilis aliquoties euomuit, vti & pituitæ, atque inde vrinæ quæ ex atro croceæ diu permanserant, in naturalem colorem permutari cœperunt, ipseque sensim ad se redire, & in publicum prodire, equoq; mox exspatiatus, donec à nobis in patriam est profectus.

Colicus dolor, Vomitus biliosus & Ardor circa vmbilicum.

QVæstor quidam cuiusdam principis, multis negotijs implicitus, ad irã pronus, subrufus, cardialgiam aliquamdiu sentiens, Vinum Absyn.

thites purgans, quo aliàs meo cõsilio fœliciter vsus fuerat, nullo suadẽte bibit, seq; eo, ne in colicum dolorem, cui obnoxius erat, incideret, preseruauit. Verùm postea in aulam profectus, atq; temerè venam aperiens, domum ægrè, colicisq; cruciatibus mirè diuexatus, reuersus est.

A bile vitellina & æruginosa malum procedere, vomitio meracifs. bilis ostẽdebat, & quòd ardores immensos circa vmbilicum sentiret; doloresq; ad inguina & in testes vsq; (vti sæpè fieri solet in colico dolore) descendentes, accedente alui omnimodâ constipatione, vrinâ rubrâ existente.

Ab eo vocatus, An. 1592. Maio mens. recusabat Clysterem ab initio, idcirco potionẽ hanc 15. Iunij exhibui: ℞. tab. Diacarthami ʒ. ij. syr. Ros. sol. cum inf. Rhab. ℥. j. Vini absynthites q. s. Bibat.

Sub vesperam iussi sumere, ad dolorem immensum sedandum: ℞. ol. Amygd. dulc. ℥. ij. syr. de Papau. ʒ. ij. Vini malu. ℥. ß.

Etsi remisisset dolor, crastina die 16. tamẽ rediit, quare dolore adaucto, Clysterem ordinaui: ℞. rad. Altheę, Liliorum, Maluæ, Viol. Atriplicis, Mercur. an. M. j. Rutæ M. ß. s. Lini, Fœnogræc. an. ℥. j. s. Carui ʒ. ij. Sennæ ʒ. vj. fl. Chamom. Melil. ana P. j. Furfuris P. ß. fiat decoct. in colat. ℔ j. ß. dis. Mellis anthos. ℥. j. Sacch. rub. Bened. lax. an. ℥. ß. ol. Cham. & Anethin. an. ℥. j. ß. Salis parùm, fiat Clyster detur manè.

Residentia decocti pistetur, addendo far. Fabarum ʒ. iij. ol. Chamom. ℥. ij. fiat cataplas. pro ventre.

Repetitus fuit Clyster sub noctem, qui retentus, dolorem mulcebat, verùm cùm diutiùs retinere non posset, dolor reuertebatur.

Sequenti die 17. ad ipsum profectus, denuò Clysterem sumpsit manè, verùm nec retinebat, nec aliud quàm Clysterẽ reijciebat. Suppositorijs itaq; aluum stimulandam iudicaui, coximus ex Melle & Sale,

Sale, quo ſuppoſito, magnam copiam bilioſæ materiæ & Clyſmatum adhuc portionem, eiecit, ceſſauit dolor, ſed cùm rediret, aliud intrudere iuſsi, quod quoq; deiectionem mouit. Poſtea & tertium, dolore remeante indidit.

Sub noctem Iulepum, dedi: ℞. ſyrupi de Papauere ℥. ß. ſyr. de Bugloſſ. (quia debilis erat) aquæ Bugloſſ. & parùm Vini, Bibat,

18. Etſi meliùs haberet, Iuſsi adhuc ſemel Clyſterem inijcere, & ſi conſtipatio rediret, aut dolores, ſuppoſitorijs continuò aluum ſollicitare.

Sub noctem miſi tab. j. ex meis Narcoticis.

29. Tam benè ſe habuit, vt non ad me miſerit.

Biduo poſtea ſucceſſum nuntians, ſed recidiuam metuens, vt reliquiæ tollerentur, potionem exhibui purgantem: ℞. Abſynth. ʒ j. ß. Maior. ʒ. j. ſ. Coriandr. Aniſi an. ʒ ß. Sennæ ʒ. ji. Rhab. ℈. iiij. Cinam. ℈. ij. infundátur in Vino, bulliant, Colaturam bibat. Egregiè deiecit, fuitq; reſtitutus. Monui vt bona victus ratione vteretur.

Colicus dolor in Hernioſo.

PRæfectus pagi cuiuſdam, dolore colico noſtris regionibus conſueto, accedente conſtipatione alui, diuexabatur.

Miſi illi 18. Ianuarij Anno 1589. Diacydo. purgantis ʒ. ij. quo ſumpto, diecit.

Die ſequenti, tempore ſomni, propinaui: ℞. ſyr. Papau. mei ʒ. iiij. Cum Hydromel. maluat. & pauca aq. Roſ. miſce: Bibit, dolorq; ceſſauit.

Recidiuam paſſo 17. April. Dedi iterum Dyacydon. purgantis ʒ. ij. ß. Verùm adeò adſtricta erat aluus, vt eam non ſolueret.

Sub noctem dolore vrgente, ſumpſit Narcot. tab. mearum ℈. j. gr. vj. & dormiuit.

Verùm cùm aluus non reſponderet, dolorque intenderetur. Iuſsi 20. Aprilis, vt hoc Vino vtere-

tur: ℞. fol. Sennæ ℥ ij. rad. Bryoniæ ℥. ß. radic. Cichoreæ, Fœniculi, Imper. an. ℥. ß. Absynt. M. j. sum. Centaur. P. ß. flor. Rosmarin. P. j. s. Fœniculi ʒ iij. Coriandr. ʒ. j. conquassentur, adde mensur. j. Vini, Bulliant in duplici vase. Bibat poculum pro vna vice. Egregiè eo sumpto deiecit, iussi alternis diebus continuare.

Item sumpsit sub noctem syrup. de Papau. ℥. ß. diluti vt supra. Cùm benè se haberet, ad corroborationem stomachi, vti petebat, dedi 22. April. syr. de Cydonijs cum hydromel. dilutum.

Item conditurам Acori veri, vt manè bolum sumeret, super bibendo syrupum, Sic à colico dolore liber euasit. Verùm cùm herniosus esset, illius nomine à Chirurgo aliquot mensibus postea sectus, conuulsionibus superuenientibus, exspirauit.

Conuoluulus cum Tympanite.

VIde in Extuberantia. Lib. III. Tympanites quem Intestinalem vocamus &c.

Colicus dolor, in sinistro potissimùm ventris latere, in puerpera.

IN primo puerperio, An. 1589. puerpera iuuencula, de dolore ventris, in latere potissimùm sinistro, vehementer conquesta est, cum alui constipatione & torminibus, alijsq; colico dolori consuetis symptomatibus.

Quartâ demũ septimanâ post puerperium, consilio meo vsa, cùm Clysmata renueret, sequentem potionem exhibui: ℞. syr. Ros. sol. cum infus. Rhabarbari ℥. j. el. de succo Rosar. ʒ. j. cum aq. Cinam. & Bugloss. fiat Potio. Quâ sumptâ, vix dum & tardè admodùm deiecit.

Sed cùm dolor nihilo mitior esset, sub no-

noctem ℈. ß. extr. Narcot. dedi, vnde quieta fuit, doloreque leuata. Qui cum rediret, 19. Nouembr. ſub veſperam, denuò repetij, & 20. Nouemb. iterum, quo & ol. Amygd. dulc. bibit. Vnde ſemper meliùs habebat.

Sed quia aluus non reſpondebat, recrudeſcebat malum, feriò itaque hortatus, & de conuulſionibus, reſolutionibus, quòd ſuperuenire ſoleant, exemplo quorundam comminatus, tandem Clyſterem talem 21. Nouembr. admiſit; ℞. rad. Liliorum rec. ℥. iij. rad. Altheæ ℥. j. herb. Malu. Viol. Betonic. an. M. j. Furfur. fl. Chamom. an. P. j. ſe. Lini ℥. ß. Bacc. laur. P. j. ſem. Carui ʒ. ij. fiat decoctio, Diſſol. in ℔. j. Mellis roſ. ℥. j. Bened. lax. ℥. ß. olei Chamom. ℥. ij. ſucci Betæ ℥. j. fiat Clyſter. Non diu retinuit, noctu iterum extract. Narcot. ſumpſit, beneque habuit, per aliquot dies.

Verùm cùm conſilio matronarum, vt aluus liberiùs flueret, decoctum Senæ ſumpſiſſet, recidiuam paſſa, 26. Nouemb. iterum Narcoticum petebat, ſumſitque.

Et quia iam Clyſmata minimè renuebat, ſeq. 27. Nov. prius repetitum fuit. Et 28. cùm rediret dolor, Narcot. ſumpſit. Quod & biduo poſt, cùm repeteret dolor, 1. Decembr. ſimili modo factum. Et quia latus admodum dolebat, ol. Anethino & Chamom. deinceps continuò inunctum fuit.

Iterum 3. Decemb. vrgente dolore, Narcot. extr. ℈. j. pondere vſa, quieuit.

Ad aluum mouẽdum, dedi 4. Decemb. purgantis extr. ʒ. ij. vnde tardiùs, ſed ſine moleſtia, dura & peruerſa deiecit excrementa.

Denuò poſt biduum dolor recruduit, repetitus, itaq; 6. Decemb. Clyſter. & Narcot. ℈. j.

Cùm altera die, 7. Decemb. aluus ſuppreſſa eſſet, Vinum purgans tale paratum; ℞. flor. Cord. ʒ. j. ß.

sem. Anisi, Fœnicul. an. ʒ. j. fol. Sennæ mundat. ℥. j. ʒ. ij. Absynth. ʒ. ij. Agaric. ʒ. iij. Zingib. ʒ. j. Infundatur in mens. ß. Vini. Bibit haustum vnum, sensitq; tormina, tardiusque deiecit.

Sequenti die 8. Decemb. Insessione eam vti iussi, ex decocto Malu. Betonic. fl. Chamom. rad. Liliorum, Altheæ cum toto, Baccar. lauri & sub noctem iterum Narcot. ℈. j. exhibui.

Postea suppositorijs aluum apertam seruare iussi, sicque dolor non ampliùs eam vrsit, appetitusq; cibi, omnia salua esse, vti & vrinæ non ampliùs tinctæ, indicabant, sicq; curata fuit.

Colicus & Nephriticus dolor, cum Calculi suspicione & Vrinandi difficultate.

VEntris tensionibus vir quidam primarius angebatur, grauissimè in ambitu vmbilici, dolore in sinistro latere quoq; se exerente, quem à splene proficisci putabat, ego verò nephriticum simul adesse cum colico, calculumque in renibus iudicaui. Obstructionibus viscerum, & lienis præsertim simul illũ laborare, ventriculique imbecillitate, vrina & compressio circa ventriculum ostendebant, caloremque horum viscerum, caloris indicia arguebant.

Clyster hic primùm iniectus fuit; ℞. fol. Chamom. Melilot. Sambuci an. P. ij. sem. Lini ℥. ij. Anisi, Fœnic. an ℥. ß. fiat decoctio. In ℔. j. dissolu. Bened. & Diaphœn. an. ℥. ß. Mellis viol. ℥. ij. ol. Chamom. ℥. iiij. Misce fiat Clyster. ℞. Residentiam, ponatur in sacco, & applicetur calidè super regionem sinistri lateris, vbi quoque dolebat.

Sequenti die hic Clyster datus fuit; ℞. Vini albi ℔. ß. ol. Nucum & Amygd. dulc. an. quart. j. Misce, Detur. Dolore

Dolore remittente, mox redeunte, tertius Clyster dabatur; ℞. ol. Chamom. Aneth. & Nard. ana ℥.iij. Misce. Cùm diu retineret, suppositorio indito, eum promoui.

Dolore in latere nunc præualente, balneo hoc vsus est: ℞. Malu. cum rad. & Bismalu. an. M. iij. sem. Lini & Fœnogr. an. ℥. ij. flor. Chamom. Melilot. Sambuc. Anthos an. P. ij. fiat decoctio in Aq. & Vino pro Balneo, vel in Chalysmat.

Bibit decoctum Hordei & Cicerum, rad. Liqu. adiectis ad mens. iij. Piperis granis tribus dissoluẽdo syr. Capill. ven. ℥. vj.

Recidiuam passus, doloreque admodùm excruciante, de pilulis sequentibus sumpsit duas: ℞. pul. Arom. ros. Diagalang. an. ℈. j. Opij dissol. in Vino maluat. gr. xij. Formentur pilul. vj. Capiat tempore somni.

Reiteratumq; Clysma & Suppositorium fuit.

Quia vrina ægrè reddebatur, suspicioque erat, calculum in vesicam prolapsum, sequentibus vsus est: ℞. Olei Scorpionum & Amygd. an. ℥. iij. succi Apij, Petrosel. & Parietar. an. ℥. ij. Coq. ad succorum consumpt. cui adde Tereb. parùm, fiat vnguentũ, addendo rad. Azaris. Petrosel. Apij, spicæ Celtic. tenuiss. tritorum. Vngatur regio pubis & perinæi.

Dein Clyster iniectus fuit: ℞. Maluæ, Parietar. Mercurialis an. M. j. sem. Lini ℥. j. sem. Apij Petros. Anisi, Fœnic. Rutæ an. ʒ. iij. flor. Chamom. Melilot. an. P. j. fiat decoctio in ℔. ß. Diss. Cathol. & Diaphœn. an. ℥. ß. Bened. ℥. j. olei Scorpion. ℥. iij. misce fiat Clyster. Detur horâ secundâ.

℞. fœces seu residentiam prædict. Clysteris, fomentetur vesicæ regio.

Dein Cataplasma hoc supra pubis regionem applicabitur: ℞. farinæ Hordei quartar. j. flor. Chamom. Melilot. an. ℥. ij. sem. Apij ℥. iij. Farin. sem. Lini

℥.ß.ol. Amygd. dulc & Scorpion. Lumbric.an.q.ſ. ad Incorporandum,& fiat Cataplaſma.

Iungatur regio veſicæ hoc vnguento: ℞. mucilag.ſem. Lini ℥.iij. ol. Amygd.dulc. Violac.& Chamom. ac Lilior.an. ℥ j.miſce fiat vnguentum,add. Tereb.Venet.℥.j.fiat vnguentum.

Pilulis Opiatis valde iuuabatur, quare cum omnibus eſſet vſus,reiteratæ fuerunt.

Cùm vrina nondũ procederet, dabatur ſequens potio,quæ valde profuit: ℞. ſyrupi de Byzantijs & Capill.ven.an.℥.j. Aq.graminis,Apij, Petroſ.an.℥.j. Arom.cum ʒ j.ß.Cinamom.& ʒ.j.Charabe tenuiſſ. pulueriſat. fiat Iulep pro vna doſi.

Sequenti die hic Clyſter iniectus fuit: ℞. rad. Biſmalu.& Liliorum an.quart.j.Paſſul.Ficuũ mundatarum an. nu.xx ſem. Lini ℥.ß.quatuor, ſeminũ frig. Mai. an. ʒ. ij. Aniſi,Fœniculi an. ʒ j.fiat decoctio in ℔. j. diſſol. Catholic. ℥. ß. mellis Roſat.℥.j. ſucci Siclę ℥.j.ol.Amygd.dulc.& Scorpion. an.℥.ij. miſce,fiat Clyſter.

Rurſum bibit Iulepum, qui admodùm vrinam promouit.

Hiſce dolor omnino abijt.

Colicus & Nephriticus dolor in Febre tertiana.

Vide in Febribus Lib. II. Colicus & Nephriticus,&c.

Vterinus dolor cum Menſtruis albis.

COnquerebatur generoſa quædam matrona, cùm eſſem in Lotharingia, An. 1601. Martio men. de doloribus circa vteri regionem anteriorem & poſteriorem iuxta lumbos, qui certis temporibus eam moleſtarent,præſertim inſtante tempore

pore menstruo, quibus adhuc purgabatur. Quæ etsi iam annum quadragesimum superasset, habere tq; liberos adultos, formosa tamen erat mulier, ita vt primo intuitu, inter suas filias nubiles versantem, eam potiùs illarum sororem, quàm matrem esse existimarem. Præter hasce molestias, accedebat Fluxus alborum menstruorum, per quem multa pituitosa & serosa excernebantur, cætera sana.

Ostendi interrogatus, non tàm ab vtero, quàm venis eum ceruicemque ambientibus, ex vniuerso corpore, illuuiem illam expurgari, doloresque in peritonæo, cui vterus adnexus hæret, potiùs quàm vtero suboriri, & proin ad lumbos vsque, quibus vterus ligamento hoc suspenditur, se extendere.

Ex consilio Medicorum statuerat, Diætâ, vt vocant, & sudoribus decocto Guaiaci commotis, corpus expurgare, atque exhaurire. Verùm cùm non tanta vrgeret necessitas, & alioquin esset sana, dissuasi, & potiùs vino sequenti, quod sensim & moderatiùs per vrinas & leues sudores pituitam & serositates euacuaret, vtendum suasi, corpore priùs bis terve purgato. Vinum sic parabatur.

℞ Zarsæ parillæ ℥.vj. cort. Guaiaci ℥. quatuor, Sassafras ℥.ij. rad. Chinæ ℥.j. rad. Ireos ʒ.vj. Galangæ ʒ.ij. herb. Maioranæ, Betonicæ, Saluiæ an. M.j. fl. Rosmarini, Lauandulæ an. P.j. seminis Anisi, Fœniculi an. ʒ.ij. radantur, incidantur & contundantur ea quæ oportet, addẽdo Vini optimi mens. 10. quarum singulæ trium sint ℔. mercatorum, Sacchari ℔.ij. Cinamom. ℥.j. Maceris ʒ.ij. imponantur in dolio, obturẽtur, stent per triduum vel ampliùs, antequam vtatur.

De hoc vino bibat duos haustus in prandio, totidem in cœna, continuando ad mensem. Si aliquando manè sudat, contineat se in loco occluso,

alioquin cœlo sereno egredi, circa meridiem maximè, ad vesperam vsque poterit.

Postquam aliquandiu cura hac vsa est; vel etiam post eam, singulis octo diebus, intret, antequam noctu lectum ingreditur; semicupium, in quo sit decoctum sequens, vel si malit, pedes immergat, & suffitum excipiat.

℞. Saluiæ, Matricar, Arthemisiæ, Betonicæ an. M. ij. fl. Chamom. Sambuci, Lauandulæ, Stœch. an. P. j. seminum Fœniculi ℥. j. Tartari vini ℥. quatuor Aluminis ℥. ij. coquantur in Aqua, addito pauco Lixiuio & Vino.

Gestet interdum Emplastrum pro matrice, noctu sub vmbilico.

Vterinus dolor cum Menstruorum immoderato fluxu.

VIde in Sanguinea excretione Lib. III. Menstruorum immoderatus fluxus, &c.

Vterini dolores cum Sterilitate.

VIde in conceptus defectu Lib. I. Sterilitas, Vterini dolores, &c.

Vterinus dolor in Cephalæa.

VIde in Capitis dolore. Lib. II. Cephalæa seu capitis dolor inueteratus, &c.

IN

IN HYPOCHONDRIACO DOLORE Obseruationes.

Nephriticus dolor, ob calculum renum, Podagra & Oedema.

Qvinquagenarius quidam, ob dolorem lateris sinistri, quem nũquam priùs senserat, & tensiones ventris, sponte suâ medicamentum purgans sumpsit, à quo malum irritatum, peiùs habere cœpit.

Ianuarij 18. Anno 1601. vocatus, cùm Nephriticum dolorem potiùs quam Colicum, sicuti ille putabat esse, dicerem, ordinaui Clysterem: ℞. rad. Altheæ ʒ.j.ß. Malu. Pariet. an. M.j. fl. Chamom. Melil. an. P.j. seminis Carui ℥.ß. Farfuris P.j. sem. Lini, Fœnogr. an. ℥.ß. fiat decoctio, Dissolu. in ℔.j. Bened. lax. ʒ.ij. Mell. rof. ℥.j. ol. Aneth. Chamom. an. ℥ j.ß. Salis ʒ.j. fiat Clyster. Hic Clyster licet aliquo pacto ab initio dolorem leniret; tamen cùm difficulter reijceretur, tormina inde maxima sensit; donec suppositorio indito: exitũ illius promoueret. Nec tamen dolor leuabatur, quapropter sub noctem residentiam Clysmatis lateri dolenti applicare iussi, & denuò suppositorium indere. A quo nox quieta fuit.

19. Manè cùm meliùs haberet, sed multos flatus sentiret, reiteratus fuit Clyster, addendo decoctioni, Bacc. lauri P.j. sem. Cimini ʒ.ij. Dissol. hieræ Coloc. Bened. lax. an. ʒ.ij. ol. Aneth. Chamom. an. ℥.j.ß. Salis gemmæ ʒ.ij. Mellis rof. ℥.ß. fiat Clyster, quem non diu retinuit, deiecitque, ac flatus reddidit, ita vt iam nihil ampliùs sentiens, se sanatum crederet, & leuem fuisse colicâ sibi persuaderet. Donec sub noctem denuô dolor fixus latus sinistrum occu-

passet, qui eâ nocte summè auctus, eam inquietam reddidit, ita vt mediâ nocte Clysterem sumere cogeretur, & Nartotici mei gr. 18. à quo dormiuit, dolorque mitigatus est.

20. Vocatus, vrinas vidi crassas, rubras, cum ramentis & arenulis rubris, quæ cùm illi ostenderem, tandem nephriticum dolorem esse credidit, à compactis arenulis, è rene sinistro per vreterem exitum quærentibus, hunc dolorem nasci, ei ostẽdens, illisque remeantibus, eundẽ cessare. Et quia dolor in latere sinistro fixus, non adeò vrgebat, hoc die nihil factum.

21. Recruduit malum, cruciatus in latere maximè, sumpsit sub vesperam hunc Clysterem: ℞. Maluæ cum toto M.j. rad. Lilior. Bryoniæ an. ℥.ij. fol. Brasic. M.j. Furfur. P.j. Parietar. M.j. fol. Sennæ ℥.ß. Agar. troch. ʒ. iij. flor. Chamom. P.ij. sem. Cimini, Carui an. ʒ.iij. fiat decoctio. In ℔.j. ß. Dissolu. Mellis ʒ.ij. Bened. lax. ℥.ß. succi Betę ℥.j.ß. ol. Cõmunis ℥.iij. Butyri ℥.j. fiat Clyster. Hic post horam aluum bis commouit, vnde nox paulò quietior.

22. Redeunte dolore in latere, vrinâ rubrâ, sabulosâ existente, reiteratus fuit Clyster sub vesperam. Post cuius operationem, nonnihil leuatus. Cùm verò nox denuò grauis, Narcotic. mei pulueris gr. 18. dedi, dormiuitque sed turbulentis insomnijs vexatus.

23. Cùm dolor denuò exacerbaretur, ad renes abstergendos, Laricеæ siccæ puluerisatæ, cũ Vino dedi ʒ.ij. sed cũ dolor nõ cessaret, Insessione vsus est sub vesperam, ex decocto (cùm non aliæ præ manibus essent herbæ) Brasic. cap. fol. & Raparũ radice, cum folijs subalbidis, qualia sunt, cũ per hyemem seruantur, Maluæ item & Parietariæ siccis: Latus quoque priùs inunctum fuit ol. Scorpionũ, Anethin. Chamom. Dedique tab. ij. mearum pro Calculo.

Calculo. Egressus è balneo, calculum subrubrum semipisi magnitudine eminxit, & à dolore omni liberatus est: Sensimque vrina ad pristinum colorem, appetitusque priùs deiectus, redierunt.

25. Pollicis articulus in dextro pede, dolere, rubere, & tumere cœpit, ita vt suspicio esset de podagra, licet eam nunquam priùs sensisset, illeque credere nollet, sed quia scaphâ Argentinam vectus, pedes in aqua, in naui congelata, nimium refrigerasset, indeque prodire existimarat, neglexit. Verùm noctu adeò dolor ille in pede exacerbatus, vt manè meo consilio, Cataplasma ex Pane, Farinâ fabaceâ, coctis in Lacte, addito ol. Ros. & seminis Psylij ℥.ß. paratum, adhiberet: cuius vsu sensim dolor mitigatus, sed pes postea valde intumuit, ad dies aliquot: verùm sine dolore, ex quo œdema esse iudicaui: & cùm noctu pede in lecto composito, subsideret, manè verò idem sedēti rursum intumesceret, iussi illum totum triduum dies noctesque pede eleuato, in lecto quiescere, quo facto, sensim ad sessionem & ambulationem reuersus, tumor penitùs euanuit: maximeq; cùm adhuc in stupha, sumptâ Theriacâ priùs, egregiè sudasset.

Nephriticus dolor cum colico.

VIde in Ventris dolore. Lib. II. Colicus & nephriticus dolor, &c.

Nephriticus & Colicus dolor in Febre tertiana.

VIde in Febribus. Lib. II. Febris tertiana, Colicus & Nephriticus, &c.

Calculus renum.

VIr sexagenarius quidam, An. 1592. mens. Martio, dolore immenso in lumborum dextra sede

ſubitò correptus eſt. Vomebat, vrina cruda & aquea. Crus ex aduerſo loci affecti ſtupebat; Prædixi calculum renum, quem tamen priùs nunquam ſenſerat.

Perſuaſi vt Clyſterem ſumeret, quod niſi doloris vehemẽtia illum vrſiſſet, nunquam feciſſet: ℞. rad. Altheæ ℥.ij. rad. Petroſel. Fœniculi an. ℥. j. Maluarum, Violariæ, Parietariæ an. M. j. fl. Chamom. Melilo. Sambuci an. P. j. ſeminis Lini. Fœnogr. an. ℥. j. ſem. Carui ℥. ß. fiat decoctio, & in colaturæ ℔. j. diſ. Bened. lax. ʒ. ij. Caſsiæ cum Sena ʒ. iij. ol. Chamom. ℥. j ß. ol. Scorp. ℥. ß. mellis Viol. ℥. j. fiat Clyſter. Detur. Hoc iniecto meliùs habuit; eo verò rurſum reddito, dolor circa inguina vrgebat, è quo calculum deſcendiſſe iudicaui.

Iuſsi illi regionem inguinum ol. Chamomel. inungere.

Inſeſsionẽ poſtea ordinaui, ex decocto Maluarum, Viol. Chamom. ex quo leuamen ſenſit.

Verſus noctem dedi Narcoticũ, bene dormiuit.

Manè rediit dolor, iuſsi repetere balneum, poſt cuius vſum calculum, cùm mingeret, eiecit, liberatusque eſt.

Recidiuam paſſus eſt 29. Iulij. ord. ſequens: ℞. rad. Liquiritiæ ℥. j. rad. Anonidis, Fœniculi an. ℥. ß. Polypod. ʒ. vj. ſeminum Aniſi ʒ. ij. Alkekengi. ʒ j. Paſſul. nu. x. Prunorum vul. nu. v. Senæ ℥ ß. fiat decoctio, diſſolue in ℥. iiij. Caſsiæ rec. ex. ſyr. Roſ. ſol. cum infuſ. Rhabarbari an. ℥. ß. miſce: Bibat, deiecit.

Cùm non remitteret dolor. 31. Iulij. Clyſter ſuperiùs deſcriptus, iterum iniectus fuit.

Nec tum penitùs ceſſante dolore, ſequenti die, fuit repetitus.

Inſeſsione quoque denuò vſus eſt, 2. Auguſti.

Iulepum præſcripſi 30. Auguſt. ℞. aquarum Parietariæ, ℥. j. aq. Fœniculi, fl. Fabarum. Iulepi roſ. an. ℥ ß. Capiat vna vice. Inde

Inde conualuit, imperaui postea, vt deinceps decoctum, Cicerum rad. Petros. cort. Fabarum, & rad. Anonidis, in iusculo manè frequenter præseruationis gratiâ, biberet.

Calculus renum cum Mictu sanguinis in tribus.

VIde in Mictione. Lib. III. Mictio sanguinolenta, &c.

Iterum Mictio cruenta Bis.

Calculus renum in alio.

NObilis quidam Friburgi, An. 1592. immensum in inguinum regione dolorem sentiebat, vrina cruda erat, calculum in vreterum ingressu in vesicam, substitisse, dixi, sæpe enim illic descendens, à renibus ob obliquam illorum insertionem, hærere solet.

Inieci primum Clysterem, dedi postea Narcoticum.

Manè sequenti propinaui illi aquam, Parietariæ & Lariceę an. ℥. j. ß. ex quo calculus vesicam ingressus, indeque rursum in ceruicem egressus, in penis ductu substitit. Balneum ingressus, vbi aliquandiu in eo sedit, matulam petens, mingendo calculum eiecit.

Calculus renum in alio.

QVidam sequentium vsu, An. 1596. Decemb. sæpius calculum mictione eiecit, eoque ad præcautionnem, ne subsisteret, doloremq; nephriticum induceret, vtebatur.

Puluerem sequentem bis in septimana cochlearis vnius quantitate sumebat: ℞. rad. Liquirit. ℥. ß. nucleorum Pers. sicc. ℥. j. sem. Anisi, Fœniculi anà

℥.ij. sem. Alkekengi ʒ.j. sem. Milij solis ʒ. ß. Lapill. Cancri ʒ. ij. Sacchari candi ℥. j. ß. fiat puluis tenuissimus.

Superbibat interdum decoctum Cicerum rub. Petros. cort. Fabarum, addito Butyro rec. & pauco Sale.

Pilulas sequentes deglutiuit interdum: ℞. resinę Laricеæ vel Abietinæ limpidæ q. vol. subigatur pul. Liquiritiæ & Sacchari candi, fiat pasta, ex qua paruæ formentur pilulæ, Capiat ad ʒ.j. vel plus.

Calculus immensus renum, Ren absumptus, Macula ventriculi lutea, Abortus.

NObilis quædam matrona, multos annos grauissimis renum doloribus, sinistro præsertim in latere, ab initio diuexabatur, & quatuordecies vterum gestans, toties octauo vel nono semper mense abortiuit. Tandem vnà cum ætate, doloribus inualescentibus, de dextri pręsertim lateris dolore, ita vt nec contactum aut decubitum in illam partem ferre posset, conquerebatur, reiectis interim toto morbi tempore, multis calculis & puris & sanguinis copiâ per vrinas: accedente insuper grauissimo stomachi & gutturis ardore. Eam tandem antè mortuam cùm secarem, renem sinistrũ penitùs cõsumptum, & marsupij instar cuiusdam, membranosum, sinubus amplis, scirrhosis tuberculis refertum, vreterem que illius admodùm dilatatum, intestini cuiusdam instar, deprehendimus. Dextrum verò renem tumidum in immensum increuisse, in quo per mediũ dissecto, calculus tantæ magnitudinis excreuerat, vt sinum secundum omnino adimpleuerit, illiusque ductus, ramis vndiq; effarciens, & obturans, vreterum principium obstruxit,

ſtruxit, qui formâ ſuâ ceruinum caput cum cornubus & collo, appoſitè exprimebat, illiſque locis, vbi ſubſtantiæ renum minimè adnatus erat, incruſtatus ſplendebat, ex contactu bilis flaueſcens. E quibus facilè dolorum cauſam & abortus, vtriusq; renis calculos, quorum ille in ſiniſtro rene illius ſubſtantiam contriuerat, atque confractus comminutusque ſucceſsiuè per mictionem redditus fuerat, hic verò in dextro rene ſubſtiterat, fuiſſe, colligere licebat. Sed & ardoris illius ventriculi, cauſa in bilis veſicula admodùm bile refertâ, & ventriculo & duodeno inteſtino (quod & aliàs ſæpè vidimus) deprehenſa fuit. Hæreditarium autem malum hoc illi fuiſſe, oſtendit, quòd ex matre illius ijſdem affectibus mortuâ, calculus ex vtroque rene quoque exectus fuerit.

Renum conſumptio & veſicæ corruptio.

NObilis virgo quædam, diu circa renem alterius lateris, dolore, & ſimul mingendi ardore, miſerè afflicta, poſt varia tentata remedia, aliquot annos, & cùm ſuſpicio eſſet de calculo veſicæ, poſt actualem operationem, in lapidis extractione, in mulieribus fieri ſolitam, quę tamen irrita fuit, cùm nihil profeciſſent, tandem in patriam Galliam reuerſa, mortua, ſectaque, renes abſumptos, & veſicam corruptam fuiſſe, deprehenſum, mihique literis ſignificatum fuit.

Hypochondrij ſiniſtri tenſio.

SEntiebat nobilis quidam Burgundus, à longo tempore, tenſionem in ſiniſtro hypochondrio, cum rugitu & murmure, maximè partem affectam premens, & quia corpus nonnihil macrum fiebat,

faciesque decolor, grauiora metuens, cùm post remedia multa, quibus iam vsus fuerat, non remitteret malum, meum expetiuit Consilium huc veniens, An. 1611. Maio mens.

Indicaui causam in venis meseraicis, lienem copiosè ambientibus potiùs, quàm ipso liene contineri, esseque illic illuuiem, vnde tetri vapores & flatus gignatur, cum obstructione horum ductuum, quibus emendandis hisce fuit vsus.

Syrupum sequentem præscripsi: ℞. rad. Cichoreæ, Fœniculi, Apij veri, Iridis an. ℥. j. Enulæ ʒ. vj. Azari ʒ. ij. rad. Liquiritiæ ℥. j. ß. cort. Tamaricis, rad. Cappar. Sambuci, Ebuli an. ℥. j. herb. Endiuię, Chamæpith. Chamædreos, Eupatorij, Veronicæ, Capilli ven. Ceterach, Buglossi vtriusque, Fumariæ, sum. Lupul. turionum Asparag. an. M. j. florum Buglossi vtriusque, Genistæ, Tamaricis an. P. j. seminum Anisi, Fœniculi an. ʒ. ij. Carui, Petrosel. an. ʒ. j. Cicerum rub. P. j. Passul. enucl. ℥. j. ß. Prunorum pa. v. fiat decoctio in aqua & tertia parte Vini, & in colaturę circiter ℔. 8. infunde fol. Senę mundt. quart. j. rad. Polypodij ℥. ij. Turpethi ℥. ß. seminum Carthami conquas. ℥. j. ß. Myrobal. chebul. Citrin. an. ʒ. iij. fiat iterũ decoctio, addendo Rhabarbari in panno lig. ℥. ß. Spicæ, Schœnanthi an. ʒ. j. Cinam. ʒ. ij. post leuem ebullitionem colentur, adde succi Pomorum odor. ℥. quatuor, decoquantur ad consist. ad vsum. Capiat ℥. j. ß. pro vice per se, vel cum iusculo Cicerum rub. & rad. Petros. Vel aqua Absyathij & Capill. ven. si non operetur sufficienter, dissolue in vno haustu, Diagrydij rectè præp. gr. 3. Cõtinuet illius vsum, aliquot dies, postea hebdomadatim, dein menstruatim.

Pilulis sequentibus vtatur interdum loco syrupi: ℞. Aloës succocitr. ʒ. ij. Rhab. Agarici an. ʒ. j. ß. extracti Absynthij ℈. j. gummi Ammom. diss. in Oxymel.

Oxymel. squill. ℥.ß. Mastiches ℈.j. rad. Gentianæ, sum. Centaur. j min. an. ℈.j. rad. Azari ʒ.ß. Spicæ ℈.ß. Limaturæ chalybis præper. ʒ.ß. Diagrydij ʒ.j. cum resina Laricea fiat massa pilul. Capiat ℈.ij. vel ʒ.j.

Emplastrum hoc sinistro hypochondrio applicet: ℞. Emplastri de baccis Lauri, de Meliloto an. æquas partes, malaxentur ol. de Capparibus, extendatur supra corium, subducatur syndone rubrâ, ne nimiùm adhæreat.

Hac ratione se integrè fuisse sanatum, per alios, quos ad me consilj causâ ablegauit, mihi significauit.

Hypochondriorum tensiones cum Atrophia & Febre.

Vide in consumptione Lib. III. Atrophia, tensiones hypochondriorum, &c.

In hypochondrijs, lumbis, coxis, dolor acerbißimus, & tumor, à causa inaudita, sectione deprehensa.

Scotus quidam nobilis, iuuenis robustus, annos agens 35. post labores militares, atque equitationes diuturnas, casusque aliquos ex equo, modò in spinam dorsi, modò supra abdomen, frigora etiam perpessus, hîc apud nos Basileæ An. 1588. subsistens, diu & multùm de valetudine conquestus, citra decubitum tamen, donec tandem doloribus victus, sese lectulo committere coactus, per sex menses miserè afflictus est. Doloris sedes erat in hypochondrijs, lumbis & toto abdomine, postea etiam in coxis, cum totius corporis prostratione & lassitudine. Nausea perpetua, Vomitus frequens

flauæ bilis, poſtea etiam atræ, illarumque per aluum ſubinde deiectio, Febris quoque vrgebat aſſidua; Pulſus durus, vibrans: Vrinæ bilioſæ; Sitis inexhauſta; proſtratus Appetitus; Vigiliæ aſſiduæ. Superuenit poſtmodum tumor circa nothas coſtas ſiniſtri lateris, verſus os xiphoides vſque prominens. Quo paulatim & cum acerbiſsimo & punctorio dolore excreſcēte, tandem illa durities, longè lateque ad totum ſtomachi fundum, fuit diffuſa, atque ita miſerum exercuit, vt dorſo ſemper ſupinus incumbere cogeretur, cùm alioquin in neutrum latus poſſet corpus flectere. Sicque miſerè excarnificatus, & ad extremum vſque marcorem redactus, tandem frequenter ſyncope prehenſus, fato conceſsit.

Diſſecto autem cadauere, apertoque abdomine, primùm ſe obtulit Hepatis lobus, orificio ventriculi poſteriori ita affixus, vti & diaphragmati nothisque illic coſtis, vt non niſi fruſtulatim inde auelli ſecarique potuerit, portio hæc illius nigricans, ex inflammatione fortè, quæ præceſſerat, cùm reliquum hepatis parenchyma rectè & bene ſe habuerit.

Deinde cum pyloro induruerant totum Pancreas, & Meſenterium, in molemq; ſupra modum latam, longam, & craſſam excreuerant, multùm ponderantem, vnde chyli tranſitus ad hepar penitùs erat interceptus, viaq; hæc occluſa. Ex quo & credebamus factum, vt diſſecto cadauere, nullus omnino ſanguis è venis effluxerit, etiā maioribus, ne arterioſus quidem, & qui in illis adhuc continebatur, erat paucus, niger, torridus, & non niſi per grumos oblōgos, veluti cōcretus, ita vt ab ijsdē vaſis, atq; etiā ex ipſo corde digitis extrahi potuerit.

In idem corpus ſcirrhoſum concreuerat (quod penè fidem ſuperat) Venæ cauæ truncus, nullâ eius

eius cauitate conſpicuâ, toto eo ſpatio, quo à ſima iecoris parte, ad eius diuaricationem, circa os ſacrum deſcendit. Vti quoque alij Adenes, & ipſe Adeps, qui fulciendis magnis vaſis ſubſternuntur, à media regione thoracis, ſecundùm ſpinam dorſi, in tophos induruerant, omnib. ijs partibus, in vnicũ idemq; corpus ita coagmentatis, vt vnicus ſcirrhoſus tumor concretus videretur. Durities autem erat ex albo flaueſcens, ex qua, cùm contrectabatur, purulenta materia, nunc craſſior vti ex ſteatomate, nunc tenuior, veluti ex meliceride, nunc ichoris inſtar profluebat, atq; in hanc materiam, durities hæc, hinc inde conuertebatur.

Præter has ineuitabilis mortis cauſas, accedebat Pulmonum vitium, qui quaquauerſum, multo purulento ichore repleti & diſtenti erant, illisque diſſectis, inde copiosè effluebat, adeò vt tunc flaccida & collapſa reliqua eſſet pulmonum ſubſtãtia.

Huic ſectioni, clariſsmi Medici Iohan. Alboſius Gallus, & Caſparus Bauhinus, vnà mecum interfuêre.

Hypochondrij ſiniſtri tumor in Febre ſemitertiana.

VIde in Febribus. Lib. II. Semitertiana ſeu Hemitritæus &c.

Hypochondrij dextri dolor, à contuſione illius lateris & vaſorum interiorum.

DVo famuli ioco digladiantes, & ſegmentis aſſerum longioribus armorum loco vſi, vnus aromatarius alteri piſtori, in hypochondrij dextri lateris infimam ſedem, coxendico proximam, ſeg-

men adeò violenter impegit, vt statim dolorem illic sentiret, qui adauctus indies, in crus dextrum, quod ob id ægrè mouebat, quoque descendebat, sicq; afflictus, febricitans, alijsq; symptomatibus accedentibus, de quibus mihi non constat, in hospitale delatus, illic 7. Maij. An. 1599. extinctus est.

Iudices criminales more Basileę solito, de causâ mortis cadaueris in medio propositi sententiam laturi, me cum chirurgis, vt corpus inspiceremus accersiuerunt. In quo nullo signo lethali extrinsecùs apparente, nec in latere affecto, nec capite, vbi quoq; sed leuiùs percussus erat, interiora inspicienda esse, decreuimus. Itaq; abdomine sectione aperto, thoracisque sede huic proximâ, vt rectiùs omnia in conspectum venirent, primo intuitu, intestina in latere læso, maculis quibusdam liuidis, & subflauis notata vidimus, omentumque intestinis instratum, simili colore vitiatum, vti & vesiculam fellis penè inanitam, coloreque felleo flauo, portionem intestini, quæ illi proximè incumbit, admodùm lata macula tinctam, vti & septi transuersi sedem dextram valdè quoque flauam & liuidam. Ex quibus tamen nihil certi, an hoc ex ictu, in eo latere facto prodierit, aut morti occasionem præbuerit, conijcere potuimus: donec cõuolutis intestinis, & depressis è dextrô abdominis sinu in sinistrum, hepateque sursum eleuato, mesenterij vasa circa illius originem, vbi dorso adhæret, & in ambitu illius, & adhærente illi intestino, penitùs cruenta, & veluti contusa, psoasque musculos, illi lateri succumbentes, simili modo affectos deprehendimus.

Ex quibus inflammationem, in corporibus mortuis nec rubore nec tumore, vt in viuis, sed ex dictis indicijs se manifestantem, in hac abdominis sede, & contusionem aliquam enarratorum vaso-

rum,

rum, & partium, exictu illo factam fuisse (modò non & erysipelas illic vbi bilis effusa, tingebat partes, fuerit) occasionemque huic dolori in latere dextro, & in crure quoque, propter musculos psoas dictos, ad femur descendentes, illudque mouentes, sese offerentibus, mortique tandem, cùm nullis remedijs coërcita fuerit, forteque in illis abditis locis non potuisset, occasionem præbuisse, coniecimus, & coram iudice pronuntiauimus.

Dolor circa renum regionem ob illorum impuritatem, & Pituitæ tenacis excretio.

FEbris quendam Burgundum, mense Septemb. Anno 1611. inuasit, quam quartanam esse, intermissio duorum dierum, satis ostendebat, postquam consilio Medicorum venâ apertâ detraxisset ℥.xx. sanguinis, cessauit febris, relicto ictero, qui postmodum purgatione per puluerem, quem ex consilio Empirici quater sumpsit, subductâ copiosâ aquâ citrinâ, cessauit.

Remanserunt tamen sequentia post eum accidentia.

Dolor imprimis in lumborum regione superiore dextri lateris, circa renis illius situm, pituitæ tenacis, quæ excrementis alui duris, circumuoluta erat, excretio, alui frequens cõstipatio, flatus multi, appetitus insufficiens, vrina rubra, quæ statim excepta vrinali affigebitur, & pinguem quandam materiã, quæ ægrè extergebatur, referebat, & mucosam ac fibrosam albam in se continebat.

Dixi renum impuritatem, lienis & hepatis obstructionem adhuc superesse: Item ventriculi cruditatem & imbecillitatem.

Ordin. illi seq. pilul. ℞. Aloës succoc. ℥ j. Myrob.

cit.℥.j.ß.Rhabarb.ʒ.j. rad.Ireos, Gentianæ an.℥.ß, gum.Ammon.℈ j.ſe.Cimini ℈. ß.Diagryd.℥.ß.cum Terebinth.fiat maſſa.

Vinum 8. menſes ordin.ex ramentis Tamaricis, rad. Cichor. Dentis leon. Iridis,Fœniculi, Imperatorię, Anonidis,cort.Ebuli,Sambuci,Arantiorum, herb.Abſynth.Betonicæ,Chamædr.Maioran.flor. Roſ.Centaurii min.ſem.Fœniculi &c.bibit.

Inunxit latus Vnguento deobſtruente: Et quia in tibia dolor quandoque ſe exerebat, iuſsi Balſamæleo illinire.

IN GENITALIVM DOLORE Obſeruationes.

Penis interna externaq́; vlcera.



VIde in Purulenta excretione Lib. III. Puris è pene effluxus, vlcusq́; illius &c. Iterum in ſimili affectu.

Vteri & Veſicæ ceruicis vlcera, cum effluxu Puris vitioſi & dolore in illis ſedibus.

SCripſit ad me nobilis quædam matrona conſilium petens, ſe ſequentibus accidentibus iam multos annos moleſtari. Sentire ſe in vteri ſinu, & podice dolores, dies noctesq́ue; grauiùs tamen affligentes hyemis tempore, quàm æſtatis, frigore enim illos vehementer exacerbari. Poſt vſum peſſariorum, ex conſilio Medici inditorum, effluxiſſe pus album & ſubuiride. His intellectis, cùm de vlcere vteri vel veſicæ ceruicis dubitarem, eoq́; nomine ad quædam interrogata reſponderi mihi cuperem: reſcripſit, ſe congreſſum mariti ægrè interdum perferre; pus tantùm ferè, cùm peſſario vteretur,

tur, profluxisse, rariùs spõte ante mictionem; punctiones acutas in pube, ardoresq; vehementes circa pudendum & anum se experiri, cùm conatu deijciendi maximo, & stupore circa inferiores illas sedes, doloreque in lumborum regione.

Suspicatus itaque excoriationem quandam, aut inflammationem, vel abscessum in ceruice vteri vel vesicæ, vel in vtrisque locis esse. Insessionem sequentem præscripsi, in qua indies horam vnam, & præsertim cùm dolor vrgeret, sederet: ℞. radic. Altheæ, Liliorum an. M.j. herb. Equiseti, Plantag. an. M.ij. fol. Lauri, Arthemis. an. M.j. fl. Chamomil. Melil. an. P.j. s. Lini ℥.j. s. Anethi ℥.ß. fiat decoct. pro insessione.

Iniectione dein per syringam in sinum vteri sequenti vti iussi: ℞. resinæ Laric. ʒ.ij. vitell. Oui nu. j. mucil. s. Cydon. ℥.j dis. cum Sero lactis & aq. Plantag. an. ℥.vj. Pro iniectione.

In vesicam interdum quoque vt infunderet docui, troch. Albos Rhazis, subtiliss. tritos, & diss. cum Lacte caprino.

Atq; vt pessarium, ex vnguento Pompholygos formatum, aliquãdo noctu impositum contineret.

Et vt syrup. sequentem alternis diebus ad ℥.ij.ß. manè sumeret: ℞. rad. Consol. ℥.j.ß. fol. Lauri, Plantag. Millefol. an. M.j. omnia arida conquass. decoq. in Vini mens. j.ß. addendo Mellis ℔.j. donec ad mediam consistentiam syrupi redigatur.

Hęc remedia cùm illi transmisissem, vsumq; docuissem, illa veris appropinquante tunc tempore, mutato consilio, thermas Piperinas adijt: quibus dum vsa fuit, meliùs habuit. Verùm domũ reuersa, denuò ijsdem doloribus, vt priùs conflictari cœpit, tuncq; primùm remediorum, quæ interea seruauerat, vsum aggressa est: eoq; ad mensis spatium continuato (sicuti hæc omnia diligenter ad me postea

transcripsit) cùm vna nocte intolerabiles mingendi conatus sensisset, abscessus in ipsius ceruicis vesicæ introitu disruptus, per triduum pus cruore permixtum profudit. Deinde cessantibus & pure & dolore, aliquot menses nulla grauia ampliùs illis in locis sensit incommoda. Verùm temporis spatio elapso, rursum præcedenti mingendi ardore, ruptoq; abscessu, per biduum sanguinem & pus excreuit. Idq; tertiò biennij spatio factum est. Quo peracto, quemadmodum tunc rursum per literas mihi significauit, cœperũt continui dolores, illam in ipso vrinario meatu vrgere; quales in abscessu dum pus generatur, fieri solent, cum pruritu, ardore & punctione illius loci, accedente horrore, subsequenteq; febrili calore.

Quibus intellectis, cũ de solo vlcere ceruicis vesicæ, quod, curato iã eo, quod in vteri ceruice fuerat, restabat, certus iam essem; illudq; accedẽte nouâ inflammatione, eaq; in abscessum conuersâ, eoque rupto interdum recrudescere cognoscerem.

Primùm, vt abscessus, cuius tunc manifesta, cùm hæc mihi scriberet, indicia aderant, aperiretur, & dolor sedaretur, insessionem sequentem pręscripsi: ℞ rad. Alth. Lil. Bryon. Consol. an. M. j. herb. Maluę, Pariet. Beton. an. M. ij. fl. Cham. Melil. an. P. j. semin. Lini, Fœnogr. an. ℥. j. Furfur. P. j. decoq. adde Lactis mens. j Sedeat frequenter in ea.

Applicationem dein talem præscripsi: ℞. vitell. Ouor. num. ij. Mell. ℥. j. ß. Laric. ℥. ß. misc. addendo ol. Ros. cremoris Lactis ana ℥. ß. Appl. cum petia supra vrinarium meatum, noctu.

Abscessu aperto, & à pure repurgato, vt dolor sedetur, & ne noua accedat inflãmatio, & post eam abscessus, sicuti iã quartò accidit, sed vt vlcus sanetur, vt sequentibus vteretur, edocui.

Puluere primùm hoc, ad dolorem sedandum, curan-

curandumq; vlcus: ℞.troch. Alkekengi sine opio rec.præp.℥.j.rad. Consol. Alth.an.ʒ.j.ß.gum.Trag. ʒ ß.sem.Hyosc.ʒ.j.Sacch. candi ℥.j.ß. fiat puluis tenuiss.Capiat ʒ. ij. cũ lacte Caprino,noctu cubitum itura: continuatis aliquot noctes, postea alternis, tandem bis in septimana.

Dein inijciatur in vesicam per dies aliquot Serum lactis caprini,in quo rad.Consol.decoct.fuerit addito pauco Melle, & troch.albis Rhazis cũ opio, quamdiu dolor persistit, eóq; remittente,sine eo.

Tuncq; sequenti vtatur: ℞. radic. Bistort.℥.j.ß. rad.Consol.℥.ij.herb.Agrimon.Plantag.Equis. ana M.j.conquass.& in aq.Ferrata decoq.& Sero lactis: Pro iniectione,inijciatur.

Decoctum hoc etiam ad exulcerata illa loca sananda præscripsi,cũ & ceruix vteri lęsa adhuc nonnihil esse videretur,sicuti in vtrisq; locis hæc vlcera tandẽ concurrere,& sæpè pertuso interstitio vteri, in vnum vlcus desinere,cuius causâ excrementa alui & vrina per eandem viam confusa reddita quandoq; obseruaui: ℞.fol.Lauri,Plantag.Agrim.an.M. j.decoqu.in mens.j.ß.Vini,& Mellis quar.j.ad consumpt.tertiæ partis: Bibat aliquot matutinis: eóq; absoluto nouum paret repetatque. Hæc illi plurimùm profuisse,iamque diu bene valere illam,ex ipsius iam tertio ad me datis cognoui literis.

Vteri & vesicæ ceruicis, cum adhærente Recto intestino,dilaceratio,vnde vrina & stercus confusa excernebantur.

IN partu violento fœtu extincto,cuidam mulieri vteri & vesicę ceruix adeò læsa sunt,vt excremẽta confusa stercoris & vrinæ inuicem redderent;

tur; & obstetrix intromissum digitum in podicem eundem per pudendum exereret. Quod malum Anno 1596. aliquot septimanas fuit passa, & tantum doloribus circa illas partes & crura diuexata. Quam post sesquiannum adhuc vixisse audiui.

Vteri ceruicis orificij nimia ampliatio, cum dolore aliquo ob vim illatam in infantia.

Vide in Deformatione. Lib. III. Vteri ceruicis nimia ampliatio, &c. In quatuor puellis.

Vteri ceruicis vlcus, è quo Ichor & Pus effluebat.

Ivuencula mulier benè habita, iam annos aliquot nupta, sterilis, de dolore & ardore summo in interioribus pudẽdi conquesta fuit, infensa marito, quem se sic læsisse asserebat & arguebat. Quod ab initio celans, vti verecunda erat, tandem matronæ sibi familiari confessa, cùm locum affectum tractantes, tumorem aliquem intrinsecùs in ceruice vteri deprehenderẽt, flueretq; inde ichor quidam summè acris & adurens, tandem etiam purulenta materia, vnde adesse conieci.

Cùm ad me consilij causâ venisset matrona 24. Octobris, Anno 1603. vnguentum sequens, doloris vlcerisque causâ præscripsi, vt illud cum panno linteo discerpto, vteri ceruici intruderet: quod ℞. mucilag. seminis Psilij factæ cum aqu. Rosarum ℥.iij. vitellos Ouorum num. ij. Trochisc. alb. Rhasis cum opio, Butyri recent. ana ℥.ß. fiat instar vnguenti.

Deinde vtatur hac iniectione cum sphyringa, 25. Octobris: ℞. aquarum Solani, Plantaginis, Rosarum

ſarum an.℥.ij. Opij diſſol.℈ j. albumin. Ouor.nu.j. olei Roſarum ℥.j. Agitentur probè.

Lenimen ab hiſce & præſertim vnguento maximum ſenſit, quare illius vſum poſtea ſemper continuauit. Sed poſt dies aliquot diuerſionis gratiâ, cùm adeò copioſè ichor vrens effluerct, dedi illi Mannæ ℥.j.ß.cum Iuſculo.

Et quia mirè eam affligebat fluxus ille, idque præſertim peracto menſtruo fluore, indeque malum proficiſci clamans, dedi ſequentem potionem, noctu cubitum ituræ, 29. Octobris: ℞. ſyrupi de Papauere ℥.iij. trochiſc. Alkekengi ſine opio ℥.ß. aquę Plantag. & Roſ.an.℥.j. Sacchari roſat. tab. ℥.ß. Miſce fiat potio.

Perſeuerabat interim in vſu Vnguenti & Iniectionis; quæ reiterata fuerunt, & vt fluoris muliebris illius cauſa minueretur, ſic eam 13. Nouembr. purgaui: ℞. ſyrupi Roſarum ſolut. cum infuſ. Rhabarbari ℥.j. elect. de ſucco Roſar. ℥.j.ß. aq. Plantag. q.ſ. fiat Parua potio.

Vt meliùs purgaretur, vlcusque ab hac illuuie quæ eò ferebatur, liberaretur, poſt triduum ipsâ expetente, ſic denuò purgata fuit: ℞. radic. Liquiritiæ ℥.ß. rad. Anonidis, Conſolid. an.ʒ.ij. foliorum Sennæ ʒ.vj. ſemin. Aniſi ʒ.iij. prunorum Damaſc. num. iiij. Florum cordialium P. j. fiat decoctio. Infunde Mechoacæ ʒvj. fiat expreſſio, diſſolue ſyrupi Roſarum ſolut. ʒ.j. elect. de ſucco Roſarum ℥.ij. fiat Potio.

Cùm rediret per vices ardor & cruciatus, qui tamen ſemper vſu vnguenti ceſſabat, dedi ſequẽtem emulſionem, vt aliquoties biberet, præſcripſiq; 18. Nouembr. ℞. emulſionis quatuor ſemin. frig. Maiorum. fact. cum aqua Roſarum & Plantaginis ana ℥.vj.

Item iniectionem nouam ordinaui quæ: ℞. Tro-

chisc.alb.Rhasis cum Opio ℥.ß. mucilaginis semin. Psilij fact. cum aq. Rosarum ℥.ij. Infusionis gummi Tragach.ʒ.j.fact. cum aqu.Plantag.℥.ij.Misceatur, Inijciantur cum lacte.

Suffitum hunc quoque per alembicum, iniecto puluere sequenti super carbones excipiebat,singulis matutinis,quem valde probabat: ℞.Thuris,Mastiches an.ʒ.j.ß.Benzoini,Storacis an,ʒ.j. Fiat puluis pro suffitu.

Ad sanationem vlceris,tandem hác iniectionem mense Decembr.14. præscripsi: nihilominus semper in vsu vnguenti perseuerans, quod omnibus præstabat: ℞. radic. Consolidæ ℥.j. rad. Bistortæ ℥.ß.Altheæ ʒ.vj. herb. Plantaginis,Equiseti, consolid.Sarracenic.an.M.j.feminis Lini ℥.j.semin.Psylij ʒ.ij. Hordei P.j. fiat decoctio & in ℔.j. Dissolue Mellis rof.℥.ij.Sacchari rubri ℥.j.Misce pro,Iniect.

Cùm mense Ianuario,ichor ille denuò flueret,& si ille auferri posset,se sanam fore narraret, iterum eam purgaui 17.Dec.℞.pilul.Aggreg. Sine quibus an.℈.j.Cum aquâ Plantag.fiant Pilulæ 9.

Vsa dein fuit sequenti puluere per vices, parato 21.Ianuar.℞.ossium Dactyl. ʒ.ij. pulueris Equiseti ʒ.j.Corall.rubr.℥.j.ß.Sacch.rof.tab.ʒ.j.ß.sanguinis Draconis ʒ.ß:fiat Puluis tenuissimus.

Horum vsu cœpit ita sanari, vt in publicum prodire posset, quod iam longo tempore minimè potuerat, nec maritum admittere. Verùm circa Aprilem,iterum fluor,licet minori quantitate, admodùm tamen acris redijt.

Itaq; cùm veris instaret tempus, sic purgata fuit 11.April.℞.radic.Liquiritiæ ℥.ij.rad.Consolid.℥.j. fol.Betonicæ, Melissæ,Chamædr. an.M j. florum Cordial.Genistæ an.P.j.seminis Fœniculi ʒ.ij. Anisi ℥.ß. f. Carthami conquass. ℥.j.ß. foliorum Sennæ, rad. Polypod. an.℥.ij. Epithymi ʒ.iij. Passul. enucl.

par. x. Sebesten. nu. 10. fiat decoctio. Infunde Rhabarbari elect. ℥.ß. Exprimatur, fiat Apozema, pro quatuor vicibus, aromatis. Cinam. ʒ.ij. dulcor. Sacchari q.s.

Postquam purgata erat, hac insessione vsa est: ℞. rad. Consolid. herb. Consolid. Sarracenic. Alchimillæ, Plantag. Equiseti, Hederæ, Maluę. Chamom. an. ad captum oculi, addendo s. Lini & Gypsi vsti scutell. j. Coquantur in aqu. Pluuial. addendo Aqu. fabrorum extinct. ferri.

In hac insessione indies per horas ij. sedit continuauitq; ad mensem vnũ, & quoties è balneo egrediebatur, hunc suffitum admittebat: ℞. Thuris, Mastich. an ʒ.iij. Benzoini, Storac. calamitę an. ℥.ß. Succini ℥.ij. fiat Puluis crassus pro suffitu.

Inijciebat interim continuò trochisc. Alkekengi diss. cum lacte Caprino, dolore vrgente cum Opio, postea sine eo.

Mense Augusto denuò sese sed leuiter, idq; solùm post menses transactos, hic fluor offerebat. Purgaui illam hisce pilulis: ℞. pilul. Mastichin. ʒ.ß. Cum Vino albo fiant pilulæ vij.

Postea iterum insessionem priorem repetijt, dies aliquot, atque sic in integrum restituta, non sine remuneratione & gratiarum actione magnâ, mihi valedixit.

Vesicæ ceruicis & vteri vlcera purulenta.

VIde in Genitalium dolore. Lib. 11. Vteri & vesicæ ceruicis vlcera &c.

Vesicæ ceruicis & vteri dilaceratio.

VIde ibidem Vteri & vesicæ ceruicis, cum adhærente &c.

Vesicæ & vteri colli orificij, & Podicis hæmorrhoidum dolor summus.

MAtrona nobilis annos 63. nata, capitis doloribus, & defluxionibus in iuuenilibus annis obnoxia, quo nomine varijs vsa erat remedijs, atque inter ea, curâ per decoctum Guaiaci administrari solitâ, tribus vicibus, cauteriorumque tam in capite quàm brachijs applicatione. Ante triennium nouis malis & cruciatibus affligi cœpit. Fuerunt verò hi tum in vesicæ ceruicis initio, quod admodùm rubebat, atq; interdum inflammabatur, cum intenso ardore doloreque; tum in colli matricis orificio, in quo tuberculum natum similiter eam affligebat; tum & in podice, ob hæmorrhoides cœcas, quæ frequenter, intumescebant, cum summo dolore. Dein & Fluore insuper muliebri albo, admodùm infestabatur (nam mensium naturalium tempus iamdudum præterierat) vnde ampliùs in tribus hisce locis irritabatur malum.

Cùm multa ad sedandos eiusmodi dolores fuissent admota anodyna, quorum tamen contactum ferre non poterat, vti nec insessiones in balneo. Chirurgusque cathetere immisso, in vesicam, explorasset an calculus subesset, nihilque deprehendisset, atq; dolorem exacerbasset, nullumque inueniretur remedium, quo dolor vel minimùm mitigaretur, ad me chirurgũ consilij gratiâ ablegauit. Anno 1610. mense Aprili, vt suppetias ferrem, & dolori sedando præcipuè intentus essem, rogans. Quapropter hisce tantùm locis remedia accommodare volui, eaq; meo iudicio, efficacissima.

Primùm itaque suasi, vt hoc vnguento partes dolen-

dolentes, tum vesicæ tum vteri orificij, vti & podicis quando tumerent hæmorrhoides, blandè illiniret, penicillo molli, vel plumâ intinctis in hoc linimento, sic parato: ℞. succi Hyoscyami ℥.ij. mucilag. sem. Lini, Psilij extractæ cum aqua Plantag. an.℥.ß. cremoris Lactis, ℥.ij. ol. Amygd. dulc. recentis ℥.ß. coquantur ad consumptionem succorum, adde Opij ʒ.ß. bene dissoluti cum Lacte, Ceræ albæ q.s. fiat Linimentum.

Dein vt foueret, cùm dolor maximè vrgeret, loca dolentia hoc liquore, cum Spongiola vel Lana vel Bombace in hisce madefactis: ℞. Lactis caprini ℥. vj. vitellor. Ouorum numero ij. mucilag. seminum Psilij, & Hyosquyami & Cydoniorum factæ cum aqua Solani ana ℥. ij. agitentur ad vsum.

Suffitum quandoq; admittat, partibusq; inferioribus excipiat, in sella perforata, ex decocto fol. Verbasci & Hyosciami suscitatum.

Possunt & quandoque fol. Hyosciami parùm conquassata & calefacta, si contactum ferre possit, apponi.

Bibat noctu cubitum itura, haustum Lactis caprini, addito Sacchari penid. parùm, in quo lacte rad. Consolidæ maioris parùm ebullierint.

Postquam per biduum illud biberit, tertia nocte, adijciat lacti sic præparato pulu. sequentis ʒ.j. ℞. trochisc. de Alkekengi cum opio ℥.j. ß. Sacchari penid. ℥.ij. fiat puluis.

Vino bibendo, cùm eo carere non possit, Saccharum permisceat, vt dulce fiat, minusq; accendat: Vel syrupum Violaceum, aut iulep Violaceum quod non solùm gratiam Vino addit, sed etiam vires illius infringit.

Excipiat, vbi dolor remittere incipit, fumum, ex puluere carbonibus iniecto, excitatum, parti-

bus inferioribus, vti desuffitu superiùs dictum, sequenti modo: ℞. Thuris, Mastiches, Ladani, Styracis, Benzoini, Charabe an. ęquas partes.

A salsis & aromatisatis & acribus sibi temperet.

IN PODICIS DOLORE Obseruationes.

In Podice dolor summus, ob hæmorrhoidalium venarum internarum inflammationem & exulcerationem, in sene quodam & matrona.

GRauissimè hisce periculosis malis, senem quendam, & matronam diuexatos longo tempore, & tandem nullis iuuantibus remedijs, extinctos obseruaui. Atq; in viro quidem ita afflicto, difficilem fore curam, pronunciaui, quæ sic fuit instituta.

Suppositorium primò fuit inditum: ℞. Thuris, Myrrhę, Croci, Opij an. ℈.j. subtiliss. puluerisata excipiantur mucilagine semin. Psilij, & Vitello oui, additâ Pomadâ liquefactâ, vt formari possint suppositoria mollia.

Cùm ex contactu exacerbationem sentiret, nec diutiùs retinere posset, vnguentum quod nihil asperi reciperet, podici blandè cùm Lana vel Penicillo inseri iussi: ℞. Pingued. gallinæ rec. Butyri rec. an. ℥.j. Vitellum oui, nu. j. mucilag. seminis Psilij ℥.ß. Croci ℈.ß. Ceræ albæ parùm.

Dein instillare sequens, & podicem eo fouere: ℞. mucilag. s. Psilij ℥.j. Cremoris lactis ℥.iiij. Emulsionis

sionis semin. frig. maior. ℥.j. Vitellos ouor. num. ij. misceantur.

Cœpit horum vsu leuamen aliquod sentire, sed quandoque recrudescebat malum, ita vt coactus fuerim, & somni conciliandi gratiâ, à quo dolor eum auocabat, & doloris sedandi, narcoticum interdum exhibere sequẽs: ℞. Bdellij emolliti succo Plantag. ʒ. j. Opij dissolut. in Aqua vitæ ℈. j. fiat massula. Detur pilula j. granorum sex vel paulò plùs, minusúe, prout operabitur. Harum loco pilulam Cynoglossæ eodem modo exhibui.

Oleum sem. Hyosquiami per expreſsionem elicitum, cum penicillo podici indebatur.

Tandem vt sanaretur exulceratio, & tumor hæmorrhoidum subsideret, suffitum ex decocto fol. Verbasci podice excepit.

Postea etiam fumum, excitatum ex puluere iniecto Carbonibus, parato, ex Thure, Mastiche, Benzoino.

Hæmorrhoides cœcæ summè dolentes cum vesicæ & vteri orificij dolore.

Vide In vesicæ & vteri colli orificij dolore &c.

Podicis summus ardor & inflammatio ex contactu rerum adurentium.

Medicinæ quidam, & imprimis rei herbariæ studiosus, capsicum quod Piper Indicum vocant, in vase seminarat, & Siliquas maturas Corallij instar rubentes & nitentes decerptas seminibus exéptis, papyro inuolutas, disruptas siliquas asser-

uabat, poſtmodumq; eas alibi reponens, chartam in qua incluſa fuerant, in locum ſecretum, vnà cum alia charta deportari curauit, vbi cùm nates abſterſurus, illam, quæ à Pipere indico nonnihil imbuta erat, caſu arripuiſſet, frictiſq; eâ natibus, ſubitò tantum ardorem ſentire cœpit, vt nullibi quieſcere poſſet, auctoq; hoc incendio, & vti ille vocabat, gehennâ, diſcurrens, adeò inſaniebat, vt ad me properanter, in ipſa nocte conſilij causâ, ipſius conterranei venirent; Cui, vt in Balneũ aquæ dulcis mox ſederet, tepidum in ſemicupio, ſuaſi, addito Lactis quantum inuenire illicò poſſet. Quod & factum, vnde quidem leuamen aliquod ſenſit, ſed ardor tamen per noctem & diem ſequentem adhuc perſeuerauit, ita vt nunc Lacte podicem fouere cum album. Oui agitatis, nunc Butyro recenti eundem illinire, cogeretur.

Obſeruaui quoque cuidam, qui chartâ in hanc rem vſus erat, in qua piper aromaticum priùs contentum fuit, idem accidiſſe.

Frequenter quoq; contigiſſe notaui, eos, qui capſici ſiliquas apertas manibus tractarant, & poſtea oculos manu perfricuerant, vel interiora nariũ, aut alias tenellas ſedes, veluti labia, vehementem ardorem illis in locis excitaſſe: Vti & in glãde virili, eam digitis, pipere hoc infectis, micturi attrectantes.

Podicis excoriatio & læſio intrinſecùs, à talpa caſu in anum irrepente, indéque cum labore euulſa.

QVidam ruſticus, febre quartana laborans, cùm in die quietis, animi gratiâ, in hoſpitio cum alijs ſuæ conditionis commeſſaretur, & de ſe-

de febre, quâ affligebatur conquereretur, vt ab ea liberari posset, quidam illi consuluit, vt talpam viuam tam diu, donec moreretur, manu retentam pressamque retineret, esse enim hoc certum remedium. Quod vt statim experiretur, vnus ex ijs in pratum talpis plenũ, exiens, vnam ligone, sub terra se mouentem, quo modo eas capere solent, erutam, viuam cœpit, ligulaq; pede illius posteriore astricto, in hospitium delatam, ęgro dedit. Quam ille, donec domum reuersus, eâ vti posset, in sacculum linteum, caligis insutum occlusit. Ex quo talpa rustico in mensa moram trahente, exitum quærens, primùm panem mox & saccum perterebrauit, & in clunium interstitium se ingerens, ad podicẽ vsque progressa, pedibus anterioribus, quibus manuum instar terram fodere solent, anum dilatans, caminarijque instar, in eum medio corpore irrepens, rectum intestinum cum magno patientis dolore subiuit, qui illicò exclamans, demissis caligis, vt opem ferrent, astantes rogauit, qui ligulam talpæ alligatam, adhuc propendentem apprehendentes, dum trahendo talpam extrahere nituntur, illa contra nitente, pedibusque & acutis suis vnguibus, intestino infixis se firmante, cruciatum summum ægro adferentes, ab opere desistere coguntur. Tandem æger, exagitatus dolore, posteriora supra scamnum, sæpe & validè concutiendo, eam attonitam reddidit, ita vt vlteriùs in podicem tota se non ingereret, sed viribus amissis, postea extrahi potuerit. Perseuerante nihilominus dolore ob læsionem intestini, quam vnguibus talpa pepererat. Quamobrem tenesmo laborans, per quosdam ad me consilij causâ, missos, casum hunc mihi explicauit, ridiculum quidem, periculosum tamen, quem & annotare ob id non piguit. Pręsertim cùm antequam sanaretur, anodynis vnguen-

tis podici immissis, & dein vlcus sanantibus, ac fumis podice exceptis, eum vti oportuerit.

IN HABITVS CORPORIS DOLORE Obseruationes.

Arthritis.

QVædã bene habita & crassa admodũ mulier annorũ viginti quinq;, quę semel adhuc tantùm pepererat, cruciatu magno affligebatur, circa coxédicis articulum, mox etiam in poplite, tandem in manibus pedibusque, & in dorsi regione atque ceruicis, ipsiusq; mandibulæ articulo: Tumor cum rubore in certis locis se manifestabat, adeoq; torquebatur, vt & ex contactu, & decubitu & sessione, dolores intolerabiles pateretur, Arthritidé autem esse satis constabat, quam & nomine excogitato Glidtsucht nominaui.

Vocatus 15. Aprilis, Anno 1592. à Vino abstinere iussi, illiusq; loco Aquam coctam & Lac amygdalinum bibere.

Pilulas has quoque exhibui: ℞. pilul. Sine quibus ℈. ij. cum aqua Saluiæ formentur.

Sequenti die, inungere iussi loca dolentia: ℞. ol. Chamom. Liliorum. Amygd. dulc. an. ℥. j. vnguenti Dialtheæ ℥. ß. misce: Vngatur, manibus madefactis priùs Aqua vitæ.

17. Aprilis permanente summo dolore, sub vesperam bibit sequentem Iulepum: ℞. syrupi de Pap. Iulep. rosſ. aquæ Rosſ. an. ℥. ß. misce. Quievit & sudauit, sicuti post narcotica sumpta fieri solere, iam sæpe obseruaui.

Quia verò etiam sudor profuerat, vt deinceps quoque sudaret ordinaui: ℞. ligni Gaiaci. ℥. j. Zarsæ paril.

sæ parillæ ℥. ß. rad. Liquirit. ℥. j. Passul. quart. j. fiat decoctio in mens. j. ß. Aquæ ad tertiæ partis consumpt. arom. Cinamomo: Bibat de hoc decocto summo manè, sudet. Vsa fuit dies aliquot, & tolerabiliùs ferebat dolores.

28. Aprilis, iterum inquieta, vigiliisque molestata, sumpsit tabulas opiatas meæ descriptionis, noctu, & placidè dormiuit, iterumq; sudauit; ab eoq; tempore cœpit malum mitescere.

Ad tollendas mali reliquias, denuò pilulas priores exhibui, & suasi vt in stupha sequenti die sudaret, sumptis priùs rob. ex Sambuco ʒ. ij. Sicque omnis dolor desijt.

Verùm nimis maturè aëri se credens, 13. Maij in manibus dolor rursum subortus chiragricus: iussi inungere, oleo Chamomelino, Irino, pannoq; Cannabeo inuoluere manus.

Sequenti die accessit reliquorum quoque articulorum dolor, pluribus in locis, non tamen adeò grauis, vti ab initio fuerat. Et quia corpus plethoricum erat, & excrementis quoque scatebat, detracto primùm sanguine è vena brachij apertâ, dedi postea sequens apozema: ℞. ligni Gaiaci ℥. ij. ligni Salsaphras ℥. j. rad. Enulę ℥. ß. herb. Chamępitheos M. j. fl. Anthos, Saluiæ an. P. j. fol. Senæ ℥. j. ß. sem. Coriandri ʒ. j. sem. Fœniculi ʒ. ij. sem. Carthami conquas. ℥. j. fiat decoctio & in ℔. j. col. inf. Agar. troch. ʒ. iij. Zingib. ʒ. ß. fiat expressio arom. Cinam. ʒ. iij. fiat Apozema pro quatuor, vel quinque vicibus, addendo Sacchari quartarium ß.

Postquam semel sumpsisset, superuenêre menses, quorum causâ desistere eam oportuit, quibus peractis ad vsum Apozematis reuersa, meliùs habuit: moxq; iterû sanitati restituta est. Præmonita priùs, vt parcè cœnaret, aliquando cœnam quoque omitteret, nec aëri se tàm citò exponeret.

Arthritis post partum.

MVlier post primum partum 17.Ianuarij,An. 1598.dolorem in dextra manu sentire cœpit. Sequenti die non solùm in manuum sed & pedum articulorum sede, dolor vehementissimus obortus est, cum tumore & rubore, in certis locis. Sudor frequenter erumpebat, corpusque admodùm calebat.

Quarto die à morbi principio ad me miserunt, iussi locum dolentem illinire sequenti linimento: ℞.ol.Laurini ℥.ij.ol. Lumbricorum ℥.j.ß. aquæ Vitæ ℥.ß. Camphoræ ℈.j. Opij ℈. ß. coquantur:Et illinat locos dolentes manè & vesperi, pannoque tepido partes obuoluat.

Si non remitteret, iussi Panis micam decoquere in lacte Caprino, pulpæque contusæ, oleum prædictum permiscere, & Cataplasmatis instar applicare.

Vt biberet decoctum sudatorium manè, & si iam priùs sudaret, ad naturam eò quò vergebat ducendam, imperaui: Quod ex Milij integri cochl. quinque, decoctis in mensurâ Aquæ ad crepaturam seminis vsque, parare iussi, addendo parùm Sacchari.

Post sudorē vt se reficeret sequēti syrupo: ℞.syr. de Ribes, de Granat. an.℥.j. Capiat cochl.j.vel duo.

Dolor sensim remittere cœpit, ipsaque primùm fulchris innixa, mox sponte ambulare.

Arthritis & præsertim Gonagra, in Viro.

SExagenarius quidam senator, tumore & dolore in genu vtriusque pedis laborare cœpit, quo affectu ante annos quoque priùs laborarat: accedebat scapularum dolor, & tumor quoque circa digito-

digitorum articulos, non adeò dolorificus, color vbique in tumoribus concolor, per cætera nullo alio grauiore symptomate affectus.

Februarij 7. Anno 1595. ℞. pilul. Fœtid. Cocciarum an. ʒ. ß. cum aqua Saluiæ, fiant pilulæ. Capiat horâ quartâ matutinâ.

Sequenti die conseruâ vsus est, Maioranæ & Chamæpith.

10. Februarij, incepit bibere sudatorium: ℞. ligni Gaiaci rasi quartar. j. ß. Zarsæ parillæ ℥. j. rad. Enulæ ℥. ß. fiat decoctio & in ℔. j. colaturę dis. Sacchari quart. j. Cinamom. ʒ. iij. aromat. Bibat manè singulis diebus, & sudet per aliquot dies. Sudauit egregiè, sed non diu continuauit.

13. Febr. Reiteraui pilulas 7. Febr. ordinatas.

14. Febr. cùm dolor noctu præsertim admodùm vrgeret, in genu: ℞. vnguenti Martiati, Populeonis an. ℥. j. misce; Inungat.

Cùm non iuuaret adhuc, 18. Febr. ℞. aquæ Vitæ ℥. ij. aquæ vitę Compos. ℥. j. Opij dissol. in aqua vitę ʒ. ß. Camphorę similiter dissol. ℈. ß. misce: Inungat. Cuius vsu paulò meliùs habuit, sed mox iterum rediit dolor.

Itaque 20. dedi pilulas: ℞. pilul. Sine quibus, Cocciarum an. ℈. ß. de Hermodactylis ℈. j. fiant pilulæ 9.

Postea dixi de suffitu, quem in stupha ex enarratis parari curaui 25. Febr. ℞. rad. Ebuli ℥. iiij. herbarum Arthemisiæ, Chelidoniæ, Chamæpith. Saluiæ, Betonicæ, an. M. j. fl. Chamom. Meliloti, Sambuci an. P. j. seminis Nigellæ ʒ. ij. conquass. cum Lixiuio & Vino pro stupha. Cuius vsu sentiebat leuamen, sed non diu perseuerabat.

3. Maij: ℞. ol. Scorpionum, Lumbricorum, de Lateribus, Ranarum an. ℥. j. axungiæ Anseris ℥. j. ß. ol. Laurini ℥. ß. Ceræ q. s. fiat Linimentum.

Denuò pilulas ordinaui.

Et postremò hac pedum ablutione vsus sum, quæ valde profuit: Quæ parabatur ex Lixiuio, Aquâ ferratâ & Vino; additis herbis supradictis. Postea iussi invngere axungiâ Anseris infarcti herbis capitalibus & tosti: collectâ axungiâ in sartagine, Aceto affuso.

Cœpit sensim meliùs habere, ineunte mense Maio, ad thermas Heluetiorum sponte profectus est, quibus priùs quoque sæpe vsus erat. Quæ ab initio profuerunt, sed postea circa Augustum, de nouo hoc malo correptus, peiùs habuit, quàm priùs. Consului generalem curam, qua sic vsus est.

R. pilul. Cocciarum, Fœtidar. an. ʒ. ß. cum aqua Chamæp. fiant pilulæ.

℞. ligni Gaiaci rasi ℔. j. Cort. eiusdem quartar. j. Zarsę paril. ℥. j. ß. Salsafras ℥. vj. macereatur in mensuris tribus Aquæ, decoquantur ad consumpt. mediæ partis. coletur. Vtatur manè, & sudet.

Residentia iterum coquatur cum mens. 6. Aquę, & decoquatur ad consumpt. medietatis, pro potu ord. vel miscendo cum vino.

Vinum interea hoc quoq; bibit: ℞. ligni Sancti ℔. quatuor, Cort. eiusdem ℔. j. Zarsæ parillæ ℥. iij. herb. Chamæpith. Maioranæ, capill. Ven. Saluiæ, Ceterach an. M. ij. fl. Cord. P. iij. Stœch. Anthos an. P. j. sem. Coriandri ℥. ß. Sacchari ℔. iij. Vini mensur. ʒ z. seu musti, efferuescant ante vsum. Cura hac vsus per mensem, adhibitâ diætâ.

Dolenti genu, hoc Cataplasma valde profuit: ℞. medul. Panis ℔. j. coquatur in lacte, adde farinæ sem. Papau. nigri ℥. j. Psylij ℥. ß. Lini ℥. j. olei Chamomel. Ranarum an. ℥. ij. Croci ℈. j. Curatus sic fuit.

Arthritis & præcipuè Gonagra in muliere.

AEtate iam profecta quædam mulier, in principio Anni 1595.4. Ianuar j, in arthritidem incidit, dolore nunc in regione articulorum, & imprimis circa genua & manus (in quibus & tumores apparebant) interdum & circa homoplatam, & in dorsi sede, pluribus paucioribúsve in locis sæviente.

Cùmque multis vsa esset remedijs, sed præcipua ex illis, & maioris momenti omitteret, toto anni spacio hisce malis obruta, ijsque nunc minùs, nunc grauiùs afflicta, in lecto cõtinuò ferè decumbebat, rarissimè in sella sedebat, nec stuphis aut alijs, in quibus corpus erigendum, & loco mouendũ erat, vti potuit, pituitam indesinenter expuens.

Inter alia quibus vtebatur, decoctum hoc illi imprimis profuit: ℞. ligni Gaiaci rasi ℔. ß. rad. Enulæ ℥. ß. Ebuli ℥. j. Hermod. ℥. ß. Senæ ℥. iij. Agarici ℥. ß. Zingib. ʒ. j. Mellis ℔. ß. Vini poc. j. Aquæ mens. ij. ß. coquantur ad consumptionem medietatis, arom. Cinamom. ʒ. j. Bibit dies aliquot, singulis poculum vnum, & leuamen sensit; verùm mox lassa, ab illius vsu desiit, mox crescente morbo eorum vsum repetens.

Cumque gonagra potissimùm illam excruciaret, deque hoc dolore præsertim, præ alijs conquereretur, genuaque sinistrum maximè admodũ, uti & pedum inferiora, tumerent, suffitum ex decocto herbarum, pedibus in labro positis, excipere eousque, donec sudarent, suasi; quo aliquoties repetito, magnum adiumentum sensit, tumorque & in genibus & pedibus subsedit.

Verùm cũ mox ab vsu remediorũ, vbi paulò meliùs habebat, desisteret, recrudesceretque malum,

emplastrum de Vigo genuum regioni appositum, dolorem admodùm initigauit, tumoremque ex parte discussit.

Circa finem anni, curâ per diætam & sudores institutâ, Gaiaci decocti potione, ex alterius consilio vsa est, sic parato decocto: ℞. Zarsæ parillæ ℥.ij. rad. Chinæ, cort. Gaiaci an. ℥.j. rad. Ireos ℥.ß. Cinamom. ℥. ij. Aquæ mens. tres vel quatuor, coquatur ad consumpt. med. Bibat cyathum manè. Residentiam iterum decoquat, cum aquæ mens. tribus ad consumption. tertiæ partis; Loco vini eam bibat tempore pastus.

Verùm curâ hac aliquandiu vtens sudansque, cùm eam ad finẽ ferè produxisset, 6. Ian. An. 1596. mariti casu repentino & horrendo; sub camerati operis collabentis ruinâ oppressi, ita perculsa est, vt & hæc cura irrita facta sit, ipsaque mœrore confecta, omnium oblita dolorum, totâ æstate miserè afflicta fuerit, nullis volens vti ampliùs remediis, lecto decumberet: donec circa Septembrem mensem crudelis dolor & intolerabilis in genu rursum illam inuaderet.

Cui vt afflictæ suppetias ferrem (etsi quòd non obtemperasset ab initio, ordineque decenti remedijs vsa esset, & toties Medicos mutasset, deinceps nihil ampliùs me illi consulturum cogitauerim) aquam hanc, quâ genu tantopere dolens, inungeret, præscripsi: ℞. aq. Vitæ conpos. ex speciebus calidis, herbis Capital. Aromatibus, & Castoreo paratæ ℥. j. ß. aq. Vitæ simpl. ℥. iij. Opij dissoluti in aq. Vitæ ℥. j. Croci, Storacis liquid. an. ℈. j. Quâ aliquoties vsa, tantum leuaminis sensit, vt quiete fruens, nullo se vsam remedio, quòd citiùs & rectiùs quàm hoc dolorem sustulisset, prædicaret.

Verùm cùm circa Octobrem nonnihil dolor denuò erupisset, & prius medicamentum absumptũ esset,

eſſet, ſequens ordinaui: ℞. aq. Vitæ cōſpoſ. vt priùs ℥ iij. Croci, Storacis liquid an. ʒ. j. ol. Spicæ ℈. ß. Caſtorei ℈. j. miſce; Vtatur. quod ita profuit, vt nunquam ad hunc vſque diem, qui Anni 1597. Maij eſt 10. dolorem ampliùs in genu ſenſerit, aut tumor in pedibus apparuerit. Poſtea febre cum eryſipelat. œdematoſo crurum aliquoties grauiter laborauit, cuius curam alibi deſcripſimus.

Illaque partim ſenio morboque & mœrore diuturno attrita, reliquum vitæ decumbens, & nonnunquam, ſed non diu, ſedens, cibi tamen cupida, nec ita corpore abſumpta, donec à Deo, quod aſſiduis precibus ab ipſo petebat, tandem ab omnibus illis miſerijs fuit liberata.

Arthritis generalis poſt particularem Podagram, & Digiti aſtricti.

ADuocatus quidam poſt varios morbos, quibus à teneris erat obnoxius, & tandem poſt dyſenteriam, & podagram, in Artritidem pluribus articulorum locis ſimul affectis & dolentibus; inciderat, cuius cauſam, cùm illi expoſuiſſem, curationem ſequentem præſcripſi, menſ. Decembri, Anno 1603.

Inprimis decenti regimine opus eſſe docui, & vt durante paroxyſmo à Vino abſtineret, vel ſaltem illud decocto Zarſæ parillæ ʒ. vj. in menſ. j. Aquæ coquendo, dilueret. Dein & luxuriam cui licenter indulſerat, vitaret.

Pilularum ſequentium, bis in ſeptimana ʒ. ß. ſumat: ℞. Myrobal. citrin. Chebul. an. ʒ. ß. Agarici, Rhabarbari an. ʒ. j. rad. Pentaphyli. Ariſtol. rot. ana ʒ. ß. Spicæ, Maſtiches, Succini an. ℈. j. Cubeb. Zingib. an. ʒ. j. Diagrydij ℈. j. reſinæ Lariceæ q. ſ. fiat maſſa. Poſſet & cum ſucco Chamæpith. commodè formari, omiſſâ Lariceâ.

Electuario sequenti vsus est: ℞. fol. Chamædreos, Chamæpitheos an. ℥. ß. fol. Saluiæ, Betonicæ, Thymi an. ʒ. j. sem. Hyperici ʒ. ij. rad. Acori veri, Pentaphyli an. ʒ. j. Succini, Eboris, cineris Cranij humani an. ʒ. j. ß. Margarit. ʒ. ß. Mellis anthos. ℥. quatuor, fiat electuarium. Capiat ʒ j. alternis diebus manè.

Superbibendo aquarum Chamæpith. & Hyperici, ℥. ij. dulcorando eas, cum Hydromellite vero, quod Maluaticum vinum refert.

Vt sudaret altero die, quoties pilulis præcedenti vsus esset, imperaui, intrando in balneum siccum seu stupham, vbi priùs horâ vnâ ante ingressum balnei, haustum sequentis decocti biberit: ℞. Zarsæ parillæ ℥. ij. Chamæpith. Chamæd. sicc. ana ʒ. j. decoquantur in Aquæ mensur. j. ad tertiæ partis consumpt.

Hisce remedijs cùm esset vsus, ad mensem Maij, Anni sequentis vsque, certiorem me fecit, plurimùm hæc sibi profuisse, superesse leues tantùm reliquias & imbecillitatem membrorum, atque digitorum contractionem aliquousq; manuum.

Suasi vt in pilularum vsu, quibus ille successum imprimis adscribebat, pergeret, addendo prædictę compositioni, Hermodact. verorum ʒ. ij. succi Chamæpith. inspissati, vel vt vocant extracti ʒ. j. Bis in septimana vti priùs fecerat, eas sumendo, & sequenti die post haustam potionem, stupham ingrediendo.

Dein vt loco electuarij, quod iam absumptum erat, Pulueres qui illud subeunt, sumeret, addendo puluerem fol. Betonicæ, & cum extracto Chamæpith. formaret pilularum massam: de qua ℈. j. quantitatem singulis matutinis deglutiret, idque per dies quadraginta continuaret.

Præterea suasi, vt postquam in balneo sudarit, se Li-

se Lixiuio abstergeret, quod ex cineribus Ossium equorum combustis, cum sarmentis Vitium, transcolatione cum aqua factum sit, & in quo Saluia, Betonica & Chamæpithis coxerint.

Vino item infundat Chamæpithyd. siccæ ℥. j. Hermodact. verorum ʒ. ij. ad octo illius mensuras, in dolio asseruandas.

Hisce sic cum decenti regimine aliquousque vsus, ita sanitati integrè fuit restitutus, vt de nullo affectu ampliùs, nisi quòd digiti manuum nonnihil adhuc astricti essent, sit conquestus. Quod impedimentum res rectè apprehendendi, cùm sequenti tempore in Italiam proficisceretur, & Puteoli vbi sulphur coquitur, vapori inde exsurgenti, manus imposuisset, aliquoties, subitò emendatum, vt deinceps digitos extendere & flectere potuerit, sicuti mihi Anno 1613. mense Iulio, decem à priore cura post annos, cùm hîc transiret, narrauit.

Articulorum dolor, Membrorum languor, à capitis imbecillitate & defluxionibus.

ANte decennium, Nobilis quidam miles magni nominis, ex equo cadens, caput vehementer allisit, vnde longo tempore postea, doloribus capitis infestatus, debilius illud redditum fuisse, ex sensuum imbecillitate, & membrorum quoque languore sensit, & quod maximè illi molestū erat, certo tempore, defluxionibus diuexabatur, inprimis, circa articulorum regionem dolebat interdum. Certis temporibus meliùs habebat, sub hyemem præcipuè recrudescebat malum, metuebatq; arthritidem, cuius præludia iam sentiebat.

Multis erat vsus remedijs, sed curam perfectam

inde minimè succedere conquerebatur. Ob eamque causam, An. 1609. cõsilium à me petiturus, Basileam ad me venit.

An aquas acidas bibere deberet, vel plumbarijs thermis vti, consilium petebat. Ego vtrasque dissuasi, acida neruoso generi non competere asserens: Thermas verò, cùm prius quoque vsus esset, differendas, & vt corpus per purgationes & sudores diligenter euacuaretur, procurãdum: cuius rei gratiâ, Vinum seq. vt biberet, primùm diebus aliquot continuis, postea aliquot interiectis, repeteret, tale præscripsimus: ℞. rad. Cichor. Fœnic. an. ℥. ß. Iridis ℥. j. Rhapont. cort. rad. Ebuli an. ʒ. vj. rasur. ligni. Gaiaci ℥. j. ß. ligni Salsafras ℥. ß. Absynth. sicci ʒ. j. ß. Chamæpith. sicc. ʒ. j. sem. Corian. ʒ. ß. fol Sennæ mundat. ℥. ij. Mechoacæ ℥. ß. Turbith ʒ. iij. Hermodact. verorum ʒ. ij. Rhab. ʒ. iij. Spicæ ℈. j. cõquass. omnia, affunde Vini albi mediocris q. s. vt quatuor fiant doses, macerentur parùm, postea in Aqua feruẽte stent parùm, & dein seruetur ad vsum. Bibat quatuor matu tin. non calidum, postrema vice, si non admodùm priores purgarent, infund. adhuc Rhab. ʒ. j.

Confortante electuario neruoso generi accommodato, hoc vtatur: ℞. conf. fl. Cichorij, Capill. veneris an. ℥. j. ß. Rosarum ℥. j. Maioran. conf. Chamæpith. an. ℥. ß. pulu. rad. Zarsę parill. rad. Pentaph. rad. Aristol. rotund. Chamædr. siccæ, sem. Hyperic. an. ʒ. ß. excipiantur syr. conf. cort. Citri, fiat Electuariũ: Capiat per vices sumendo bis in septimana manè.

Ad sudores mouendos, iussi vt semel vel bis seq. antidoto vteretur hebdomadatim, cubitũ iturus, & manè sudaret: ℞. Mithridat. opt. ℥. j. rob. de Sambuco, rob de Ebulo an. ℥. ß. adde Extract. tabulati quòd dedi, & cum syr. de Betonica misce dilig. Capiat de eo ʒ. j. ß. cubitũ iturus, pręcedẽti leui cœnâ.

Manè

Manè verò ad neruis robur addendum, Aq. seq. spinam calidè illinat: ℞. aq. Saluiæ, aq. Chamæp. aq. destillatæ ex Ranis decem viuis, & Lumbricis centum an. ℥. ij. misce Balsamum meum & hoc vngatur spina dorsi.

Hisce factis, veris tempore diętam posse institui, vel æstatis, thermis eum vti posse dixi. Ille verò vsus hisce remedijs, veris tempore in Belgium militatum ad Archiducem Albertum abijt.

Gonagra in viro & muliere.

VIde in Habitus corporis dolore Lib. II. Arthritis & præsertim gonagra Bis.

Arthritis cum subsequente Febre hectica & putrida.

IN comitatu Burgundiæ, generosa quædam mulier adolescens, nupserat cuidam ex proceribus illius comitatus, viro illustri prouectæ iam ætatis, & filium illi peperit. Verùm marito è viuis sublato, viduæ in mamilla sinistra tumor sensim excrescens prodijt durus, quem alij scirrhum, alij cancrum esse iudicabant, qui cùm diu durasset, tandem in abscessum conuersus & suppuratus, in vlcus abiens, sanatus est, relictâ cicatrice admodùm inæquali, labijsque duris.

Mox postquam sanata fuit, in grauissimos dolores incidit, circa ossium nudam, præcipueque articulorum regionem, cum capitis intolerabilibus cruciatibus erumpentes. Medici suspicati à Lue venerea eos procedere, curationem eò dirigebant, atque suffitibus ex Cinnabari ei mederi voluerunt.

Verùm frater illius comes, quem ante multos

annos, ex Hispania reducem, & Basileę lue hac correptum, curationis gratiâ subsistentem, curaueram, memor me tantùm purgationibus, atq; aquâ quadam sudoriferâ se sanasse, vt simili modo, citra hydrargyri vsum, sanari posset, eam ex comitatus illius metropoli, ad se aduehi curauit, meque Anno 1599. mense Septembri, vt properè ad eam venirem, in vrbem, itinere trium dierum ab vrbe nostra distantem, literis missoque equite, sollicitabat rogabatque. Cui etsi senex iam, ægrè morem gererem, tamen partim vt illi gratificarer, partim vt antiquitates illius raraque quæ plurima habebat, inspicerem, eò me eques contuli.

Cùm eò peruenissem, eam sub strato decumbentem, suffimigijsque vtentem, summeq; ob lectum carbonibus accensis calefactum, calentem sudantemque deprehendi, & de doloribus circa ossa atq; caluariam conquerentem, febreq; simul laborantem, quę suas habebat certo tempore exacerbationes, easque præsertim post cibum sumptum. Cùm & Medici & Chirurgi eam lue venerea infectã esse, mihi narrarẽt, ad eam extirpandam, se hac cura vti dicentes, ipsâ etiam ægrâ de hoc ab illis persuasâ, de singulis sciscitatus, nullum indicium luis venereæ in ipsa deprehendere potui. Itaque ægram, quare hoc crederet interroganti, dicentiq; illam sine dubio nihil sinistri commisisse, unde luem hanc contraxerit: Respondit illa, scire se hoc, verùm si quid tale sit, à marito defuncto hoc per contagium sibi accidisse. Quod, cùm de integritate & probitate eius mihi constaret, negarem, intulit illa subridens; non solere ipsarum maritos adeò castos esse, vt vnâ tantum coniuge contenti sint.

Exactè itaque singulis perpensis, & consilio inito cum Medicis, ostendi Arthritidem esse hunc affectum, neque dolorem illum circa ossa se offerentem,

rentem, qui quartam Luis Venereæ speciem constituit, quod multis rationibus probaui, eosque in meam sententiam adduxi, vt idem faterentur, mecumque consentirent. Quapropter à suffitibus illis, quibus iam diu vsa fuerat, & quæ febrem hecticam in ea pepererant, abstinere chirurgum iussimus, & pro doloribus arthriticis, remedia in hoc casu conuenientia, adhibuimus.

Verùm cùm præter hunc affectum, circa coxas, humeros caputque eam affligentem, febremque hecticam eam consumentem, febris putrida simul accessisset, vnde Cardialgiæ, Vomitio post cibum sumptum ferè continua, ijs maximè quæ mortem minabantur, præcipua accommodata fuerunt remedia. Quæ, me post septimanas tres domum reuerso, etsi quandoque leuamen aliquod adferrent, ita vt ad sequentis Anni 1600. menses aliquot vixerit, tamen sensim tot morbis labefactata, tandem è viuis cessit.

Corpus demortuæ, à Medicis sectione diuisum atque vndique diligenter inspectum, hoc pacto constitutum deprehensum fuit, sicuti clarissimus & excellens Medicus Vesontinus, D. Ioannes Chifletius, summus quondam amicus meus, ad me prolixè & diligenter transcripsit. Capitis cranium crassum, atque integrum sine suturis; Ventriculi in cerebro aquâ limpidâ pleni. Mamma sinistra quâ dũ viueret, scirrho laborarat, circa radicem scirrhosa, vt & circa papillę radicem scirrhus erat candidus, glandulā repræsentans; In costis vena lata nigricās latebat. Hepar sanum nec vitiatum. Vesicula fellis exteriùs nigra, intrinsecùs vlcerata, & bile atra, quæ picis instar splendebat, repleta. Lien totus putris sanguine nigerrimo oblitus. Venæ meseraicæ tumentes, & sanguine atro turgentes, eoque

crasso & veluti concreto, qui è maioribus venis, coralli instar nigri inuicem cohærens, extrahebatur, venæque ex illis ventriculum implicantes, latæ & varicosæ erant. In rene dextro, calculus triangularis, albus, muco obuolutus inuentus fuit, in sinistro tantùm arenulæ. In reliquo corpore sanguis, in vena caua paucus, vti & cor quod paruum erat, exangue cernebatur.

Ex quibus præcipuis hisce vitijs, satis conijcere potuimus, in venis causas & putridæ & hecticæ febris, atrophiæ aliorumque partium naturalium symptomatum, fuisse, quæ mortem illi potiùs quàm arthritis, quippe quæ curari potuisset, pepererunt.

Podagra diuturna.

NObilis quidam luxuriosè viuens, cùm ad mediam ætatem peruenisset, vxore ductâ, varijs morbis affligtari cœpit, & imprimis podagrâ, quæ illum & frequenter grauiterque inuadebat, cui vt obuiam iret, à vino toto reliquo ætatis tempore, abstinuit, illiusque loco Loram appellatam bibit. Quam ex Pomis & Prunis syluestribus, Berberisq; racemis in dolio inclusis, superinfusâ Aquâ fontanâ parari curabat, eâ quantitate fructuum, additâ, vt ruborem & aciditatem cum aliqua austeritate, lora contraheret. Quâ admodùm delectabatur, ut & copioso esu capitatæ brassicæ, raparum conditarum, donec acescant (vti solent compositum dictum parare) & fructuum horariorum, cerasorum, prunorum, uvarum, quibus neutiquam offendebatur. In quorum vsu persistens, rariùs, semel tantùm in anno vel biennio, & mitiùs podagrâ laborabat, extremamq; ætatem annos circiter octoaginta attigit, liberis etiam ab ipso decrepito procreatis. Inter quos tamen ex sex qui supervixerunt,

xerunt, tres illius filij, primogenitus illegitimus duo alij legitimi, leprâ correpti, misereque diu afflicti, atq; extincti sunt; filiæ autem tres sanæ, & incolumes ad grandem ætatem peruenerunt.

Podagra hæreditaria.

FRatres duo viri primarij Vesuntini, diu podagra grauiter afflicti, & cum summo cruciatu iam annos aliquot per paroxysmos, singulis annis aliquoties infestare soliti, huc consilij causâ ad me venerunt, Anno 1602. mens. Augusto. Quibus præter regimen idoneum, præscripsi vt de Antipodagrico meo in forma electuarij sumerent ad ℈.j. singulis matutinis, ieiuni continuando ad dies quadraginta.

Dein vt pilulas sequentes pondere ʒ.j. singulis mensibus assumerent, quæ tales erant: ℞. Hermodactylorum verorum excorticatorum ℥.ß. Aloës, Turbith, Mechoac. an. ʒ j. Rhab. el. Myrobal. citrin. Chebul. Mastich. an. ʒ.j. Euphorbij ℈.ij. rad. Aristoloch. rotundæ ℈.j. sem. Hyperici, Zingib. se. Cimini an. ʒ.ß. Salis gemmæ ℈.ß. cum succo Iuæ artheticæ fiat massa, addẽdo Diagrydij præpar. ʒ.ß. formentur ex ʒ.j. pilulæ aliquot, menstruatim vti dictum sumendæ.

Septennio post, Anno 1609. mense Iulio, ad me reuersus fratrum alter, vẽtriculi imbecillioris aliorumq; accidentium causâ, statim mihi aperuit, se & fratrem suum ab eo tempore, quo medicamentis præscriptis à me vsi fuerunt, iam toto elapso sexennio aliquotq; mensibus, podagrâ nunquam laborasse, nec vlla illius sensisse indicia, seque tantùm pilulis fuisse vsum, per anni spatium, omisso antipodagrico, illisq; effectum hunc attribuere.

Pententiq; descriptionem illarum pillularum, Vesuntio ad me remisit, cum hoc Encomio; Ie vous

enuoie copie de la recepte, que donastes à mon frere & à moy, pour nous guerir des gouttes, ainsi quauons estez, bien quelles nous fussent hereditaires.

Podagra alia diuturna.

SEptuagenarius quidam senex, syndicus Reipublicæ cuiusdam inclytę, in magistratu suo, multis negotijs domi forisque exercitatus, à podagrâ quâ multos annos fuit diuexatus, consilio cuiusdam præter spem liberatus omnino, ad octoagesimum ætatis annum vixit. Intellexi ex illo, solo vsu herbæ Betonicæ hoc factũ fuisse, varijs modis hac assumptâ, nõ solùm conseruâ illius, sed & Vino per maceratione illius facto: Dein & in cibis coctã cõedebat. Adhibito interim moderato vsu in cibo & potu, & præsertim temperantia in Vino.

Podagra in melancholia.

VIde in Mentis alienatione. Lib. I. Melancholia cum varijs affectibus &c.

Podagra in muliere.

PОdagrica quædam mulier, continuò hoc affectu infestata, dum in matrimonio esset, vidua postea facta, consilio meo, vt si non curari posset, saltem mitiùs ab ea afficeretur, vsa est.

Consului vt pilulis sequentib. leuioribus, ne humores nimiùm mouẽdo podagricũ paroxysmum, vt fieri solet, accerseret, veris & autumni tempore sæpè vteretur: ℞. pilul. Chamæpith. description. Matth. ʒ.ij. Rhabarbari el. Hermodact. an. ʒ.j. Mastiches ℈.j. cum syr. Rosf. sol. fiat massa; Capiat ʒ.ß. vel ℈.ij. semel in septimana.

Iussi etiam pedes, podagræ obnoxios, sæpè immergere in sequenti lixiuio, manè & vesperi: ℞. Ossium

Oſsium diuerſorum combuſtorum, cum ligno Quercino cineres, per quos coletur aqua Fabrorũ extinctionis ferri, additâ menſ. j. Vini rubri, & Vrinæ pueri, fiat lixiuium ſatis efficax, in quo decoquantur, Pruna ſylueſtria ad vſum ſiccata, ad P. j. vel ij. Saluiæ, Chamæpith an. M. j. Salis P. j. Vtatur frequenter, præſertim corpore purgato.

Totum bienniũ ab hoc hoſte libera fuit. Verùm cùm eo finito, marito nuberet, prima nuptiarum nocte, podagrâ iterum correpta eſt, à qua etiam, quia medicamenta poſtea neglexit, ad extremum vitæ vſq; afflicta fuit.

Podagra in ſene.

DOlorem quidam ſenex in pede dextro ſentiebat, circa malleolum, cum leuiter apparente tumore, quo & priùs bis terúe laborarat, & quia tunc meliùs habuerat, ex vſu cataplaſmatis, quod tunc temporis ei prǽſcripſeram, cùm dolor ſummè vrgeret, nec ambulare poſſet, rogabat an illud repetere deberet, denuò itaq; illi præſcripſi: ℞. Medullæ Panis partes ij. farinæ Fabarũ par. j. coquantur in Lacte, contundantur, adde ol. Roſacei q. ſ. fiat Cataplaſma. Cùm hoc bis terúe applicaſſet, dolor cœpit minui.

Maximè verò cùm folia Nicotianæ maioris, parùm conquaſſata applicaret, quod plurimùm laudabat. Eaque ſub finem contuſa, cum ſucco apponebat, vnde tumor ſubſedit, dolorque euanuit. Etſi podagram eſſe ſciebam, nolui tamen illam ſummè metuentem, huius mentione eum perterrefacere.

Podagra cum nephritico dolore.

VIde in Hypochondriaco dolore. Lib. II. Nephriticus dolor ob calculum renum &c.

Podagricorum membra exesa.

IN arthriticis, podagricis maximè, membra intrinsecùs diuturnitate adeò perforari ductibus sinubusq́; oblongis, angustis, atque si tineis vel xylocampis exesa essent, sectio ostendit, præsertim carnosis in locis musculorum, quorum spacia nerui citra omnem annexum peruadunt, per quæ & defluxiones nerui ductum comitatæ feruntur, à quibus & continua destillatione humoris ampliata spacia, veluti attrita, vel leui ex causa humores commotos suscipiunt. Vndè præcipuè accidit, vt diuturnâ podagrâ laborantes, facilè in hunc affectum incidant, malumq́; sit propter organi hoc vitium immedicabile. Impediri tamen potest ad tempus, si corpus non admodùm exagitetur, atque astringentium vsu, quibus membra laxata nonnihil coarctantur.

Calculi tophacei in pollice pedis podagricæ.

MVlier quædam Lucernæ Heluetiorum, è nodoso pollice pedis sinistri, pugni magnitudinem excedente, calculos tophaceos, è quibus minimus piso maior erat, plusq́ue viginti, suppuratione illic factâ, cum maximo dolore, successiuè reddidit.

Ceruicis, Homoplatæ & Coxendicis dolor.

VIr quadragenarius quidam, rufus biliosus, qui aliàs quoq; in genu dolores sensit, eoq; nomine thermis vsus erat, 5. Nouemb. Anno 1601. cùm frigus immensum esset, subitò graui dolore in ceruicis postica regione, quam nucham vocant, correptus

reptus, me summo manè accersiuit, intensos cruciatus, etiam ex minimo colli motu sentiens, cùm an ex violento vel inæquali colli motu euenisset, vti hoc sæpè obseruaui, ab hac causa pressis neruis illud accidere, illeque nihil horum præcessisse mihi exponeret, defluxionem eò delapsam significaui, futurumq; vt vlteriùs descendat, etiam in alios articulos, quod ille vt ceruicis saltem immensus ille dolor mitigaretur optabat.

Statim hoc cataplasma supra nucham calidè applicui: ℞. Panis medullæ, farinæ Fabarum an. ℔. ß. seminis Fœnogr. ℥. ij. s. Psilij ℥. iij. coquantur parùm in Aqua & pauco Vino, addendo pulueris seminis Cimini ʒ. ß. olei Anethini, Rosacei ana ℥. j. ß. fiat Cataplasma.

Dein & Cucurbitulas siccas, scapulis admouere iussi. Quorum vsu, & imprimis Cataplasmatis, dolorem intensiorem fieri narrabat, sed iussi vt in illius vsu pergeret & repeteret.

Sub vesperam mitigari cœpit. Iussi Mithridati ʒ. j. ß. tempore somni sumere, renouareque Cataplasma. Vnde ea nocte dormiuit, sudauit, dolorque remisit, redeuntibus tamen quandoque punctionibus eo in loco.

Manè sequenti, quia scarificationibus vti solebat, & propter intermissas hoc sibi accidisse asserebat, vt supra scapulas fierent, cum cucurbitularum applicatione, suasi.

Verùm ea nocte, noua defluxio in summum humerum sinistrum delapsa, nouos illic & atroces cruciatus per totum humerum & cubitum se extendentes, peperit.

Manè vocatus, idem Cataplasma homoplatæ & brachij affectę regioni applicatum fuit, repetitumque, vnde cùm sub noctem mitigaretur malum, vt quietiorem noctem haberet, Mithridatum denuò exhibui.

Et sequenti die vt purgaretur, puluere id fieri maluit, quem ante annos aliquot, cùm Melancholiâ hypochondriacâ laborasset, illi prȩscripseram, & tunc vti etiam postmodum, se cùm felici successu vsum dicebat; quod mihi placuit, sumpsit igitur, & aliquoties inde deiecit, eundemque sequenti die Dominica repetijt: vnde egregiè & sine labore purgatus, semper interim emplastrum loco affecto adhibendo, sanatus fuit.

Sed dũ post aliquot dies, cœlo frigidissimo, concionem adit, à prandio extra vrbẽ exspatiatur, noctu alibi cœnat, & postea etiam domo egreditur 20. Nou. nocte, noua defluxio illi, non in latere sinistro, vt priùs, sed dextro, in Ischiæ locum delabitur, subitoq; illic nouus dolor & cruciatus ad genu vsq; se extendens, ibique grauiter excrucians, suboritur, vnde inquietissimam noctem habuit; cùm neq; cubare, nec sine magna molestia sedere posset, & ferè erectus stare cogeretur.

Vocatus sub vesperam, iussi seq. liquore locum affectum inungere: ℞. Aquæ vitæ ℥.iij. Saluiæ ℥. j. Camphoræ, Op. j, Styracis liquidæ an. ℥ ß. Misce.

Summo manè vocatus, de inquietissima nocte prægressâ conquerebatur, doloremq; vbi primùm locus inunctus fuisset, & in lectum se collocasset, valde auctum fuisse, sed eadem horâ subitò nonnihil remisisse. Ego non inunctionis causâ dolorem exacerbatũ fuisse, sed ex motu, dum lecto se committeret, & ex decubitu, respondi, huiusque aquæ efficaciam non tam subitò in actum potuisse produci, sicuti verò nunc illius operationem experiretur: esse enim sæpè à me expertum remedium.

Sed cũ ex leui cõmotione, adhuc dolor tũ iuxta coxam, tum in ipso genu vrgeret, & de tensione venarum & pulsatione in pede conquereretur, Venam in pede dextro affecto, iuxta malleolum internum,

num, illi tundere iussi, (cùm in exteriore illius sedé eam quæ Ischiadica dicitur, incidi maluissem, chirurgus verò eá secare vereretur) effluxitq; sanguis copiosus; statimque inde se leuatum prædicabat, sensimque dolor euanescere, & intra triduum penitùs cessare cœpit.

Homoplatæ dolor.

QVædam in summo humero, sæuiss. dolores patiebatur, Iunio mense An. 1599. ex defluxione ortos: licet ab articulo luxato hūc proficisci sibi persuaderet.

Hoc perseuerante, nec dum ab iunctionib. cessante, Cataplasma applicui; quod ℞. Panis rasi decoct. in lacte, scutell. 2. farinę Fabar. scutell. j. s. Cum. ℥. ß. Bacc. lauri ℥. j. ol. Cham. ℥. ij. Mista hęc & in formá catapl. redacta, applicabat calida loco dolenti: Valdeq; mox profuit, dolorq; tandem abolitus.

Homoplatæ & Scapularum dolor in Lue venerea.

VIde in Defœdatione. Lib. III. Homoplatæ & scapularum summus dolor &c.

Coxendicus dolor in viro.

MInister quidam verbi Gallus, alibi ministerio fungens, tota hyeme, dolore coxendico diuexatus est.

Purgato corpore, pil. fœtidis, vt sudaret, decoct. hoc præscripsi 23. Maij, An. 1592. ℞. Gaiaci ras. ℔. ß. Zarsæparill. ℥. j. ß. rad. Enul. ℥. j. fiat decoct. in mens. iiij. Aquæ ad cons. mediet. Sumat manè & vesperi, & sudet in lecto, & si non succedat, in balneū siccū intret, postquam potū biberit, & sudet semel in die.

Item locum affectum inungere iussi cum aqua Vitæ infus. Thymi, Rosmarini, Saluiæ, Maioranæ, Lauandulæ, addito pauco ol. Spicæ & Iuniperi;

Iterum ad me misit 2. Iunij, & cùm dolor in pedem descendisset, vti in ischiadico fieri solet, iussi eandem partem Aqua vitæ dictâ illinire.

Et quia dolor molestus erat, misi. Narcoticas tabulas, vt alternis noctibus vteretur, quarum vsu vehementer sudauit dolorque imminutus fuit, tandemque omnino, qui priùs tam diù durauerat, euanuit.

Coxendicus dolor in muliere.

Dolore circa lumbos vehemẽti per octiduum iam laborarat, mulier quædã senex: coxendicum dolorem esse statim cognoui.

Iussi inungere sedem dolẽtem 5. Maij, An. 1592. ℞. aquæ Vitæ q. s. infunde Saluiam, Thymum, Rutam, arida, puluerisata, bulliant in duplici vase, adde parùm olei Spicæ, misce.

Dein sudet in lecto priùs sumpto haustu sequentis decocti: ℞. ligni Gaiaci ℥. j. decoque in mens. ß. Aquæ ad consumptionem medietat: Bibat manè & sudet.

Cùm non remitteret dolor, purgaui illum: ℞. Diaphœn. ʒ. ij. Diacarthami ʒ. j. misce, cum Saccharo fiat bolus; Capiat per se vel cum Brodio.

A purgatione meliùs habere cœpit, sed quia sub noctem dolor redijt, ad genu descendens: ℞. ol. Chamom. Rutacei, an. ℥. j. ß. vnguenti Marciati ℥. j. Ceræ q. s. fiat. linimentum: Vngatur genu & coxa.

Sequenti nocte dolore vrgente: ℞. syr. de Papau. ℥. iij. de Betonica ʒ. ß. aquarum Bugloss. Saluiæ ana ℥. j. fiat potio; Bibat eam cubitum itura.

Sic circa 15. Maij ad pristinam sanitatem redijt.

Ischiadicus

Ischiadicus dolor vlcera gignens, circa coxam & Claudos efficiens.

VIde in Motus impotentia. Lib. I. Crurum contractio ob vlcera &c. In Quatuor.

Ischiadicus dolor in febre.

VIde in Febrib. Lib. II. Febris, conuulsio, ischiadicus dolor &c.

Dorsi dolor in sene.

SEptuagenarius quidam, cùm longo morbo attenuatus & debilitatus; immensos dorsi dolores iam diu sentiret, nec quicquam proficerent medicamenta, obiter eum inuisens, hoc consilium dedi. Anno 1597.

Vt dorsum hoc Balsamo (sic enim vocare soleo quod Balsamæleon aliàs dicitur) manè & vesperi illinirent: ℞. aq. Salu. rec. exstill. ℥. j. ß. Aq. vitæ compos. ℥. ß. ol. Spicæ per destill. facti gutt. iij.

Hoc remedio per triduũ cùm esset vsus, ita profuit, vt dolor omnis euanesceret, & integrè conualesceret. Itaq; illud multis laudibus extollere non desijt, mihiq; vt annotarem, occasionem dedit.

Dorsi dolor cum Diarrhœa.

VIde in Deiectione. Lib. III. Diarrhœa, dolor ventriculi & dorsi.

Dolor circa ossa in Lue Venerea.

VIde in Fœdatione. Lib. III. Dolor circa ossa vagus &c.

In Genu dolor vehemens cum tumore.

IMmensus dolor genu cuiusdam mulieris occuparat, quem priùs nunquam passa erat: apparebat simul tumor nec passum quidem, ob dolorem, progredi poterat.

Vocatus, iussi decoquere Furfur & farinam Fabarum, additâ Sapâ, & sem. Carui contuso, & cum Axungia anserum cataplasma formare. Quod tepidum aliquoties applicuit. Et licet dolor non statim causâ præsertim remanente, remitteret (quod maximè optabat) tamen postmodùm quietior fuit.

Et cùm nulla rubedo manifesta appareret, vt tumor discuteretur, iussi contundere Iberidem & fol. Vrticæ, cum folijs Hyoscyami, atque frigere in Sartagine cum Butyro recenti, sicque applicare, sequentibus diebus, vnde tumor nonnihil subsedit.

Vt penitùs absumeretur, remedio, quo aliàs tumores discussi, vsus sum: Panemque ex pasta farinæ secalis, miscendo semen Carui tusum, recenter in furno semicoctum, & per medium dissectum, calentem adhuc supra genu collocaui, vnde aqua copiosè ex eo effluxit. Quod sequenti die cùm alia media pars calefacta apponeretur; idem accidit: vti & cùm tertiò hoc ficret, aqua semper emanauit, atq; fascias admodùm madefecit.

Et sic tumore euanescente, doloreq; cessante, rursum ambulare cœpit, sanitatemq; recuperauit.

IN

IN SVPERFICIEI CORPORIS DOLORE Obseruationes.

Erysipelas cruris.

ERysipelate cruris dextri quædam nobilis virgo prouectæ ætatis, præcedente febre (vti fieri solet) An. 1598. laborabat: rubebat admodum tibia & dolebat.

Quibus permota, cũ ferre vix posset contactum, ob renitentem & ardentem dolorem (etsi nulla topica velint admittere alioquin vulgò) consensit vt aliquid applicarem.

Accepi itaque oleum Rosaceum & Vinum antiquum, æquali mensurâ: in eoque feruenti duplicatum linteum immergere iussi, expressumque calidum tibiæ obuoluere: ex quo statim dolor remisit. Sed cùm rediret, illaque quoties hoc medicamentum repetebat, leuamen sentiret: aliquoties per biduũ eo vsa, liberata ab ardore & rubore fuit. Quod idem in alijs tentatum remedium egregiè profuit.

Erysipelas œdematosum crurum, cum Vlcere.

VIr quadragenarius quidam, officium magistratus primarium gerens, potationique deditus, crura prætumida habebat, imprimis dextrũ, idque iam longo tempore; aliàs bene habitus & coloratus. Accedebat interdum erysipelas crusq; inflammatum febris comitabatur, & vlcus supra malleoli regionem in dextro crure, humorem aliquem continuò effundebat.

Venit ad me mense Iulio, An. 1596. Et quia iam multis vsus erat purgationib. decoct. item Guaiaci, præmissâ idoneâ diætâ, vt successiuè purgaretur,

finitis canicularibus, sectâ quoq; venâ, syrup. hunc præscripsi: ℞. Infusionis factæ ex Rosis florentibus multis vicibus, quæ tūc habebantur, quart. j. addendo Sennæ, Polyp. an. ℥. j. ß. Agar. ʒ. iij. Turbith. ʒ. ij. f. Fœnicul. Anisi an. ʒ. ij. Coriandri ʒ. j. Cinam. Gariophyl. Zingib. an. ʒ. ß. fiat decoctio s. a. addendo Sacchari quart. j. ad consistentiam syrupi, cui in fine permisce, Diagrydij præpar. ℈. j. bene agitando; Capiat cochl. ij. plus minúsue prout operabitur, bis in septimana.

Dein vt conserua hac, dieb. â purgatione quietis alternis, vteretur suasi: ℞. conser. fl. Cichorij, Borrag. Scabiosæ an. ℥. j. cond. rad. Bugl. Cichorij, Caulium, Lactucæ, & carnis Cucurb. cort. Citri an. ℥. ß. rob. de Ribes q. s. fiat electuarium.

Et quia sponte singulis ferè matutinis, in lecto sudabat, in eo vt perseueraret, mandaui. Et in balneo sicco, sumpto priùs rob. de Sambuco, bis in mense potenter sudorem eliceret, corpusque Lixiuio ablueret.

Postea lixiuio sequenti antequam erysipelata erumperent, vt crura foueret, matutino tempore, calidè cùm spongia, dixi: ℞. aquæ Fabrorum extinctionis ferri Mens. j. ß. Aceti quartam partem mensuræ, coletur per cineres, fiat lixiuium, in quo decoque, Salis, Gypsi vsti ana P. j. Boli ℥. j. ß. Sulphur. ℥. ij. Cadmiæ fos. ℥. ß. Vitreoli ʒ. ij. Vtatur.

Fascia oblonga ex panno Linteo, latam palmum parari curet, insuendo petias pedis distantis spatio sic plicando, vt fine rugis se cruri accommodet, eaq; à pede incipiendo, sursumq; per crus ad genu vsq; inuoluendo crura, matutino tempore obuoluat, totoq; die relinquat, sic enim ne inter deambulandum, crura intumescant, cauebitur. Quam fasciam, si in Lixiuio interdum coquat, beneque expressam, applicet, validiùs tunc sic operaturá dixi.

Post

Post menses duos, hæc sibi valdè profuisse scriptis significabat, sed quia vlcus in crure molestum illi erat, sequens vt adhiberet vnguentum, misi: ℞. succi Solani, Plantag. an. ℥.j.ß. ol. Ros. Viol. an. ℥.ij. Lariceæ ℥.j. Tuthiæ ʒ.ij. Cerusæ, Litharg. an. ℥.ß. fiat Vnguentum.

Sequenti vere, acidas biberet aquas, & in illis quoque lauaret, consului.

Erysipelas cruris œdematosum in Febre Synocha.

Vide in Febribus. Lib. 11. Febris synocha, erysipelas cruris œdematosum.

Inflammatio Faciei in abscessum & Ægylopem conuersa.

Intumuit virgini cuidam mala sinistra, cum rubore & inflãmatione, præsertim in ambitu oculi.

Iussi Epithema applicare ex aqua Ros. album Oui, Lacte & ol. Ros. & Pannum linteum eo madefactum applicare.

Post biduum palpebra vtraque in tumorem admodùm eleuata est, qui mollis erat.

Supperatâ materiâ apponere iussi sequens cataplasma: ℞. Farinam fabarum & se. Lini & Fœnogræc. coquantur cum Lacte & aq. Ros. addendo ol. Ros. & Lilior. parùm, & Croci tantisper: Applicet.

Abscessu rupto fluxit pus, detumuitq; mala, remanente tamen tumore duro, in maiori oculi angulo versus nares, è quibus emanabat, applicui emplastrũ abstersiuũ in Ægylope superiùs ordinatũ.

Minuebatur tumor, sed durus erat, rubeus, idcirco vt suppuraretur, iussi Terebinthinam cum vitello Oui dissoluere & applicare.

Sic conualuit.

Palpebrarum inflammatio, tumor, cum Oculi affectu.

VIde in Oculorum dolore Lib. II. Oculi inflammatio cum palpebra &c.

Colli tumor, cum facie rubra, Cephalalgia.

VIde in Discoloratione Lib. III. Faciei rubedo & liuiditas &c.

Glandularum colli tumor, & dolor in Febre ephemera.

VIde in Febribus Lib. II. Febris ephemera, Carfunckel Germ. &c.

Mammarum tumor durus cum inflammatione.

IN vtraq; mamma senex quędam vidua, dolorem summum patiebatur An. 1593. Septemb. mens. Erant autem duræ, liuidæ, ita vt cancrum metuerem. Ex contactu dolor augebatur: aderat pectoris angustia, cita respiratio cum febricula.

Iussi inungere ol. Ros. cùm album Oui & Aceto ros. inuicem agitatis, addito pauco Bolo rubrâ.

Post dies quinque, cum inspicerem, adhuc duræ erant: itaq; sequens catapl. paratu facilè, quia pauper erat, continuò gestare, & indies bis renouare iussi: ℞. farinæ Hord. Fabar. f. Fœnogr. an. P. ij. coq. in Vino & Aqua, addito Butyro, misce, fiat catapl.

Venit post aliquot dies sana, gratias mihi agens.

In Alia.

EAdem ratione curata fuit alia iunior, cui tota mamma indurata & inflammata fuerat, cum summo dolore, Anno 1599.

Mamma-

Mammarum inflammatio in abscessum desinens.

PVerpera, cùm lactare inciperet infantem, Anno 1593. mense Septembr. sensit immensum cruciatum in mamilla dextra, cum rubore & duro tumore renitente in ambitu papillæ: aderatque febris. Mox cognoscere potui inflammationem esse: abundabat enim lacte mamilla; quod tamen cùm non prodiret, infans sugere diu non potuit.

Iussi primùm inungere 1. Sept. hoc vnguento: ℞. mucil. sem. Psilij ℥.ß. Boli arm ʒ.ij. ol. Ros. aceti Ros. an. ʒ.ij. misc. Fiat inunctio.

3. Septembr. cataplasma applicui ex farina Hordei, Lacte & ol. Ros.

5. Addidi huic catapl. ol. Cham. Lil. Farinæ, s. Lini & Fœnogr. portionem: quia suppurabatur.

6. Septembr. dolor augebatur, & febris, pure genito; applicui aliud cataplasma: ℞. farinæ Hord. Fabar. ana P. j. s. Lini, Fœnogræc. ana P. ß. flor. Chamom. P. j. rad. Lilior. & Ireos recent. an. ℥.ß. coq. & contund. addendo ol. Chamom. ℥.ij. Croci ℈.j. fiat cataplasma.

7. Septemb. reiteretur catapl. addendo Ficuum nu. x. farinæ Oryzæ ℥.j. Caulium, Maluarum coctarum & contus. vnà cùm Lardo.

8. Apparebat abscessus acutus, pure ex contactu refugiente. Iussi Fermentatum cum pulpa Ceparum coctarum applicare.

9. Septembr. sponte ruptus est abscessus, puris magnâ copiâ profluente ad dies binos: postea lac per octiduum magnâ copiâ effluxit. Imposui turundam cum Terebinth. & Melle: tandem pauco immisso Balsamo integrè sanata est.

Inflammatio circa radicem Pollicis.

NObili cuidam puellæ, An. 1596. pollex inflammatus est admodùm, den Wurm nostri vocát, vnde sæpiùs gangrænam subsequi, & articulum vnum digitorum vel duos, vel totum digitum amitti, vidi: sentiebat cruciatus maximos, circa vnguis præsertim radicem, & in febriculam incidit, adeò vt animo ferè delinqueret.

Applicauit ab initio emplastrum ex Melle cum Farina subactum, addito pauco Salis, vnde dolor mitigatus est.

Altero die intumuerat manus, & brachium totum dolebat, iussi applicare folia Nicotianæ maioris manui.

Tertio die detracto emplastro, in pollice suppuratio apparebat, præsertim in ambitu vnguis; fluebat virosum & fœtidum pus, dolor autẽ remiserat. Iussi aliud emplastrũ apponere ex Lariceâ subactâ cum Vitello oui & Melle, addito succo Plantag.

Quinto die, metuens ne tendines circa vnguium radicem putrescerent, vbi profundũ videbatur vlcus, vnguent. detersiuũ, cuius in ægylope superiùs mentio facta, transuersim huic loco adhibere iussi, nihilominus in empl. ex Laricea vsu perseuerare.

Cùm iam omnia in meliùs vergerent, vt in decocto Hederæ terrestris & Numulariæ, addito pauco Lixiuio manum immergeret, bis in die, præcepi. Cœpitque sensim sanari, decedente tamen vngue.

Cancer & Carcinoma.

CAncer verus, q tumore duro sensim à pustula incipiẽs in vlcus inæquale, labijs tumidis conuertitur, & tũc Carcinoma dicitur, q, & carne malignâ hinc inde extuberat, cruoremq; exsudat, & curationẽ non admittit, nõ semper vno modo prodit,

dit, sed formâ nonnihil variat, aliquando cũ tumore alio compositus, prout malignitas illius exuperat plùs minùsve, & prout in hac allâve parte nascitur, nunc in externis corporis sedibus, sese patefaciens, aliàs in foraminibus illis, in corpore apertis, latẽs, sed conspicuus. Quemadmodum ego iam longo tempore, in Praxi versatus, diligenter hoc obseruaui, & cùm eiusmodi tumores diu sæpe ignorarentur, cancros esse primus pronuntiaui, sicque meam sententiam confirmaui, vt & periti Medici eam approbare non fuerint dedignati, euentusq; tristis, tales fuisse comprobarit. Et sanè ad hosce cancros cognoscendum, viam mihi aperuit, socer meus insignis chirurgus, qui primùm mihi vnum aut alterum, in suis quos curabat ęgris, demonstrauit, primùm Monspessulo reduci Basileam facto, cùm priùs non meminerim mihi aliquem, licet plurimos illic viderim, in Praxi externos tumores & vlcera, demonstratum fuisse: Describam itaque aliquas cancrorum obseruationes.

Cancer in Mamillis mulierum.

QVamplurimos eiusmodi in fœminis vidi, verum cancrum exprimentes, tam integros, duritie, liuidis pustulis, ardore leui saltẽ molestantes, quàm postea exulceratos, stirias carneas protrudentes, labia tumida inuersa proferentes, cruorem continuò reddentes, diu excruciantes atque etsi radicitùs in aliquibus ad costas vsque amputarentur, rursum repullulantes, tandemque mortem adferentes. Hi ab vlceribus prauis, & quæ in mamillis ægrè sanantur, totasque sæpe mamillas depascuntur, admodùm differunt: Quòd in illis nullus tumor durus, aut vlcus adeò lobis oppletum, sed pus & putredo potiùs conspiciantur.

Alius in Facie sub oculo sinistro.

ARgentinam accersitus à nobilissima matrona quadam, ostendit ea mihi, præsentibus illius loci præcipuis Medicis, horrendum tumorem sub oculo sinistro faciei, ad latera vtrinque se extendentem, totumq; illic oculum obtegentem, exulceratum, & labijs duris inuersisque, cruoremque exsudantem, eum mox Carcinoma esse pronuntiaui, & vt Medici idem fateri cogerentur, rationibus euici. Præmisso prognostico, incurabilem esse, quædam tum fœtoris, tum cruoris continuò emanantis emẽdandi causâ, præscripsi, eamque, quam paulò post mors occupauit, reliqui.

Alius in Mala iuxta aurem.

MVlieri cuidam rusticæ, in mala iuxta aurem, cancer, durus, & liuidus, sensim excrescens, in magnum tumorẽ adauctus est, qui tandem sinistrè adhibitis maturantibus; mulierum consilio, apertus, in vlcus seu carcinoma, in quo labia dura & inuersa, vti solent eiusmodi vlcera cancrosa habere, desijt, luxuriante & pullulante carne cruentâ. Rogatus vt inspicerem, mortalem futurũ hunc affectum prædixi, iussique vt siccantia validè citra morsum, veluti Gypsum, similiaq; non magni pretij, ad putredinem arcendam & sanguinem cohibendũ, applicaret. Quibus per aliquot dies sustentata, cùm mulier nobilis quæ cancrum curare se posse gloriabatur, Allium cõtusum cum Fuligine furni, illi imposuisset, secutâ, ex cancri irritatione, inflammatione, collum intus forisque occupante, cum tumore, suffocata interijt.

Alius

Alius in Mala faciei.

IN mala dextra cuiusdam pueri annorũ quatuordecim, An. 1598. circa Autumnum, tumor sensim crescens natus est, inæqualis, circa radicẽ latior, & fixus, transuersæ manus latitudine eleuatus, & in obtusam acutiem desinens, concolor alioquin, nec dolore magno vel ardore molestus, vires tamẽ admodùm prosternens. Hunc etsi cancrum esse dicerem, & sectionem quam tentabant, prohiberem, cùm tamen in superficie alcubi mollis esset, lithotomus eum sectione patefecit, vnde mox labia vulneris inuerti, atque incrassari cœperunt, cruorque hinc inde emanare, stiriæque carneæ excrescere. Hunc cùm chirurgus radicitùs altè defixum, amputare vellet, idque citra malæ totius ablationem, maximamq; hęmorrhagiam hoc fieri minimè posset, disuasi. Ab eo tẽpore ab autumno ad finẽ anni, continuò sanguis emanabat, detractis emplastris, horrendumque & fœtidum erat carcinoma, adeò vt putredini arcendæ chirurgi tantùm essent intẽti. Verùm cùm nihil proficerent, admodumq; putresceret caro, portionem illius sensim, ægro minimè dolorem inde percipiente, amputarunt. Sed ne hoc quidem quicquam profuit, atq; æger viribus penitùs deficientibus, sub finẽ anni, quòd mox ab initio futurum prædixeram, exspirauit.

Cancer in Nasi externa sede.

IN medio nasi cancer protuberauit rustico cuidã, An. 1601. exulceratus iam, cũ ad me veniret, labijs inuersis, sanguinem exsudans, horrendum aspectũ prębens, & altero latere ad malam vsq; protensus, quem à pustula indolente incepisse, ante aliquot annos, atque eousq; excreuisse, tandemq; sponte apertum fuisse, narrabat. Vsus iam erat chirurgorum consilio, sudatorio ligni Guaiaci

decocto, adhibitâ simul exquisitâ, vti moris est, diætâ; Verùm cùm nec hoc nec alia iuuarent, miserè ad mortem vsque, quæ mox secuta est, vixit.

Cancer in Colli latere sub aure sinistra.

IN colli sinistro latere, cancer exulceratus multos annos in senatore nostrate quodam durauit, latum spatium sub aure comprehendens, adeò tumidus in ambitu, labrisque eleuatis, vt auricula tota illi immersa & innata esset: cui multa exiccantia ex Gypso, Plumbo vsto, Bolo, similibusque in forma pulueris insperſi, aliaque formâ admoui, vnde egregiè minuebatur, ita vt interdum penitùs subsideret, sed mox iterum repullulans, donec totum septennium sic eum molestans, mortem illi accelerarit.

Alius in Colli posteriore sede.

IN ceruicis posteriore sede, similem huic, de quo modò in hospite quodam Liechstaldi vidi, oppidulum in quo morabatur, transiens, & apud ipsum diuertens, qui magnam dorsi superioris partem labris prætumidis, inæqualibus occupauerat, in medio spatio latè exulceratus & apertus, ac si cutis vniuersa illic execta esset, luxuriante carne flaccidâ inæqualiter, sanguineque continuò illic emplastris detractis, exsudante. Diu hoc in ipso durauit, eumque post annos aliquot inuisens, nihilò meliorem sed deteriorem factum inueni.
Qui & eum immatura morte, adhuc iuuenem, extinxit.

Carcino-

Carcinoma in utroque Inguine, præ-gressis fistulis.

VIde in Superficiei corporis dolore. Lib. 11. Gangræna in membro virili.

Cancer verus in femore.

IN femoris externa superiore sede media, cuidam matronæ cùm pustula nata esset, punctionibus saltem interdum quibusdam ei dolés, eamque negligens, illa sensim excreuit, in tumorem pugni magnitudine durum, inæqualem, tuberculis liuidis prominentem. Hunc primùm inspexi, cum socero meo, in principio Praxeos meæ, Anno 1559. & cancrum esse pronuntiauimus, & ne aperiretur sectione vel caustico, prohibuimus. Verùm illa moræ impatiens, imbecillis sensim reddita, empirico suadente & causticum præbente, cutem inussit, moxque in carcinoma conuerso cancro, labijs inuersis, stirijs propendentibus, sanguinemque fundentibus, extincta est.

Alius in eodem loco.

SImilem sed longè maiorem, capitis magnitudine, in femoris eadem sede, in scriba, mediæ ætatis, An. 1608. vidi. Cùm enim vocatus ab eo essem, vt sectioni quam lithotomus instituere volebat, interessem, & Cancrum esse cognoscerem, nolui hoc concedere, periculũ si aperiretur, denuntians; etsi enim in certis locis inter duritiem illius & tubercula, mollities quædam, ac si humor aliquis subesset, deprehenderetur, ex quo sponte eum se aperturum conijciebam; tamen videns, patientẽ summè imbecillem esse, & cancrum nullum dolorem sed ardorem leuem tãtùm inferre, ideoq; aperiendum eum non esse, tum etiam eum mox moritu-

rum, ex pulsu obseruans, disuasi. Nec diu dilatum, nam sponte apertus, cruorem copiosum reddidit, horrendaque facie, ægrum mox sustulit.

Cancer in genu.

IN genu, virgini cuidam tumor enatus, non adeò circumscriptus, vti cancer solet, sed latus, totam eam regionem in circuitu adimplens, concolor alioquin, nisi quòd liuidus certis in locis, & venis distentis apparebat, cùm diu multumque à Chirurgis tractatus fuisset, sanari nullo modo potuit: ad quam accersitus, tandem cùm inspicerem, cancrum esse iudicaui. Et cùm longo tempore cruciatus pateretur, nec vlla ratione sanari posset, ad sectionem deuentum, atq; supra genu sectione factâ, illicq; femore ferrâ diuiso, crus amputatum est. Verùm cùm radices non penitùs exstirpatę essent; de nouo cancer excreuit, non minùs quàm priùs conspicuus & eleuatus, vnde cũ & carcinoma factum esset, tandem viribus labentibus, extincta est.

Cancri in internis cauitatibus, nare, ore, in lingua, labijs, gingiuis.

VIde in Doloribus harum sedium. Lib. II. Cancer in naribus, &c.
Item Cancer in lingua.
Item Cancer in labijs.
Item Cancer in gingiuis.

Tumor cancrosus ex Oculi sede cum oculo prominens.

PVero decem circiter annos nato, caro quędam iuxta radicem oculi in illius orbita excrescens, eum foràs ex sua sede adeò propulit, vt tandẽ spatio aliquo temporis, omnino extrorsum extrude-
retur,

retur, carne hac, pugni amplitudine, prominente, oculumq; in medio illius immensum continente, adeò profundè, vt pupilla saltem appareret; atque oculus ipse sic intumuisse, crederetur. Multis consultationibus habitis, an moles hęc amputanda esset, cùm nulla spes de seruando oculo, superesset, & pleriq; consentirent, ego cancrum esse existimans, dubitaui, quid faciendum; prædicens, metuere me, ne etsi auferatur, denuò recrescat. Cùm itaq; negotium differretur, venit interea circũforaneus quidam, promittens, se eum curaturum, atq; hunc apprehensum, ex oculiq; orbitæ cauo penè totũ extractum, amputauit, gloriatus se eum radicitùs abstulisse. Verùm licet nihil ampliùs totum ferè biennium apparuerit, eo tamen exacto, rursum pullulare cœpit, sensimq; adeò augeri, oculiq; sedẽ quæ caua priùs erat, primùm adeò implere, & postmodum foràs se exerere, & augeri, vt duplo maior tũc quàm priùs, antequam ablatus esset, apparuerit, sicq; annos aliquot durans, donec ad adolescentiã peruenit, turpem aspectum præbuit, eoque magis, quòd ob molem huius immensi tumoris carnei, mala illius lateris extrorsum attracta, os ea in sede distorserit.

Tumor in mamilla immensus, schirrhosus, cancrosus, è quo illuuies magna quantitate effluxit, tophi insuper exempti sunt.

VIrgo quædam nobilis, annorum quatuordecim, labrum quoddam satis capax, linteis lauãdis destinatum, summa vi impellens, sensit rupturæ cuiusdam quasi sonum, circa coxam sinistram, propè papillam, ac si os eo nisu confractum esset,

ex eoque perterrita, abiens nemini casum hunc, quem trudendo labrum fuerat perpessa, indicauit. Successu postmodum temporis, primo anno, quādo mamillam manu fortiter cōprimebat; at, ;mad. uertit tuberculum exiguū, lentis instar, costæ quæ fracta fuerat, nuncque rursum coaluerat, innatum esse, illudque paulatim, sine vllo tamen incommodo aut dolore, ita sensim augeri deprehendit, vt primo semestri, iam pisum adæquarit, anno elapso, ad auellanæ magnitudinem peruenerit: Secundo anno instar globuli lusorij apparuit; Tertio castaneam magnitudine superauit; Quarto nucem iuglandem; Quinto pomum paruum excesit; Sexto anno excreuit ad oui gallinacei magnitudinem, quod adeò firmiter costæ inhærebat, vt nullam in partem, ne vi quidem moueri potuerit, & licet longo tempore Cataplasmate ex radice Bryoniæ, & folijs Hyosquiami cū Aceto formato; nec nō Emplastro Oxycroceo, atque de Meliloto, vsa esset, nihil tamen vtilitatis inde percepit; immò sensim augebatur, absque alio incommodo, quàm quòd interdum leuiores quasdam tuberculi punctiones sentiebat. Septimo abhinc anno, ætatis 26. morbi duodecimo, adeò frequenter catarrhis supra pectus molestabatur, vt cùm monialis facta esset, à cantionibus ordinarijs abesse, easque intermittere cogeretur. Febre subsecutâ, tota mamilla sinistra admodum ei intumuit & rubuit, sequentique anno paulatim ita creuit affecta mamilla, vt mediocri modio tumor vix contineri potuerit, tandemque 25. Octobris, anno morbi decimoquarto, ætatis 28. inferior pars mamillæ sinistræ, sponte fuit aperta, exindeque primò effluxit albuminis oui instar, albus viscosus tenax actu frigidus humor, quantitate mensuræ vnius, quem subsecutus est, humor actu calidissimus, lucidus, flauus, instar succi Cydonio-

doniorum recenter expressi, maximâ copiâ, circiter viginti mensurarũ, cui quandoq; sanguinis atri grumæ permixtæ erant, quę per vices emanare solebant. Sequenti die febris illam inuasit, cùm summo tumoris dolore, hinc cœpit rursum per idem foramen effluere, primò materia fæculenta, mox sanguis nigerrimus, atramenti instar, cum fœtore, circiter mensuras duas, quibus symptomatib. mensium fluxus copiosissimus accessit, tumorque illâ euacuatione subsidens, dimidiâ ferè parte fuit diminutus; tribus in locis durus erat, lapidis instar, propendebat deorsum, magni melonis rotundi figurâ, hinc inde venis turgidis amplis erat conspersus, totam mamillam sinistram occupabat, papillâ sanâ manente, & longè à loco naturali deorsum vergente, colore liuido & aliquibus in locis rubro, inæqualiter rugosus, ob exinanita loca prominebat, subtus per foramen sponte apertum, sanies, seri instar, nec non pus, quoties premebatur, effluebat, sicuti & duo tophi per foramen exempti sunt, & adhuc tophum costæ adnatũ subesse, immisso instrumento deprehendebatur, ab eoque tempore, quo tumor fuit apertus, minùs quam priùs doluit. Et licet multis potionibus vulnerarijs, iniectionibus, vnguentis, oleis, cataplasmatibus, fumis, aliisque infinitis medicamentis per integrum ferè annum fuisset vsa, tam ad dolorẽ compescẽdũ, quàm vlcus curandum, nihil tamen omnino profecit, immò tumor magis magisq; creuit, inferiusq; foramẽ (per quod vltra mensuras sexaginta puris & sanguinis nigri atq; seri successu temporis effluxerũt) adeò fuit dilatatum, vt tres digitos admitteret. Tandemque superiori foramine inferiori ex aduerso respondente, quod Chirurgus semper expetebat, à circumferentia versus centrum, incisionem fecit, octo transuersos digitos profundam, absque

ægræ dolore, vulnerisque labra, vteri vaccini colorem & substantiam repræsentabant, carneque rubrâ obductâ coalescere incipiebant. Quare chirurgus, cognoscés nullum aliud remedium superesse, cultro ℔.ij.& ℥.iij. carnis putridæ & lardo similis, semiquadrante horæ, abscidit, quo facto sanguinis congelati mensuræ duæ, & seri parùm effluxit, postea tophus costæ ruptæ innatus, carne rubrâ obductus, oui gallinacei magnitudine apparuit, quē intrinsecùs album, escharoticis medicamētis & ferreo instrumento, per portiones exemit, atq; circa axillam sinistram, digitis multùm carnis putridæ, cerebri substantiæ similis, abstulit, vnde plus doloris quàm ex tota incisione sensit. Circa festum natiuitatis, sponte crus dextrum ei intumuit doluitq; per 12. septimanas, dein sponte paulatim decreuit. Quamprimumq; calculus costæ exemptus fuit, statim carne & cute nouâ fuit obducta pars, ita vt saltem pisi instar vulnus exiguū remanserit, ē quo sanies paruâ quantitate effluxit. Anno sequēti ferè elapso, rursum caro sensim ad capitis magnitudinē excreuit, cui adnati duo tumores minoris infantis capitis instar, illic conspiciuntur, ex quibus vermes viui prodierunt. Iam dum hæc scribo, paulatim ei vires deficiunt, quod mortis breui subsequuturæ indicium.

Scabies vulgaris manus infestans.

MAnus ambas scabie vulgari iam diu infectas habebat studiosus quidam, An. 1596. Maiō mens. ita vt illis vti non posset, atque eas denudare ipsum puderet.

Purgaui eum hoc modo: ℞. Catholici ℥.ß. conf. Hamech.ʒ.ij. cum aqua Fumariæ, fiat potio.

Sequenti die venam brachij aperuit.

Apozemate deinde hoc vsus: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.jß. rad.

℥.j.ß. rad. Lapatij ℥.j. cort. Tamaricis ʒ.ij. herb. Fumariæ, Lupul. Mercurialis an. M.j. fl. Cord. an. P.j. Epithymi, ℥.ß. Senæ ℥.iij. Polypodij ℥.ij. sem. Carthami conquaſ. ℥.j.ß. ſe. Aniſi, Fœniculi an. ʒ.ij. Paſſul. Prunorum an. nu. x. fiat decoctio, diſſ. in col. Sacchari q. ſ. fiat decoctum pro quatuor vicibus, aromat. Cinam. ʒ.ij. primâ die bis, ſecundâ 12. tertiâ 8, quartâ nouies deiecit.

Abſolutâ purgatione: ℞. Mithridati ʒ.j.

Vngat poſtea partes ſcabioſas: ℞. ol. Viol. Butyri rec. an. ℥.j. ſucci Plantag. Lapatij, Aceti an. ℥.ß. Lithagyrij ʒ. ij. rad. Serpent ʒ.ß. Sulphur. ʒ.j. Lariceæ q.ſ. fiat nutritum; Vngat manus & poſtea induat Chirothecas caninas.

Abluat manè hoc decocto: ℞. rad. Bryoniæ, Lapatij, herb. Maluæ, Scabioſæ an. q.ſ. pro decocto.

Dein Electuario hoc intemperiem ſanguinis contemperet: ℞. conſ. rad. Cichorij ℥.j. cōſ. Bugloſ. Roſ. an. ℥.ß. pul. Triaſant. ʒ.j. troch. de Eupato. ʒ.ß. cum ſyr. de Endiuia, fiat Electu. ſumat alternis diebus manè; Sic perfectè eſt curatus.

Scabies vulgaris in manibus & pedibus.

QVidã hoc pacto ſcabie infeſtatus ſic curatus fuit, ſumpſit primũ purgans ſequens: ℞. Catholici ℥.ß. confect. Hameth ʒ.ij. ſyr. de Fumaria ℥.j. cum aquis Fumariæ & Endiuiæ, ſumat.

Sequenti die Vena fuit ſecta.

Tertio apozemate hoc vſus eſt: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.ij. rad. Lapatij, quod Rhabarb. monachorũ vocant ℥.j.ß. rad. Polypod. ℥.ij. cort. Tamaric. ℥.ß. herb. rec. Endiuiæ, Lactucæ ſyl. Sonchi, Mercurialis, Fumariæ, ſum. Lupulorũ an. M.j. fl. Bugloſ. Borrag. Scabioſæ an. P.j. Paſſul. pa. x. Prunorum nu. x. Epithymi ℥.ß. Senæ ℥.iij. ſ. Carth. conq. ℥.j. fiat decoct. in ſero Caprino, & in col. q.ſ. adde Sacchari q.ſ. Bibat 4. vel 5. vicibus.

Abſoluto apozemate, adhuc ſemel purgetur ſequenti potione: ℞. rad. Glycyrizæ, Polypodij an. ℥ vj. Senæ ℥. ß. ſem. Aniſi ʒ j. fl. Cord. P. j. fiat decoctio infunde in col. Rhabarbari ℈. quart. Agarici ʒ. j. Spicę, Zingib. an. ℈. j. fiat expreſsio, diſſ. ſyr. Roſ. ſol. ℥. j. ß. fiat potio.

Poſteà ſumat: ℞. conſ. Cichorij Bugloſ. Roſ. an. ℥. j. ſp. Triaſantali ʒ. j. cũ ſyrupo de Endiuia fiat Electuarium: Superbibat ſemper aquam Acetoſæ & Fumar.

Balneo dein hoc vtatur, indies per horam vnam aut duas, in illo moram trahendo: ℞. rad. Lapatij, Bryoniæ, fol. Hederę, Salicum, Scabioſę, Mercurialis an. M. ij. decoquátur in aqua Pluuiali & Lixiuio, addendo Tartari ℥. ij. Sulphuris ℥. j. Salis M. j.

A balneo vngatur: ℞. ol. Roſ. Viol. an. ℥. iij. ſucci Lapatij & Plantag. an. ℥. j. Aceti ℥. j. ß. decoquantur ad ſuccorum conſumpt. adde Litharg. ℥. ß. rad. Serpentariæ ʒ. j. Sulphuris ʒ. ij. Ceræ q. ſ. fiant vnguentum. Reſtitutus mox fuit.

Scabies ſicca, Pſora.

PEruerſa ſcabies totum corpus in adoleſcente quodam occuparat, & in pedibus, cruſtis latis & magnis præſertim erumpebat, recidiuam paſſus aliquoties.

An. 1592. men. Iulio Bibit meo cõſilio, per octiduum Serum lactis, in quo decocta prius fuerant, ſum. Lupul. Fumar. Mercurialis, fl. Bugloſ. & Senæ. Poſteà Venam aperui brachij.

Dein iterum ſic fuit purgatus: ℞. fl. Cord. P. j. Tamarind. ℥. ß. Epithymi ʒ ij. Senæ ℥. ß. ſem. Aniſi ʒ j. decoquantur in Sero lactis & in col. inf. Rhabarb. ℈. quat. Agarici ʒ j. Sicæ ℈. ß. fiat expreſsio diſſ. ſyr. Roſ. ſol. & florum Perſicorum an. ℥. j. fiat potio.

Per vices hoc electuarium ſumpſit: ℞. conſeruæ fl. Sca-

fl. Scabiosæ ℥.j ß. conseruę fl. Cichorij, Buglos. Rosf. an. ℥.j. conf. fl. Tamaricis ℥. ß. pul. Triasantali ʒ.j. trochisc. de Tyro ℈.j. cum syrupo de Endiuia, fiat electuarium; Capiat alternis diebus, superbibendo aquam Fumariæ & Endiuiæ Vino dilutam.

Interea balneo hoc vsus est: ℞. rad. Bryoniæ, Lapatij ac Scabiosæ, Maluæ, Violariæ, Parietarię, Hederæ, Mercurialis an. M. ij. vel iij. decoquantur in Aqua, addendo aquæ extinctionis Ferri & Lixiuij ana mens. aliquot, Sulphuris triti P. j. in eo sedebat per horas ij in die, dein in lecto se siccet.

Quo facto, vnguento hoc vtatur: ℞. succorũ Lapatij acuti, Plantag. an. ℥.j. Aceti ℥. ß. ol. Rosf. Viol. an. ℥.j. ß. Lariceæ ℥. ß. Butyri ℥. ß. Litharg. ʒ. iij. Sulphuris ʒ. ij. rad. Serpent. ʒ. j. incorporentur omnia instar nutriti. Quo inungat loca magis affecta, & corpus linteo obuoluat, cubitum iturus, ne lectum commaculet, & chirothecas excorio Camino paratas, manibus inunctis induat.

Hoc pâcto sanitati restitutus, postea tutus ab ea man sit.

Prurigo in ima iuxta podicem sede.

QVidam totâ sede imâ, inter clunes diuisâ, à podice ad perinæum vsq;, maximè æstatis tempore, rubedo exoriebatur, cum pruritu intolerabili, ad frictionem donec cutis abraderetur, impellẽte: tandem tenui squamâ succedente: Frequenter hoc malo redeunte, & iam totum ferè decennium, à quo tempore nuptias celebrarat, durante, & tandem etiam scrotum penemq; occupante.

Cum huc venisset consilij gratiâ An. 1611. dixi â sanguine feruido, bilioso, salso hoc prodire, opus esse, vt illum corrigat. Salsa prohibui & aromata. Vt Lac biberet per septimanas quinq; caprinum, suasi, procedendo, ab ℥. quat. ad ℥. viij. Et vt singu-

lis ſeptimanis biberet hauſtum eiuſdem lactis, in quo puluis Senæ, Bryoniæ, Fumariæ ſicatæ, rad. Oxylapathi, coctus eſſet.

Inſeſsionem ordinaui, cui indies per horam inſideret, ex decoc. Gypſi vſti, Aluminis & Boli rubræ, addendo aquam extinctionis Ferri fabrorum. Pruritu vrgente, Lacte virginali partem illiniret.

Quod niſi proficeret, diſſolueret Tophaceam materiam (coctã ex Litharg. Ceruſâ & Vitriolo in Aceto) in Aqua, eaque Lauaret locum.

Sicque, his remedijs aliquandiu continuatis, ſanatus fuit.

Scabies peruerſa circa emunctoria & manus, cum facie rubra & puſtuloſa,

VIde in Diſcoloratione Lib. III. Facies rubra puſtuloſa cum Scabie peruerſa, &c.

Scabies fera in collo & facie.

PVella diu iam enarratâ horrendâ ſcabie afflicta, An. 1562. primùm purgata fuit decenter.

Poſtea hoc vnguentum præſcripſi: ℞. ſucci Lapatij radicis ℥.j.ß. ſucci Limonum ℥.j. ſucci Ranunculi vulgaris ℥.ß. rad. Cyclaminis, rad. Serpentariæ puluериſ. an. ℥.ij. Lithargyrij auri ʒ.vj. Thuris, Maſtiches an. ʒ.ij.ß. ol. Tartari, Laur. an. ℥.ß. axungiæ Porci recentis quartarium ß. Fugitiui ℥.ß. ol. Roſac. quart. ß. fiat vnguentum.

Integrè fuit hoc vnguento ſanata. Quo & poſtmodum ſæpe feliciter ſum vſus, in ſimilibus caſibus.

Scabies fera in capitis capillosa sede & facie infantis: Haarbroten.

PVellula à teneris ad annum vſque ætatis 6. ſcabie fera capitis laborabat, & bis à me curata, recidiuam ineunte vere paſſa eſt. An. 1574. Erat autem tota capitis ſedes & faciei & colli, cruſtis, ſub quibus ichor purulentus continebatur & effluebat, obſita, quibus & oculorum palpebrę & nares quoque obductæ erant.

Primùm igitur, vt reſpiratio eſſet liberior, nec oculi aut viſus ex diutina cæcitate, labem paterentur, Lactis cremore cruſtas, vt ſecederent, emolli re iuſsi.

Poſtea Lac vt biberet Caprinum, ſeptimanas aliquot, imperaui, cui incoxiſſem Senam & alia, ſed illâ nō ſumente, quòd ſaporem aſſuetorum immutaret, omiſi.

Dedi itaque ei Tabulas ex Sacchāro & Diagrydio confectas, nihil præter tabulas admittenti, ſed quia non mouerunt eam, exhibui ei conſeruæ Cydoniorum ℥. j. Diagrydij gran. v. inde fuit purgata. Repetij aliquoties cum bono ſucceſſu purgationis, citra incommodum.

Præſcripſi quoque victus rationem idoneam, ne ſalſis aut aromatibus vteretur, ſed ſimplicioribus cibis.

Interea iuſsi caput & faciem ſequenti linimento inungere, quod: ℞. Lithargyrij ℥. j. Sulphuris ℥. ij. Ceruſæ ℥. j. Ierſæ ſerpentar. ℥. ß. Boracis ℈. j. Pomadæ q. ſ. Diſſoluantur cum oleo Roſarum, pro Linimento.

Abluit indies vnguentum, ne ſiccatum pertinaciùs hæreret, vti in cruſtis fieri ſolet, Lixiuio; dedi ad ſanationē hoc decoctū, quod recipit Gypſi vſti

scutell.j. Aquæ fabrorum mensur.ij. Lixiuij mens.j. Vini pocul.j. radic. Lapatij, Plantag.an.M.j. Decoquatur ad vsum.

Hisce penitùs fuit restituta: Verùm eo tempore grassante febre illa contagiosâ, variolis comitatâ, puellula illa simul hoc malo fuit correpta, tuncque caput facies & collum variolis repleta, mirè intumuerunt. Quam nouam naturæ expurgationem, ne deinceps recidiuam feræ scabiei patiatur, vtilem futuram, parentibus persuasi.

Scabies fera totius corporis, in viro.

QVidam pauper vinitor, An. 1598. mense Septẽbri in dysenteriã incidit, quâ mensis spãtio detentus, diuturnis deiectionibus ad extremũ redactus fuit, præsertim cùm huic alius alui fluxus succederet, per quem immensam copiam mucoris, vti & per tussim similem materiam, dein & fœtidissimam, subuiridium excrementorũ excreuit.

Quibus cessantibus, & pedes & crura vniuersa, cum scroto admodùm, sicuti ascιticis euenire solet, intumuerunt, non tamen venter.

Post dies 14. subsedit tumor, serositate discussâ, sed adeò debilitari cœpit & cardialgiâ angi, vt de ipsius incolumitate omnes desperarent. Præter spem tamen euasit, cœpitque tum è facie, auribus, capiteque reliquo, & ab vniuerso corpore, pedibus demptis, qui priùs intumuerant, ichor quidam subflauus, serosus, acris, per poros cutis prorumpere, copioseque effluere, cutem exedere, & squamas ac crustas, in ea vndique excitare, quæ aliquandò hinc inde latè à cute abscedebant, ægro interim ardore ac prurigine miserè afflicto. Quibus ad dies vndecim perseuerantibus, ad extremam miseriam & inopiam redactus, le-

profus eſſe putabatur. Cumque eo nomine conſultus eſſem, ſcabiem ſiccam, quam pſoram vocát, Germ. Mager / eſſe iudicaui, & miſertus ipſius, curam inſtitui, etſi eum deploratum eſſe, plerique cenſerent.

Cùm alioquin multis deiectionibus eſſet purgatus, materiaque reſidua in habitu eſſet corporis, vt in balneo ſederet, indies horam vnam aut alteram, ſuaſi, hoc paratu facile, cùm ſumma eſſet eius egeſtas, ex Rad. Lapathi, & Bryoniæ, fol. Hederæ, Gypſo vſto, & Tartaro vini, decoctis in Lixiuio & aqua Fabrorum extinct. ferri pręparatum fuit. Quo per dies aliquot, cùm vteretur, etſi magnam lancinationem, ex eo ſentiret, fluxit tamen adhuc ampliùs ichor ille in principio.

Et proin à balneo humido ceſſare, & in ſtupha eum indies ſudare iuſsi: Et poſthac ſe inungere inunct. ſequenti: ℞. Butyri rec. ℥. iiij. Tereb. q. ſ. ſucci Lapatij ℥, ij. Litharg. ℥. ß. Sulph. ʒ. vj. fiat Nutritum.

Corporis ſuperioribus ſenſim ſanari incipientibus, pedes qui poſtquam detumuerant, pſorâ nondum infeſtati, poſtea quoque ſimilem materiam profundebant, è quibus ichoris copia ſine intermiſsione exſudabat.

Purgaui illum extr. Cydon. ʒ. ij. & die nocteque 10. deiecit.

Reſtabant tantùm pedes, adhuc circa digitos ichorem profundentes, iuſsi vt repeteret vnguentum, & vt in labro, in quod Lixiuium feruidum fuſum eſſet. Silicesq; igniti in eo extincti, pedes benè tectos, táquam in ſtupha aliquoties ſudare ſiniret.

Quorum vſu omnia ſanata ſunt, ſed cùm per dies aliquot poſtea bilem vomeret, dedi Vinum in quo Abſynthium cum flor. Centaur. min. infuſa fuerunt, vt biberet, denuoque illum extracto Cydon. purgaui.

Remisit vomitio, sed post septimanas duas rediјt nausea, amaritudo oris; Dedi vomitorium & bilem meram vomuit. Cùm nec sic cessaret, iussi Absynth. & summit. Centaur. decoquere in Vino, & tres dies bibere, vnde subsecutum est alui profluuium, meliusque habuit.

Scabies fera totius corporis, in ancilla.

SCabies crustosa vniuersum corpus occuparat virgini cuidam, sed iam profectæ ætatis, Lucernæ An. 1582. sub qua ichor flauus erumpens, præsertim in capite, totũ caput crustis flauis implebat, scissuræ in manib. & pedibus: In supercilijs furfures. Pruritus totius corporis maximus. Aliquoties balneo vsa, curata fuit, sed repetebat semper malũ; leprosam pleriq; suspicabantur esse, ego psoram seu scabiem siccam, quam Germ. Mager vocant, esse dixi, cui nisi subueniatur, in lepram tandem abituram. Hæc consilij causâ ad me Lucernæ venit. Dicebat se mensibus carere, robusta alioquin erat. Et cùm pauper esset, minùs pretiosis vtendum erat. Dedi illi itaq; purgationis loco: ℞. succi Mercurialis ℥.j. cum Mellis ℥.ß. dissoluat in Iusculo; Bibat, & purgata fuit.

Decoctum hoc dein quinque vicibus bibit: ℞. rad. Cichorij, Lapatij, Petrosel. Ireos recent. an. ℥.ij. herb. Melissæ, Arthemisiæ, Endiuiæ, Fumarię, Mercurialis rec. omnium an. M.j. ʒ. fl. Cord. an. P.j. s. Fœnic. ʒ.ij. fol. Sennæ ℥.iij. rad. Bryoniæ ℥.j. decoquantur in lacte Caprino, addendo Mel. Hoc decocto adeò purgata fuit, vt diarrhœâ aliquamdiu, etiam absoluto illo adhuc laboraret, quod ego illi profuturum, prædixi.

Et quia discedendum mihi erat, iussi illam postea hoc modo procedere. Quia veris tẽpus aderat, iussi illam decoquere summit. Lupulor. Fumariæ

& teneritates Sambuci, addendo flor. Persicorum recentes, quam diu illos habere posset, & in lacte Caprino decoquere: Atque per mensis spatium bibere.

Venam in brachio primùm dextro & post aliquot dies, in sinistro quoque aperire. Et laudatâ vti victus ratione, cauendo à salsis & aromatibus.

Scarificatione adhibitis cucurbitulis in scapulis & humeris, dies aliquot, postea vti, nam facies admodùm rubebat, & squamis erat referta.

Absoluto mensis spatio, vt adiret thermas Heluetiorum sulphureas, illisq; vteretur, perfundendo collum etiam continuò, dum in illis sederet, quod omnino scabiosum quoq; erat.

Secuta est meum consilium & post vsum thermarum, aliquomodo sanata, remanente tamen scabie adhuc in capite, collo & pedibus: de quo certior factus, mandaui illi, in Lixiuio, in quo scutella vna Gypsi vsti & puluerisati cocta esset, sæpè pedes lauaret.

Item hoc vnguento caput & collum illiniret: ℞. succorum Plantagin. & Lapatij ac. an. pocul. ß. Lithargyrij puluerisati & Sulphur. an. cochl. ij. Gypsi coch. j. Butyr. rec. coch. iiij. Lariceę q. s. agitentur in-cem, fiat instar nutriti; Quo illinat collum & caput: Hisce sanata fuit.

Sub autumnum, cùm denuò quædam in capite & pedibus erumperent, & repeteret, decoctum Gypsi pro pedibus, & Linimentum pro capite, denuò cessarunt omnia.

Sequenti anno venit Basileam, & cùm me salutaret gratiasq; ageret, tam benè erat habita & pulchra, vt non eam ampliùs agnoscerem, & cùm successum exponeret, etiam menses nunc decenter fluere, prædicabat.

Scabies manans capitis, quam Vlcera capitis manantia seu Tineam vocant.

MAtrona quædam in principio Praxeos meæ, Anno 1558. tinea laborabat. Quia paupere- rat, sic purgaui illam: ℞. seri Lactis caprini, q. s. decoque in eo Fumariam, sumitat. Lupulorum, Mercurialem, omnia recentia, addendo fol. Sennæ ℥ ij. se. Fœniculi ʒ. j. Bibat per dies quatuor vel quinque.

Postea Inungat caput: ℞. ol. Nucum, ol. ex ligno Iuniperino ana ℥. ij. ol. Lucernarum ℥. j. ß. Nucum integrarum vstarum ʒ. vj. fulig. Furni ℥. ß. Litharg. ℥. ß. Fugitiui extincti in Laricea ʒ. vj. Aluminis ʒ. ij. Ærug. æris. ʒ. j. seminis Iuniperi ʒ. ij. Aceti fortiss. ℥. ß. Mellis ℥. j. agitentur inuicem cum Lariceæ s. q. donec fiat instar nutriti. Vtatur bis in die. Valde denigrabat, quod in capitis pilosa cute non adeò, sicuti si alia loca inungenda fuissent, obseruatur.

Manè abluit Lixiuio sequenti, admodùm caput fricando, sic parato: ℞. aquæ extinct. Ferri fabrorum, & cũ cineribus ex ligno Quercus, Vitis, Ebuli cum toto & Caulium simul vstis factis, passetur per filtrum aliquoties, & in Lixiuij mensur. j. decoque Betam, Marrubium, Absynthium, sem. Centaurij min. Lupinos, Fabas addendo Salis parùm.

Integrè sanata hisce fuit.

Crustæ in capite erumpentes, in Cephalæa.

VIde in Capitis dolore. Lib. 11. Cephalæa cum crustis è capite erumpentibus.

Herpes

Herpes esthiomenus.

RVstica mulier quinquagenaria, hinc inde in coxis, brachijs, vtroq; genu & cubito, pectore & facie, maculas habebat eleuatas rubras, scabras, asperas, latè serpentes, & de nouo hinc inde erumpentes, instar Zittermahl Germanorum; quibus vitijs iam diu deformata, in lepræ vel luis venereæ suspicionem venerat. Admodùm igitur perculsa, mense Nouembri Anno 1597. ad me venit, anne quid tale esset, quæritás: Negaui, & vt animo quieto esset, beneq; speraret, iussi, & cùm pauper esset, paucioribus licet remedijs vti cogerer, illis tamen hoc pacto sanata est.

Præscripsi Vinum purgans hoc modo: ℞. rad. Cichoreæ, Lapa. an. ℥.ij. herb. Fumariæ, Mercurialis, Chamæpitheos, Chamedreos, Absynth. an. M.j. florum Cord. an. P.j. sem. Fœniculi ℥.ß. fol. Sennæ ℥.j.ß. rad. Bryoniæ ℥.ß. rad. Esulæ præpar. ʒ j. conquassata infundantur in Vino, bulliant in duplici vase; Bibat colaturam quatuor vel quinq; matutinis. Vnde benè purgata fuit, & aliquoties vomuit.

Iussi scabras maculas semel in die madefacere sequenti aqua, idque penna vel penicicillo in ea intinctis, & in latioribus quæ genua occuparant, primùm tentare, & an ferre posset, illic experiri: ℞. Sublimati ʒ.j.ß. Litharg. ʒ.ij. Boracis ʒ.ß. Camph. ℈.j. fiat puluis, adde aq. Ros. & Plantag. an. ℥.iiij. coquantur: Aliquandiu vtatur.

Ab illius vsu dolorem aliquem percipiebat, qui tamen mox remittebat, statimq; crustis subluteis maculæ hæ obduci cœperunt crassis & duris adeoque densis, vt genua non posset flectere. Docui itaq; eam, vt cremore lactis inungeret; quo aliquoties facto, emollitæ crustæ decidere cœperunt, remanente subtùs cute sanâ; subliuidâ tamen

(vti illis locis fieri solet) aliquandiu remanente.

Cùm illud idem alijs locis faceret, reliquæ quoque recesserunt maculæ.

Monui vt vere ineunte, corpus purgaret, & si quæ iterum erumperent, eódem remedij genere vteretur.

Herpes à Germanis der Schlaffendt Wurm *appellatus.*

QVædam mulier, hoc malo in manibus & pedibus vti & facie adeò, vt nasus collapsus esset afficiebatur, atque hac ratione curata fuit, remanentibus saltem cicatricibus, & deformatione nasi.

Lauit frequenter hac Lotione eiusmodi vitia, quæ sic parabatur: ℞. Aluminis, Æruginis æris, Vitreoli an. æquales partes: coquantur in Vino diligenter agitando, quam diu ebullit. Vtatur.

Postea imposuit certis locis emplastrum ex far. Hordei subactâ cum Vino, additâ paucâ Pinguedine Porci, saltem ne siccaretur & induraretur emplastrum.

Idem affectus.

CVrati hoc pacto multi fuerunt. Emplastrum sequens applicando supra locum affectum per 24. horas. Quod ℞. Cranium humanum, vstum quousq; puluerisari queat, excipiatur puluis Albumine Oui, donec in pastam redigatur.

Postea, Accipe Ossa equorum combusta & puluerisata, adde vitri Veneti puluerisati, & Farinę secalis an. æquas partes, misce cum Melle, fiat emplastrum: Applicetur & renouetur indies bis, donec mundum fiat vlcus, & rubescat.

Herpes,

Herpes, Pustulæ.

POst quartanam, cuidam Religioso Anno 1598. in vniuerso corpore eruperunt pustulæ rubræ, è quibus disruptis, serosus humor effluebat, quæ tandem crustis obducebantur. In manibus imprimis herpes latus, extrinsecùs per eas dispersus erat, magnumque etiam in carpo spatium occuparat, qui labijs rubris circumscriptus erat, ichoresque acres exsudabat.

Iussi Purgare corpus decenter, Venam aperire, vti Conseruis hepati appropriatis.

Dein hac aqua herpetẽ madefacere: ℞. Litharg. ℥.vj. Cerusæ ℨ.iij. Vitreoli albi ℨ ij. Aq. rosar. ℥.iij. ß. Aceti ros ℥.ij. Aquæ sublimati (vt parare soleo) ℥. ß. aquæ Virid. ℨ. ij. misceantur diligenter.

Postea hoc vnguento inungere: ℞. vnguenti Popul. & Pomph. an. ℥.j. succi Lapatij & Aceti scyllit. an. ℥.ij. Litharg. ℥. ß. Tartari ℨ.ij. radic. Serpent. ℨ.j. Lap. calamin. ℨ.iij. Cerusæ ℥. ß. Laricea, Ol. de tartaro ℨ.ij. fiat instar nutriti.

Hoc facto aliquandiu, sanatus fuit.

Herpes exedens & psora.

EX Italia reuersus Lotharingus An. 1595. mense Nouembr. nobilis quidam, virilis ætatis, conquestus est se à teneris scabie siccâ laborasse, quæ tandem in emunctorijs, & pilosis locis in barba & supercilijs substiterint, cum rubore adhuc illic apparente, crustaceâ cute asperâ, siccâ. Profectum se in Italiam, vt sanaretur, ostendebat consilium Capelongi; ex quibus omnibus illum sæpè Purgatum fuisse, etiã fortissimis catharticis cognoui, Venam frequẽter aperuisse, multa hepar Refrigerantia assumpsisse, Lac, & Acidas aquas bibisse, duo Cauteria in vtroq; brachio & vnũ in tibia gestare,

quæ Medicici ad defluxionem à capite, vti ſcribebat, applicuerant. Dein & vſſerunt ferro candente herpetem.

Huic ego conſilium præſcripſi, cuius hæc eſt ſumma, illum ſcabie ſiccâ, quam pſoram & lepram Græci vocant, à teneris laboraſſe, Mager Germ. tandem herpetem in facie progenitum, eumque exedentem & ſerpentem, vti cicatrices adhuc variæ in ambitu oſtendebant.

Cauſam eſſe non in capite, ſed in venis, ſeroſum humorem ſalſum bile feruentiſsima permixtum, exudantibus per poros, maximeq; illic ſubſiſtentem, vbi pori propter vſtionem ſcarificationem & cucurbitularum applicationem illius loci, ſint obliterati.

Et cùm nondum integrè ſanatus ſit, ſuaſi vt ineunte vere, corpus continuatis vicibus, ſed blandè purgaret, ijs quæ ſanguinem potiſsimùm repurgare & mundificare, vt vocant, poſſunt. Hac ratione: ℞. ſuccorum Fumariæ, Lupulorum, Roſarum, Mercurialis an. ℥.iij. aquarum Bugloſſæ, Endiuiæ, Roſ. an. ℔.j. infundendo Sennæ quart.j. Epithymi ℥.ß. ſe. Aniſi ʒ.ij. fiat expreſs. poſt leuem ebullitionem, addendo Sacchari quart.j. coquantur ad mediam ſyrupi conſiſtentiam: Capiat ab ℥. j. ad plures procedendo, per menſem ferè continuando.

Vnguentum hoc ad herpetes præſcripſi: ℞. ſuccorum rad. Lapatij, Cyclam. Serpentariæ an. ℥.j.ß. Limonum ℥.j. Litharg. auri ʒ.ij. Sulphuris, Thuris an. ʒ.j. Cryſtalli, Boracis, Vitreoli an. ʒ.ß. Fugitiui extincti in ſucco Limonum ℥ ß. Terebinth. diſ. in ol. Roſ. q. ſ. adde ol. Tartari ʒ.j. fiat inſtar nutriti.

Aqua hac interdum abluat: ℞. Sulphur. viui ℥ ij. Thuris, Myrrhæ ana ʒ.j.ß. ſucci Limonum, Aceti an ℥.j. Camph. ʒ.j. aquæ fl. Fabarum & Roſ. an. ℥.ij. coquantur, colentur.

Balneo hoc aliquando vti poteſt: ℞.rad.Atheæ, Bryoniæ, Liliorum an. ℔.j.Sulph. quart.j.Thuris, Tartari an.℥.j.coque in aqua Pluuia.

Sulphureis thermis Badenæ Heluetiorum, vt veris tempore vtatur, ſuaſi.

Herpes eſthiomenus ſerpens diuturnus & pertinax in manu.

IN manus ſiniſtræ externa ſede, ſub minimo & annulari digito, ad carpum vſq; ſpatio trium digitorum, herpetem eſthiomenum patiebatur puer quidam, qui ſerpens, ichorem peruerſum continuò reddebat, labijs in circuitu elevatis & calloſis. In quo curando, licet totum quadrienniũ, varia tentata fuiſſent, huc tamen adductus, menſe Maio Anno 1613. tandem apud nos Dei gratiâ, ſic curatus fuit.

Purgatus primùm fuit hoc apozemate: ℞. rad. Oxylapati ℥.j.ß. Glycyrizæ ℥.j. Polypodij querc. ℥.iij. herb. Fumariæ, ſumitat. Lupul. Scabioſ. ana M.j.Epithymi ʒ.iij.Tamarind.℥.j.ß. ſem. Carthami conq.℥.j.ſem.Aniſi ʒ.iij.fl.Cord.P.j.fiat decoctio in Aqua, addendo poc.j. Vini, in colatura adde ſyrupi Roſ.ſol. ſimpl.℥.ij. Rhab.infuſi in decocto & expr. ʒ.iij. Cinam.ʒ.ij. Sacchari ℥.iij. coletur denuò, fiat apozema pro quatuor vicibus.

Vt manum affectam indies in decocto ſequenti calido immerſam aliquamdiu retineret, iniũctum: ℞.rad.Bryoniæ rec. quart.j. rad. Iridis rec. ℥.iij. Altheæ ℥.ij. herbar. Maluæ M.ij. ſeminum Lini ℥.ß. Sulphuris ℥.j. Gypſi vſti ℥.j.ß. Lixiuij menſ. iiij vel quinque, coquantur.

Sub noctem cubitum iturus, herpetem madefaciebat, pennâ vel penicillo intincto in ſequenti liquore: ℞.Sublimati ʒ.j.ß. Litharg.ʒ.ij.Boracis ʒ.ß.

Camphoræ ℈.j. decoquantur parùm in Aqua rof. & Plantag. an. ℥.ij. ß. ad vſum.

Cûm diu hæc continuaſſet, cœpit ſubſidere & ſiccari herpes, adeò vt nihil ampliùs inde emanaret. Idque circa menſem Iulium & quia craſſa erat cutis illic & cicatricoſa, inunxit aliquoties ol. Tartari. Vnde cutis adeô ſcabra facta, vt Pomatâ eam rurſum emollire oportuerit.

Deinde ad attenuandam illam cutem & maculam aliquomodo delendam, quæ diu remanere tumoribus & vlceribus curatis, ſolent, ſequenti aqua vſus: ℞. Sublimati, Boracis an. ʒ.j. Alumin. ʒ. ß. coquantur in Aquæ roſ. ℥. iij. ad conſumptionem mediæ partis: Sicque fuit ſanatus.

Herpetes diuturni, in brachij interiore regione.

IN brachij vtriuſque flexura interiore ſeu cubitô cuidam molitori puſtula vtrinque exorta, pruriens, & tandem ſe aperiens, madoremque exſudans, ſerpebat, adeò vt palmæ amplitudine cutem illic exederet & depaſceretur. Rubebat locus ille, & madebat, circumferentia calloſa erat dura & tumida, atque vlteriùs ſerpendo ſemper progrediebatur.

Durauerat totum biennium, vt Anno 1613. Iunio menſe mihi hîc expoſuit, hic Herpes, qui & alias ſedes in brachijs pectore & cruribus inuaſerat, ab initio, ſed illo ſanato, remanentibus ſaltem cicatricum latis veſtigijs, hic ſemper in cubiti flexuris permanſit. Conquerebatur adhuc de crurum in femore & ſuris præter eum quem herpes adferebat dolore.

Cum an lue venerea infectus eſſet, dubitarem, illeque conſtanter negaret, ſe mulierem attigiſſe, nec alia illius ſigna deprehenderem, eſſetq; pletothoricus,

thoricus, curam talem institui, quâ domi suæ in pago, vsus fuit.

Præmissâ leui purgatione, per Venam apertam, sanguis detractus fuit.

Dein vsus est, spatio quatuordecim dierum, singulis matutinis, decocto purgante, non nimis violento, vt nihilominus à prandio prodire è conclaui posset, cœlo præsertim sereno, quod vnicè, vt concederem, petierat, nec si inclusus maneret, suspectum se, ac si curâ ligni ad sanationem luis venereæ vteretur, redderet. Parabatur hoc decoctum ex rad. Polypodij, Bryoniæ, Oxylapatij cort. Frangulæ, cort. Sambuci, Tamaricis & Ebuli, Sennâ, Fumariâ, Lupulis similibusque.

Absolutâ purgatione vtebatur, Vino Absynthite, cui traumaticæ herbæ, Pyrola, Alchimilla, similesq; infundebantur.

Interea dum hisce vtebatur, topica loco affecto sequentia fuerunt administrata. Inungebat manè & vesperi in cubito herpetes, hoc vnguento: ℞. Argenti viui ℥. ij. dissoluatur cum Terebinthinæ ℥. j. ß. agitentur diu, quousque nullæ micæ argenti viui appareant, adde Mellis ℥. j. ß. Vitellum vnius oui, pul. Sulphuris viui ℥. ij. Lithargyrij, Aluminis, Gersæ serpent. an. ʒ. j. misceantur & reducantur in formam vnguenti.

Abluebat vnguentum, quando pertinaciùs hærebat, & se accumulabat, Lixiuio, in quo Calx viua priùs extincta erat.

Cùm aliquamdiu hisce vsus esset, illius ad me reuersi herpetem minui quidem, sed lotionem cum Lixiuio calcis, ob dolorem inde natum, ægrè illum ferre posse obseruaui.

Iussi itaq; vnguento eum vti, quadriduo semel, sed magis Melle diluto, vt liquidius esset minusque hæreret, & sequenti die abluere leuiter Lacte, sicq;

ea die permittere, atque altero sequenti liquore cum penna intincta madefacere.

Liquor talis erat: ℞. Sublimati ʒ.j.ß. Lithargyrij ʒ.ij. Boracis ʒ.ß. Camphoræ ℈.j. coquantur in Aquæ communis ℥.j. leuiter tantùm ad vsum. Et sequenti die idem repetere; postea vnguento vti, & sic continuò pergere.

In quorum vsu ad autumnum vsq; eo perseuerante, perfectè sanus euasit, remanentibus tantùm in cute, vbi herpetes fuerant, colore fusco.

Anthrax in dorso.

OBortus est Anno 1610. tumor cuidam virgini nobili sexagenariæ, non admodùm eleuatus, inter vtramq; scapulam, ad sinistram spinæ sedem magis inclinans, rubicundus, in ambitu præsertim vrens & pungens, in quo pustulæ aliquot conspiciebantur, quæ disruptæ ab initio ichorem, mox purulentam materiam profundebant.

Consilio pharmacopæi cataplasma maturans apposuit, sed nihilo meliùs habuit; dolorque auctus. Tribus elapsis inde septimanis, cùm dolor summus, cum febre noctu superueniente eam exagitarent, me accersiuit, qui statim primo intuitu Anthracem eum esse iudicaui, quem nostri den Ruckenkrebs vocant, Cancrum scilicet dorsi, distinguentes sic eum à vero cancro, qui plerumque incurabilis, cùm hic curari, si rectè tractetur, possit. Et quia hic potiùs in posteriore corporis sede, verus verò cancer in anteriore enasci solet, idcirco vulgus eum qui videri potest, lethalem, alium verò talem non esse pronuntiant.

Iussi itaque vt omisso maturante cataplasmate emplastrum de Arnoglossa apponeret, quod cùm tam citò minimè parari posset, ipsaque nudum

dum anthracem relinquere, ob dolorem nequiret. Plantaginem contusam, cum farina Lentium, & Albumine oui subactam, applicauimus, vnde dolor nonnihil mitigatus fuit.

Postea Emplastrum de Arnoglossa fuit admotum, & in ambitu vnguentum defensiuum ex Bolo, Aceto, & Albumine oui paratum inunctum. Quæ omnia indies bis repetita fuerunt.

Existimabam lobum carnis nigræ emortuæ, vti in anthrace solet proditurum, verùm cùm foramina admodùm paterent, & pus copiosum effunderent, quod per dorsum defluebat, cauitasque inter cutem perforatam & subiectam carnem deprehenderetur, vnguentum suppurans commune chirurgorum, ex Terebinthina, Vitello oui & oleo Rosaceo paratum, cum turunda foraminibus fuit inditum. Postea emplastrum quod ex Plantag. Solano fol. Hyoscyami, farina Fabarum, Hordei & Lentium, inuicem contusis & coctis addito Melle, superpositum. Et in ambitu defensiuum ex Bolo.

Quibus diu continuatis, beneque sic mundatis eiusmodi vlceribus, quæ sub cute sinum fecerant amplum & profundum, caro sensim cœpit accrescere, eaque cauitas repleri, tandemque coalescere & cicatrice obduci.

Vlcus cacoëthes in tibia dextra iuxta malleolum.

NObilis adolescens quidam, aliquot annos in malleoli interioris sede, pedis dextri vlcus habuit cacoethes, in acuta hac sede, admodùm illli molestiam pariens: In ambitu locus rubebat atque liuebat: multis vsus erat remedijs, & licet quandoque exparte sanaretur, mox tamen ite-

rum recrudescebat malum, vti eiusmodi vlcera frequentia & curatu pertinacia, hoc tamen postmodum à me sic curatum fuit. An. 1608.

Venam brachij primùm aperuimus.

Postea sic purgatus fuit: ℞. radic. Cichoreæ, Lapatij ana ℥.j. herb. Endiuiæ, Fumariæ, seminum Lupul. ana M.j. flor. Cord. P.j. fol. Sennæ ℥.j.ß. Polypod. ℥.ij. seminum Carthami conquassati ℥.j. seminum Anisi ʒ.j. fiat decoctio in Aqua, addendo Vini albi poc. j. & in colatura pro tribus dosibus, infunde Rhabarb. ʒ. ij. Agarici ʒ. iij. fiat express. dissolu. syrupi Ros. sol. ℥.ij. misce pro tribus vicibus.

Maij 12. emplastrum leuius adhuc, primùm apponere iussi, Pompholygos, & in ambitu, cùm ruberet & doleret vnguento Albo camphorato inungere.

Ad validius emplastrum 16. Maij transij sequens: ℞. Lithargyrij, Cadmiæ, Cerusæ an. ʒ.j.ß. Æruginis ℈.j. Sublimati ʒ. ß. Argenti viui ʒ. iij. Thuris, Myrrhæ ob putredinem quæ inerat. ana ʒ.j. Terebinth. ℥.j.ß. radic. Aristol. rot. ʒ.j.ß. Mellis ℥. ß. ol. Rosacei ℥.j.ß. succi Plantag. ℥. ij. agitentur probè, fiat emplastrum; Applicet & gestet continuò, renouando tertio die.

Iunij 12. etsi labia vlceris ruberent, in medio tamen putris erat sanies & caro: Iussi itaque illic vnguentum Ægyptiacum adhibere, & supra illud vti & reliquum vlcus, emplastrum, & in ambitu vbi dolor & rubedo, vnguento Albo circumlinire.

Iunij 17. vt potentiùs siccaretur vlcus, sequenti vtebatur: ℞. Cerusæ, Aluminis, Vitreoli ana ℥.j.ß. Aceti alb. poc. j. coquantur donec in formam calcis siccæ redigantur. De qua calce dissolue portiunculam in Vino albo, & illinatur vlcus. Hoc valde illud siccabat.

Empla-

Emplastro priore nihilominus vtebatur, addendo Æruginis æris ʒ.ß. Terebinth. & Mellis q.s. vt mollefiat.

Iunij 22. Cùm cicatrix tantùm restaret inducenda, præscripsi puluerem quem inspergeret: ℞. Aristol. rot.ʒ.j. Aluminis vsti ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus, inspergatur, & ne decidat, emplastro albo cocto imposito, eum cohibebat.

Et sic sensim vsu emplastri vlcus sanatum fuit.

Vlceris cacoëthes in tibia altera cura.

EOdem ferè modo, sed iteratis purgationibus, sæpiùs, curaui alium, simili vlcere affectum, eodem emplastro. Vtebatur tamen etiam immersione pedum per aliquot dies in decocto radic. Lapatij cum fol. rad. Bryoniæ, fol. Maluæ, Scabiosæ, Saponariæ.

Vlcus cacoëthe in vtraq; tibia.

SEnex quidam à teneris frigora in pedib. passus, in senectute, vlcus in vtraq; tibiæ inferiore sede nactus est, illisq; iamdiu laborabat; quorum ambitus liuescebat & nigricabat.

Præscriptum fuit primò regimen conueniens in vsu sex rerum non naturalium, cùm me Thannam accersiuisset An. 1560. vt consilium darem.

Postea sic purgatus fuit: ℞. Cathol.ʒ vj. Diasennæ sol. sine scammon.ʒ.iiij. Sacchari q.s. fiat Bolus: Capiat per se vel dissolu. priùs aquis Fumariæ vel Borraginis.

Dein præparetur materia: ℞. rad. Enulæ camp. Lapatij. ac. & Acet. an.℥.j. rad. Ireos & Filicis masc. an.℥.ß. Fumariæ, semin. Lupuli, Buglosſ. vtriusque cum radicibus, Cichorij, Endiuiæ, Scabiosæ, herbæ

Capill.ven.an.M.j.fol.Chamædr.Chamæp.& Mercurialis an. M. ß. iiij.seminum Frigid.maior.contuſ. an.℥.ß.ſ. Aniſi, Fœniculi an. ʒ.j.ß. Paſſul. mundatarum par.x.Polypod. querc.rec.Rad. dulcis & folli. cul.Sennæ orient.an.quart.ß. florum Geniſt. Stœchad. & Cicerum nigr. ana P. ij. trium Flor. cordialium an. P.j.fiat decoctio ad ℔.ij.& in colatura diſſolue ſyrupi de Fumoterræ & Endiuiæ compoſ. an. ℥.iij. ſyrup. de Bugloſſ. & de Byſantijs ana ℥. ij. fiat Apozema mediæ decoction. clarific. & arom. cum pulueris elect. Diambr.& Diarrhod.abbat.an. ʒ.j.ß pro vj.doſibus, Sumendo manè.

Hoc præparante ſumpto per quinq; vices, ſextâ die ſumpſit hanc potionem : ℞. Catholic. Diaſennæ an.ʒ.iij. Conf hamech.ʒ.ij.Rhabarbari infuſ.in Vino albo cum pauco Cinamom. & expreſs. ʒ j.ß. ſyrupi Roſ.ſol.ſimpl.& de Fumar.compoſ. ana ʒ.vj. Diſſoluantur cum poſtrema doſi Apozematis. Atque vtatur cum cuſtodia.

Peracto hoc, electuarium ſumpſit corroborans.

Dein ad topica progreſſus, vſus eſt hoc remedio; ℞. ſucci Plantag. Solani,& Telephij, ſeu Craſſulæ maior.an.℥.iij.ol.Roſ.completi ℔.j. Coquantur ſimul in duplici vaſe, ad ſuccorum conſumptionem, in fine addendo lachrymæ Abietinæ lotæ cum aqua Solani ℥.ij.Ceruſæ lotæ cum aq. Roſ. Tuthiæ præpar. & Lithargyrij. auri an.℥.j.ß. Thuris, Maſtiches an. ℥.j. Plumbi vſti & diligentiſsimè loti, Minij an.ʒ.x. Sanguinis draconis & Lap. calaminaris combuſti & diligentiſsimè loti, an. ʒ. vj. Axungiæ porci recentis ſine ſale, & lotæ cum aq. Roſarum ℥.iiij. Ceræ albæ ℥.iij. Miſce fiat vnguentum longo tempore agitatum, in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo, & ex eo vnguento fiat Linimenta,& Emplaſtra, quæ aptè & commodè vlceribus applicentur, commutando manè & veſperi.

Quod

Quòd si ex vsu illius mordicationem aliquam persentisceret, & dolorem in vlceribus, Albumen oui vehementer cum vnguento agitatum, illi commisceri poterit.

Præterea: ℞. Lithargyrij auri ℥.iiij. Boli præparatæ & lotæ cum aq. Rosarum ℥.ij. Album. ouorum nu. ij. succi Solani & Plantag. depurati an. ℥. iij. ol. Ros. Omphacini & Aceti efficacissimi an. q. s. misce fiat Linimentum, longo tempore in mortario agitatū Quod applicetur in circuitu vlcerū.

Adhæc panni lintei & fasciæ infundantur in Oxycrato, & postea his expressis obuoluantur tibię.

Præter hæc remedia, ad excrementorum prouentum impediendum, & corpus mundum seruandum reddendumque, vsus est Clysteribus, semel in hebdomada.

Item bis vel ter in mense purgabatur Electuario purgante.

Et viscerum roborandorum causâ; vsus est puluere post Pastum, item Electuario hepati & lieni accommodato.

Bibitque cum vino frequentes aquas Fumariæ, Buglossi. Acetosæ, Cichorij, Enulæ campanæ. Sicque sanatus fuit.

Vlcus cacoethe aliud in tibia vtraq;.

IN vtroque crure vlcus cacoëthes habebat Consul noster, vsus thermis Plumbarijs sed non magno cum fructu, atque in dextri cruris vlcere, admodùm dilatato, caro putris, viridis, fœtida apparebat. In ambitu quoque alia vlcera eruperunt, flauescente ichore ex illis copiosè fluente.

Ad mundificationem adhibui primùm: ℞. Lithargyrij ℥.j.ß. Mellis, Aceti q. s. coquatur ad spissitudinem: Hoc emplastri instar extensum in panno applicabat.

Postea in aqua hac intinctum pannum scissum, vlceri imponebat, supraque hunc emplastrum: ℞. Vitreoli, Aluminis, Cerusæ an. æqua. partes, irrorentur Aceto albo, & coquantur, donec spumosus lapis in fundo concrescat, cuius portionem dissolue in Aqua.

Cùm iam mundum esset & ruberet, hoc emplastrum præscripsi: ℞. Lithargyrij, Cerusæ, Plumbi vsti an. ℥.j. Tuthię, Matris perlarum an. ʒ.ij. Mastich. Thuris an. ʒ.j.ß. Camphoræ ʒ.j. Colophon. ℥.ß. Seui ceruini ℥.j. Terebinth ʒ. ij. & ol. Rof. q. f. fiat emplastrum.

Vlcus cacoëthes in tibia varicosum.

MVlier grauida, partui vicina, in tibijs venas varicosas prætumidas habebat, paulò ante partum vlcus in dextra tibia supra malleolum interiorem erupit, cum ardore maximo & rubore in ambitu, quod serpebat, dilatabaturque sensim, & humorem acrem effundebat.

Vocatus An. 1597. mens. Augusto ab initio iussi mucilaginem sem. Cydon. extractam aq. Plantag. permiscere, cum vnguēto Pompholygos & applicare, & in ambitu vnguento de Cerusa camphorato inungere.

Dein postquam peperisset, etsi ardor in vlcerato loco nonnihil mitigaretur, tamen totum crus intumescebat, dolorque illic affligebat. Misi illi folia Nicotianæ maioris, quæ cruri vndique applicuit, vnde mirè alleuata fuit, continuauit per aliquot dies, donec tumor & dolor penitùs remiserunt.

Vlcus verò serpens molestiam præbebat. Itaque ordinaui: ℞. Cerusæ, Tuthiæ, Sarcocollæ an. ʒ.j.ß. Myrrhæ ʒ. j. fiat Puluis tenuissimus, cuius media

pars

pars addito vnguenti Popul. ℥.j. ſucci Plantag. ℥.ß. Lariceæ q.ſ. in Emplaſtrum reducatur, quod ſupra pannum extenſum, vlceri applicetur, indices bis renouando, priùs de puluere reliquo inſpergendo.

Purgabatur à pure cocto vlcus indies, nec ampliùs ſerpebat, & quia puluis nimiùm adhærebat, iuſsi ſolo emplaſtro aliquandiu vti.

Tandem cùm non integrè ſanaretur, præſcripſi hæc; ℞. Litharg. ℥.ß. Alum. vſti ʒ. ij. Vitreoli ℥. ß. fiat Puluis tenuiſſim. Miſce cum aqua Chalybeata, madefaciat eâ vlcus, ante emplaſtri applicationem bis in die. Verùm cùm ab initio ferre non poſſet. Iuſsi ampliùs aq. Roſ. diluere, & ſic vti. Vnde pulchrè conualuit.

Biennio ferè exacto, quo nihil ampliùs ſenſit, menſe Iunio denuò tibia illi dextra affligi cœpit, primumque Eryſipelate accendi & effloreſcere, denuoque exulcerari, ardoremque & dolorem ſentire. Vlcus autem admodùm erat humidum & ſordidum, quod remedia quę proprio conſilio primùm applicabat, non ferebat. Cui malo & aliud acceſsit, dolor membrorum & dorſi inprimis. Pręterea tibia ſiniſtra maculis rubris, amplis, tota, vbi pori erant, conſperſa fuit, cum ardore aliquo & tumore, non tamen adeò vehementibus, vt in vlceratâ tibiâ.

Purgaui illam, ſed leuiter: Inde vena aperta fuit brachij, denuoque purgata, parùm deiecit.

Dorſum ol. Chamom. & Amygd. dulc. inunxit, quod valdè profuit.

Emplaſtrum hoc vlceri applicatum mirè iuuit, quo etiam ante biennium ſanata fuit: ℞. Litharg. Ceruſ. an. ʒ.j. gummi Tragach. ℥. ß. Camphor. ℈.j. Pomadæ ℥.j. miſce: Applic. & continuò geſtet, repetaturque.

Vlcus

Vlcus aliud in pede varicosum.

IN pede sinistro circa malleoli regionem, quæ tumebat, vlcus erat, quod iam diu perseuerarat, nec remedijs sæpe varijsque adhibitis cedebat, à quo sursum versus venæ amplæ, nigræ & varicosæ apparebant.

Cùm huc curæ meę causâ venisset, Anno 1602. atque crus inspexissem, consilium tale dedi.

Vt corpore priùs purgato, quod sæpe factum, crus varicosum, in sequenti decocto, ad medium suræ vsq; immergeret, & superiorem quoque mediam sedem, vndiquaque vbi varices apparerent, eodem calidè perfunderet. Quod sic parabatur: ℞. Gypsi vsti, scutellas ij, Boli rubræ med. partem, Vitreoli quartá partem, Aluminis tátundem, pulueri sentur, addendo fol. Agrimoniæ, Cauliũ, Hederæ an. M. j. Prunorum sylu. siccat. P. j. decoquantur in aqua Fabrorum extinctionis ferri, addendo Lixiuij mẽsuram ß. Aceti quartarium j. pro balneo pedis sinistri seu fotu: Singulis diebus quinq; continuis, eo per horam vtendo, & postea renouando.

Post vsum balnei, vbi crus siccatum fuerit, madefaciat sedem vlceratam, Aquâ viridi in Praxi mea Trac. 11. fol. 357. in Oris vlceribus descriptâ, quæ ℞. Aeruginis æris ℥. j. Auripigmenti ℥. j. ß. terantur, &c.

Et postea applicet emplastrum, descriptum in Praxeos meæ Tract. 11. fol. 946. in crurum vlceribus peruersis commendatum, quod: ℞. Lithargyr. Cadmiæ fossil. Cerusæ an. ℥ ij. &c.

Vt inuolueret indies fasciâ longâ pedem, docui, ab imo illius sursum ad genu vsque ascendendo & stringendo, minùs tamen illic, vbi exulceratio existit, idque præsertim interdiu, inter ambulandum, post fotus vel balnei vsum.

Quòd si hac cura vlcus non sanaretur, postremum esse remedium dixi, vt vna ex varicosis venis, quæ manifestior, atque ad vlcus duceretur, exsecaretur, eâ arte, quam in praxi mea in Varicum cura Lib. 11. docui, atque Chirurgo, quomodo hoc fieri deberet, & fascia quo pacto inducenda, demonstraui.

Aliud in tibia vlcus cacoethes varicosum.

IN tibiæ inferiore sede vlcus serpēs antiquum habebat vir quidam, è quo ichor exsudabat, in ambitu rubor, atque interdum erysipelas, pruritus & molestia, supra illud vena varicosa tumebat Cui cū applicarem sequens emplastrum valde profuit: ℞. succorum Solani, Plantag. Aceti rosf. an. ℥. vj. ol. Rosac. ℥. j. ß. Laricææ ʒ. ij. Lithargyrij, Plumbi vsti an. ℥. j. ß. Tuthiæ, Cerusæ an. ℥. j. Camphoræ ℈. ij. Fugitiui ℥. j. fiat instar nutriti spissi: Verùm permanente varice, quam exscindere, licet suaderem, nollet, sæpe vlcus etsi sanatum esset, redijt.

Vlcus in pede iuxta malleolum, exsudans acrem humorem, admodùm vrens.

TÀle vlcus affligebat quandam fœminam, & licet quandoque sanaretur, certis temporibus remeabat, erat enim hoc illi hæreditarium. Contactum emplastrorū, vti & omnem aliū ægrè ferebat.

Hoc remedium præ cæteris laudabat, quod ei profuit; ℞. Lithargyrij ℥. ij. Cerussæ ℥. iij. puluerisata lauētur aquâ Rosaceâ & sicētur, adde Tuthiæ præp. Pōphol. albi an. ℥. j. ß. Plūbi vsti & loti ℥. ij. fiat pul. tenuissim⁹, excipiatur infusione gūmi Tragac.

factâ in aqua Rosarum, adde Sæui caprini ℥.ij.vel paulò plus, vt fiat instar Emplastri, addendo Camphoræ ℈.j.

Vlcerosum crus & œdematosum.

Vide in Extuberantia Lib. III. Vide Crus œdematosum & vlcerosum.

Vlcera circa sinistrum humerum, & scapulam, maligna phagœdenica & fistulosa.

Conquestus fuit Nobilis quidam Anno 1613. huc consilio meo vsurus profectus, se ante biennium gladio in capite fuisse percussum, tam grauiter, vt caluariâ læsâ, trepano partem illius auferre oportuerit. Paulò post sanatâ hac plagâ, vlcera prodijsse, circa humerum sinistrum peruersa, quibus etsi varia adhibuisset chirurgus remedia, non tamen curata, sed deteriora facta fuisse, atque caua & fistulosa, adeò profundè, vt iniectiones in hæc factæ, per syringam, vniuersum humerum penetrarint, & lumine admoto locus ille pellucidus apparuerit.

A defluxione à capite, vti pleraque eiusmodi vitia prouenire, vulgaris est opinio, etiam hæc vlcera exorta fuisse, existimans Chirurgus, post purgationes, curam vti per decoctum Guaiaci, & cibi parsimoniam administrari solet, secunda vice instituit: cauterium brachio dextro apposuit. Inter cætera topica, cauterio actuali sub scapula vlcus inussit, cutemque hinc inde, vbi cauitas sub ea deprehendebatur, nouaculâ secans aperuit. Verùm cùm in peius omnia abirent, tandem consilij causâ ad me venit.

Exposui illi primùm, nō à defluxione, sed congestione eiusmodi vlcera originem traxisse, cùm, si de-

si defluxio esset, arthritidé potiùs, aliáve eiusmodi, quæ à defluxione prodeunt incommoda, peperisset. Hunc verò humorem non pituitosum, aut serosum, quales fluere à capite solent, sed vitiosum prauum & malignum esse, qui adeò cutem & carnem exedat, & phagædenica hæc vlcera procreet. Gigniq; eum ob succi hasce sedes nutrientis corruptioné, aut aliud illius vitium, sicuti & circa coxendicem, in illius dolore, tetra & maligna eiusmodi vlcera, quæ eum frequenter comitari in coxendico dolore ostendimus, prodeunt. Quę cùm illius loci ligamenta, tendines, simul corrumpunt, vt claudi postea euadant, efficiunt.

Prædixi, cùm & hæc vlcera motũ brachij in humero sinistro iá ita læserint, vt ille difficulter admodũ subsequatur, verisimileq; sit, magnâ subtus cauitate latente, articulum hunc, ambientia ligamenta, membranas tendinesq; læsa, & musculus humeri articulo incũbens, delthoides absumptus, motum hunc brachij depertitum iri, nec reparari posse. Verùm quod vlcerum horum curationé attinet, eam hoc pacto esse instituendá, scripto ostẽdi.

Primùm vt singulis mensib. bis de massa sequenti pilularũ sumat, ad superfluitatum, quę circa articulorum regionem congeritur, ob illius loci imbecillitatem, expurgationem: ℞. Hermodactyl. verorũ ℥. ß. Myrobalan. citrin. ʒ. ij. Aloës ʒ. j. ß. Turbith, Agarici, Rhabarb. an. ʒ. j. Diagrydij ʒ. ij. Mastiches ℈. ij. Euphorbij ʒ. j. cum Terebinth. fiat massa pilularum. Capiat ad ℈. ij. vel ʒ. j.

Bibat interea potionem traumaticam sequenté: ℞. herb. Pyrolæ ʒ. vj. Alchimillæ, Consolidæ Saracenicæ ana ℥. ß. herb. Betonicæ, Herniariæ, Agrimoniæ an. ʒ. ij. rad. Consol. mai. & Bistortæ an. ʒ. j. fiat puluis subtilis. De quo ℥. ß. pro vice sumat, & in Vini ℔. quatuor ad consumptionem sextæ

partis decoquat. Ce hoc Vino manè ieiurrus & vesperi horis duabus ante cænam ad ℥.vj. bibat, continuetque donec mensura ebibita fuerit, tuncque aliam simili modo paratam, eaque finitâ, tertiam & quartam quoque ad septimanas quatuor vsque, perseuerando, bibat.

Singulis diebus interim vlcera bis fomentet, cum spongia, in sequenti fotu prius madefacta. Qui paratur ex Gypsi vsti, Boli & Sulphuris, decoctis in Lixiuij Mensuris ij, parati ex cineribus Ossium equorum & Vitis sarmentorum, transfundendo per eos, Aquæ, & Vini, & Vrinæ pueri ana æquas partes, atq; addendo Calcis viuę nucis instar.

Post fotum singulis vlceribus vnguentum sequens petijs illitum, applicet: ℞. Cranei hominis vsti, subtilissimè pulueri. ℥.ij. farinæ Secalis quart. j. Vitri Veneti subtil. pulu. ℥.j. Mellis q.s. addendo vnguenti Agrippæ ℥.j. fiat vnguentum.

Ne decidant hæ petiæ, obducantur omnia Emplastro Diachylonis gummati, quod adglutinatum, ea retineat.

Postquam hoc vnguento aliquamdiu vsus fuerit, nec magnam mutationem senserit, sequenti vtatur, prægressâ semper fomentatione, atque emplastro, quod singulis vlceribus applicata retineat: ℞. Lithargyrij, Cerussæ, Cadmiæ foss. an. ʒ.j. ß. Minij, Cinnabaris, Plumbi vsti an. ʒ. ij. Thuris, Myrrhæ an. ʒ.j. Argenti viui cum Terebinthina dissoluti agitatione ʒ.iij. Sublimati ʒ. ß. Aeruginis æris ℈.j. rad. Aristolochiæ rot. ʒ. j. Mellis ℥.j. ol. Ros. ℥.j. ß. succi Plantaginis ℥. ij. agitentur additâ Terebinthinâ, donec in formam emplastri redigantur.

Si fortè non integrè hisce sanaretur, sequenti Vere vt thermas Sulphureas Badenses Helueticas adiret, illisque vteretur, docui.

Vlcus maxillæ inferioris sinuosum.

PVella Porrentrutensis mercatoris filia, vlcus sinuosum patiebatur in maxilla inferiore, è regione dentium molarium, extrinsecùs apparens & purulentam materiam exsudans, intrinsecùs in dentem cauum se aperiens, pusque illic quoque reddens. Diu frustra varia adhibita fuerunt; vocatus, An. 1563. impedimentum quò minus sanari posset, dentem vitiatum, maxillę illic inhærentem, esse dixi, cùm ossa læsa non sinant carnem aut cutem, illis instratam, coalescere.

Itaque dentem vitiatum extrahendum curaui, vti & vicinum, qui quoque iam putredinem conceperat. Quo facto, solo Ægyptiaco vnguento, extrinsecùs vlceri cum turunda intruso, vlcus repurgatum, & postea sanatum est, relictâ tamen cicatrice profundiusculâ nonnihil, & veluti figurâ cochleæ.

Aliud.

COnsimili ratione Baronis cuiusdam filia, eodem omnino affectu laborans meo consilio fuit sanata An. 1565. In qua tamen, quia vlcus fistulosum & callosum erat, abstergentia vehementia, vt Sublimatum cum Melle permixtum, ad labia extergenda, vsurpata fuerunt.

Vlcera fistulosa, in pectoris dextra sede iuxta papillam.

Iureconsultus quidam, ex Italia domum reuersus, indeque postea Spiram profectus mense Martio An. 1603. animaduertit extuberantiam quandam, supra mamillam dextram, indolentem, quæ sine incommodo sic septem mensium spatio per-

mansit, nisi quòd post quintum mensem exactum, sensim rubere cœpit, & tandem 1. Nouembris, cuticula illic fusca apparere, quâ digito abrasâ, foramen exiguum se patefecit, è quo materia, Mellis liquidi instar, effluxit.

Chirurgus Spiræ præcipitato indito, illud testonis amplitudine dilatauit, & quia paulò infra iuxta papillam tuberculũ prominebat, illud quoque escharotico admoto aperuit. Suspicans autem illum Lue venereâ infectum, cùm & ardore inter mingendum cruciaretur, & purulenta mingeret, vt decoctum ligni Guaiacini biberet ad tempus suasit, quo cum per dies 17. vsus esset, nec vtilitatem aliquam experiretur, ab illius vsu cessauit. Et solùm vnguentum mundificatiuum ex succo Apij & Melle paratum, cum turunda vlceri indidit, atque extrinsecùs Emplastrum Diachalcyteos superposuit.

Postmodum Anno 1604. mens. Februario cùm domum reuerteretur, denuò decoctum Gaiaci, præmissâ venæ sectione, & purgatione, bibere, atque inde sudare cœpit. Chirurgus interea illic vbi foramen primum erat, quod totum albebat, scalpello scindens ampliùs dilatauit, indeque pus album parùm subluteum, spissum lardi instar, exemit, turundamque intrusit, quæ ad foramen vsque secundum, quod escharotico apertum fuit, penetrauit. Et quia paulò subtus, alius quoque tumor se offerebat, illum quoque ferro aperuit, & purulentam lardo similem materiam exemit, quâ exemptâ, in profundo instar nerui putridi, fibræ ligamentosæ conspiciebantur, costis adeò adhærentes, vt extrahi commodè non possent. Et licet chirurgus nouacula, nouam sectionem induceret, ad sternum vsque penetrantem, tamen adimere nequiuit.

Cum

Cum itaque ad me se conferret, viderem q; quatuor hæc foramina, è quibus duo correspondebant, turundamque medij digiti longitudinis admittebant, consilio inito cum fratre meo Thoma Medico, qui postea ad illum profectus, curam administrauit, suasimus, vt cum vsum decocti Gaiaci, nondum absoluisset, eum ad finem præscriptum mensis continuaret.

Quo absoluto Traumatica hac potione vteretur, quæ ℞. fol. Agrimoniæ, Tanaceti, Caulium rub. Pyrolæ, Solidagin. Sarracen. Filipendulæ, Pimpinellæ, Ceterach an. M. j. rad. Consolidæ ℥. ij. Liquiritiæ ℥. j. ß. Cicerum rub. P. j. Incidantur & contundantur, diuidantur in tres portiones æquales, decoquatur vna, in decocto Gaiaci secundario, vt remaneant quatuor haustus; Quos bibat alternis diebus, cubitum iturus: Repetat, vbi absolutum, aliud decoctum, & eo finito, tertium.

Interea dum hisce vteretur, topica etiam illi simul administrabantur, & cùm vlcera profunda essent, vnguentum mundificatiuum, cum turunda in eo intincta, & intrusa imponebatur, quod vnguentum sic parabatur: ℞. Aloës, Thuris, Sarcocollæ, Sanguinis draconis ana ʒ. j. Antimonij crudi. Plumbi vsti & loti, Tuthiæ, lap. Hæmat. an. ʒ. ij. Balaust. Aristoloch. rot. an. ʒ. j. ß. Aluminis ʒ. ij. Puluerizentur & excipiantur Melle & Terebinthinâ, redigantur in formam Linimenti mollioris.

Ab initio misceat portioni huius vnguenti parùm vnguenti Ægyptiaci, quousque ferre poterit, & cum munda erunt vlcera, eo solo vtatur.

Iniectiones cum syringa, similiter in vlcera illa profunda fiebant, ex sequenti decocto: ℞. herbarum Plantag. Absynthij, Agrimoniæ, Rutæ an. M. j. herbarum, Apij M. ij. sum. Centaurij P. j. Gal-

larum ℥.j. ligni Gaiaci rasi ℥.j. ß. incisa & contusa, diuidantur in quatuor partes, atque vna decoquatur in Lixiuij Mensura ß. & Aceti poc. j. & si nimis acre esset, loco aceti Vinum sumatur, fiat iniectio quâ absumptâ, noua decoquatur ex reliquis portionibus.

Hæc fuerunt præcipua quorum continuo & longo vsu, tandem optimè sanatus fuit.

Vlcus fistulosum in dorso, à scapula ad lumbos vsque pertingens.

IN comite quodam legato Imperatoris in Burgundiam, cùm Vesuntij aliquamdiu hæreret, discordiæ illic subortæ componendæ gratiâ, tumor quidam in dorso subortus, tandem in abscessum eoque rupto in vlcus abijt, è quo cùm diu pus effluxisset & chirurgi operâ tandem sanatum esset, bis teruè denuò redijt, nec dum postea illud à chirurgo curari potuit.

Venit ad me Basileam. Anno 1566. vt consilio meo vteretur. Cùm illud vlcus peruestigarem stylo immisso, cauum & fistulosum, cuniculos ad lumbos vsque descendentes & profundos agens deprehendi, ad cuius sanationem sequentia præscripsi.

Primùm vt purgato aliquoties corpore, potionem hanc vulnerariam biberet, quæ ℞. rad. Consolidæ mai, ʒ.ij. rad. Bistortæ, Aristolochiæ rot. Dictamni albi an. ℥.j. ß. herb. Pyrolæ ʒ.iij. Consolidæ Sarracenicæ ℥.ij. fol. Alchimillæ, Agrimoniæ, Equiseti, Betonicæ, florum Hyperici, Rosarum rubrarum an. ʒ.j. sem. Hyperici, Perfoliatæ an. ʒ.ij. lap. Ostriocolli, Oculorum cancri an. ʒ.ij. fiat puluis.

Huius pulueris sumatur tertia pars, & coquatur

in

in quatuor mensuris Vini albi, & mensura vna aquæ Plantaginis, coletur & seruetur ad vsum addendo Sacchari quart.j. aquæ Cinamomi ℥.j.

Bibat de hoc Vino manè ieiunus, cyathum vnũ & sub vesperam horis duabus ante cœnam tantundem. Atque post haustum sumat bolum conseruæ Rosarum rubrarum, nonnunquam verò syrupi Violacei cochleare vnum.

Absoluto vno decocto, ex alia tertia puluerum quantitate, aliud decoquat, atque vti primum misceat atque bibat. Quo etiam absumpto, tertium paret, sicque illius vsum ad septimanas tres continuet.

Interea dum hoc decocto vtitur topica sequẽti modo in forma iniectionis, & fumi adhibeat.

Iniectionem sequentem per syringam in vlcus indies infundat, quæ sic parantur: ℞. succi Apij officinarum seu Paludapij, succi Plantaginis & Agrimoniæ an. ℥. iij. succi Tabaci seu Nicotianæ maioris ℥.j.ß. Mellis rosacei ℥.ij. Vini rubri ℥.j. dissolue Chalchanti albi, Aluminis, Tartari an. ʒ.ij. vel plus dum sordidum adhuc est vlcus, Aeruginis æris, Auripigmenti an. ʒ.ß. fiat iniectio.

Cùm eâ vteretur, quia rursum per superiora, vbi vlcus erat refluere integra non poterat, & circa lumborum regionem portio illius hæreret, cœpit tumor illic quoque apparere, qui mollis erat, materiamque in se fluidam & quæ pressioni cedebat continebat, voluissem vt chirurgus illic sectione factâ, eum aperiuisset. Verùm cùm permittere nollet, cauterium meum potentiale indolens, vti soleo, priùs adglutinato emplastro supra tumorem, in medio foramine peruio imposui, rursumque alio emplastro ne decideret superposito retinui, quod spatio quatuor horarum, nudam

ſub foramine ſedem ita inuſsit, vel potius emor-tuam reddidit, vt eâ à parte ſana abſcedente, mox antequam eſchara decederet, tam purulentus ichor, quàm iniectionis portio diu retenta, ſenſim effluerent, eoque ampliùs cùm eſchara ſecedente, foramen integrum pateret, quod turundâ immiſsâ poſtea indies apertum ſeruabatur. Admodùm huius cauterij effectum Comes laudabat, impoſsibile exiſtimans, ſine dolore cutem veram eouſque perforari poſſe, nam tunc præparatio horum cauteriorum, non adeò conſueta erat, ſicuti nunc ex Lixiuio Calcis viuæ, & Vini fœcis vſtæ, ſæpè cum Aqua tranſcolando, & poſtea lixiuium in formam lapidis coquendo, parari ſolet.

Cùm itaque & ſupra infraque pateret vlcus, Poſtquam indies iniectionibus vteretur, nunc fortioribus nunc mitioribus, prout vlcus plus minúsve ſordidum erat, alternis inſuper diebus, vt vlcus ſiccaretur fumus per canalem alembici, in humilius vlcus fuit intromiſſus, tā diu, donec per ſuperius vlceris foramen prodiret, ſicque interiores cauitates omnes peruaſiſſet. Qui fumus ex puluere ſequenti accenſo ſic parabatur: ℞. Maſtiches, Thuris ana ℥. ß. Myrrhæ ʒ. ij. Benzoini Storacis, an. ʒ. iij. Sarcocollæ, Picis, reſinæ Pini, Gummi eleni an. ʒ. j. fiat puluis carbonibus inſpergendus pro fumo.

Poſtquam curam hanc per iniectionem & ſuffumigationem aliquot ſeptimanas continuaſſet, integrè ſanatus fuit.

Vlcus

Vlcus fistulosum in coxa & crure, ad intestinum rectum vsque peruadens.

PVer quidam annorum quindecim, dolorē circa coxendicis regionem intolerabilem sentiebat, tandem dolore ad genu articulum vsq; descendente: vnde tumor natus, circa coxam dextram, in elatioribus nates constituentib. musculis, qui multis fomentis & cataplasmatis, quibus Chirurgi vtebantur, successu temporis emollitus, in abscessum conuersus est, profunde admodùm latentem, è quo sectione factâ, maxima puris effluxit copia, permansitq; vlcus sinuosum à coxendice, ad genu vsque continuò pus copiosum effundens, neque interim cruciatus cessabat, nec crus flectere potuit, ita vt rectus incedere cogeretur; durantibus hęc per anni spatium, quo totus ferè dolorib. exhaustus contabuit. Tandem quod mirum, vlcere ad interiora quoq; corporis penetrāte, atq; intestinum rectum perforante, pus per podicem copiosè quoq;, huic quod è fistula fluebat omnino persimile, excreuit.

Vocatus ante triginta annos causamq; scrutatus, quam pleriq; à defluxione pendere iudicabāt, egoq; negarem, atq; procatarcticam aliquam fuisse suspicarer, ita se habere tandem comperimus, ex eo, quòd principium huius doloris ex saltu violento, suam originem habuisse, puer fateretur.

Iussi itaq; primùm tam abstersionis quam vlceris, & corporis cōsumptionis causâ, Lac caprinum singulis matutinis bibere, ea ratione sicuti phtisicis hoc vsurpari solet, bonâ scilicet quantitate; diuq; & sæpè Hordeato vti.

Dein vt hepati & ventriculo prospiceretur, pręscripsi hoc electuarium: ℞. conseru. flor. Cichoreæ,

& Rosar.an.℥.j.cort.Citri saccharo conditi rob. de Ribes an.℥.ß. conseru. Maioranæ ʒ.ij.cum Syrupo conseru. cort. citri fiat electuarium; Vtatur bis in septimana idq; manè.

Iusseram vt in balneo emolliente totũ crus immergeret, verùm cum in eo nec stare, nec sedere potuerit, ab eo desistere oportuit.

Clysterem sequentem ordinaui, abstersiuum & consolidatiuum vlceris, in recto intestino: ℞. rad. Consoli.rad. Altheæ an.℥ j.rad. Glycyr. ℥ ij.Cicer. rubro,Furfur.an.P.j.fiat deco.in Sero lactis caprini, in quo dissolue Mellis viola. Sacchari rub. ana ℥.j. Vitell.ou.num.j. Terebinth. aut Lariceæ dissolut. cum Melle ʒ.j. fiat clyster. Vtatur per totum mensem, alternis diebus, duabus horis post cibum.

Quia dolor erat intensus circa genu, cataplasmate anodyno hoc vsus est: ℞. micæ Panis ℔.j. farinæ seminis Lini & Fœnogræc. an. ℥.j.ß. coquantur in Lacte, addidi fol. Hyoscyami M.j. Vitell.ou. iij.Cassiæ rec.extr.℥.j.olei Cham. & Lumbricorum an. ℥.j. fiat Cataplasma, quod in panno extensum, calidè supra locum affectum ponatur; cuius vsu dolor admodùm fuit mitigatus.

Iniectionem in vlcus sinuosum, quod totá cruris longitudinem perforabat, dein iussi fieri: ℞. resinæ Lariceæ claræ quart. ß. Mellis ℥.iij. aquæ Plantag.℥.vj. Sacchari rub. ℥.iij.Lixiuij mens.j. dissolue omnia; Fiat iniectio cum syringa bis in die.

Et vt vlcus egregiè vndiq; siccaretur, fumum sequentem ex trochiscis, carbonibus ardentibus iniectis suscitatum, infundibuliq; latiore parte exceptum, & per canalem, alembici canali adaptatum, vlceriq; inditum, in vlcus indies, repetitis vicibus, intromittere iussi, qui adeò vniuersum sinum implebat, omnesq; illius latebras & ductus peruadebat, vt etiam ad intestinum rectum perferretur,

quod

quod ex fuligine, quam per podicem vnà cum pure reddebat, satis potui deprehendere.

Trochisci autem qui accendebantur: ℞. Picis naualis ℥.ij. Thuris, Mastich.an.ʒ.j.ß.Benzoini ℥.j. fiat puluis: excipiatur Terebinthinâ, fiant ad pondus ℥.ß.

Cùm his aliquandiu esset vsus, pus circa genu articulum, exitum querens, illic tumorem excitarat, quem, cùm sectionem ferre nollet, cauterio meo potentiali adhibito, aperui, fluxitque per hanc quoque viam, immensa indies puris copia. Per os quoque vlcus sanantia, & ne ex dolore, qui perpetuus erat, vires omnino prosternerentur, dolorem mitigantia, in hoc puluere exhibui, qui ℞. rad. Consolidæ ℥.ij. Glycyr. ℥.j. Sacchar. candi ℥.j. trochisc. de Succino & de Alkekengi cum opio an. ℥.ß. Sacchari penidi. ℥.j. fiat puluis: Capiat manè ʒ.j. cum Lacte caprino, quo adhuc vtebatur, vel sub noctem, vt suauiùs dormiat.

Diu hæc cura protracta fuit, antequam penitùs sanaretur, audio post aliquot annos, rursum recrudùisse malum.

Aliud vlcus fistulosum, dorsi longitudinem permeans.

NObilis quidã paruæ staturæ, post varios morbos, vlcus sinuosum in ceruicis regione se aperiens, & secundum dorsi longitudinem ad coccygem vsque desinens, & supra infraque pus continuò profundens, habuit, ex quo tandẽ contabuit, extinctusq; est, ante annos circiter quinquaginta.

Fistula in vtroque inguine, subsequente Carcinomate.

VIde hoc Lib. III. paulò inferius. Gangræna in membro virili, &c.

Fiſtula in perinæo, è quo vrina effluebat.

VIde in Mictione Lib. III. Vrinæ per vlcus fiſtuloſum in perinæo,&c.

Fiſtula in inguine, per quod vrina reddebatur.

VIde in Mictione Lib. III. Vrinæ ex inguinum regione, &c.

Fiſtula in ventre è qua ſtercus progrediebatur.

VIde in Sordida excretione Lib. III. Bis Stercoris ex abdomine,&c.

Iterum. Ibid. Excrementorum alui cum fœcibus,&c.

Sinus ſeu foramen apertum relictum ex vulnere in thorace diuturnum.

MIlhuſij ciuis quidam opificio arcularius ab alta arbore delapſus,in palum acutum incidit, qui in lumborum regione muſculis perforatis,ſurſum in pectoris cauitatem vſque penetrauit, & per dorſum rurſum erupit. Extracto palo, nihil aliud poſt curationem mali paſſus eſt, niſi quod foramen fiſtulorum in dorſi regione thoracis cauitatem penetrans, apertum remanſit, per quod flatu erumpente, thorace conſtricto lumen admotum agitabatur,& nonnũquam extinguebatur. Sed & quod mirum fuit, petia induſij lanij rubri,per idem foramen ſinuoſum, multo poſt tempore erupit; quod cùm

cùm à magicis artibus proficisci multi crederent, tandem illius indusij, quo, cùm lapsum passus esset, indutus erat, portionem fuisse vnà cũ palo intrusam, & eousque adactam, indusium scissum asseruatum, fidem fecit. Et sic diu postea superuiuens, sinu hoc thoracem patefactum, sine alia aliqua noxa vti ipse vidi sæpius, habuit.

Vulnus in capite, Caluariam diuidens è quo curato pingue quid exsudabat.

VIde in Sordida excretione Lib. III. Sordes vnctuosæ è cicatrice, &c.

Vulnus in lumborum regione è quo vrina effluebat.

VIde in Mictione. Lib. III. Vrinæ è lumborum regione, &c.

Vlcus in clunibus è quo pus à vesica emanabat.

VIde in Purulenta mictione. Lib. III. Puris cum vrina excretio, postea &c.

Vlcuscula inter testes & anum, per quæ vrina exstillabat.

VIde in Mictione Lib. III. Vrinæ effluxus per vlcuscula &c. It. Bis.

Vlcus in pene externum cum interno.

VIde in Purulenta excretione. Lib. III. Puris è pene effluxus &c.

Vlcera in Lue venerea.

Vide in Defœdatione Lib. III. Ter. Vlcera cariosa horrenda &c.

Iter. Alia vlcera cacoethe.

Iter. Alia eiusmodi vlcera

Gangræna in membro virili illud corrumpens, Fistulæ in inguine & Carcinoma

Pagi cuiusdam sacerdos, in præputio & glande virgæ suæ, vlcus habebat, cancrum vocatum, quod non benè à chirurgis tractatum, in gangrænam versum totam virgam ita infecit & corrupit, vt illam radicitùs amputare necessum fuerit.

Sanato vulnere, in vtroque inguine, noua suborta est inflammatio, quæ in abscessum conuersa indeque in vlcus fistulas ex vtraque parte fecit, intrinsecùs callosas insensiles, è quibus fœtor grauis exhalabat.

Cùm ad me miser veniret, eumque sic mutilatum, atque geminâ fistulâ in inguine afflictum, cernerem, misertus illius, iniectionem sequentem in fistulas ordinaui: ℞. aquæ Viridis, ex Arsenico & Ærugine æris paratæ, in oris vlceribus in Praxi mea descriptam ℥. ij. Aluminis ℥. ß. Lixiuij ℔.ij.ß. vnguenti Ægyptiaci tantùm quantùm ferre posset, per syringam iniiciatur portio huius liquoris.

Bibit insuper potionem vulneratoriam, domi suæ, eiusmodi. In Vino coquebat puluerem Pyrolæ, Agrimoniæ, Alchimillæ, Betonicæ, radicum Consolidæ, Aristol. rot. Bistortæ; Et de hoc Vino haustum singulis matutinis bibebat. Vnde factum, vt huius & continuatæ iniectionis vsu fistulæ sanarentur.

Verùm non longo tempore poſt nouum ſuperuenit accidens; Tumor oui gallinacei magnitudine, in dextro inguine ſenſim excreuit, qui poſtea apertus ſpõte, labijs calloſis & inuerſis circumſcriptus erat. Quem cùm ad me reuerſo illo, & apud chirurgum diuertente inſpicerem, Cancrum exulceratum ſeu Carcinoma eſſe, dixi, & licet de cura deſperaremus, tamen ſequentibus diu fuit ſuſtentatus.

Labia calloſa vt auferrentur, ijs Arſenici cũ rad. Ari puluis fuit inſperſus, vnde magna illorũ portio abſumpta fuit, ſed mox caro alia dura repullulabat. Cui ne augeretur ſed minueretur, puluerem ſequentem continuò aſpergebat, ex Gypſo vſto, Bolo, Lithargyrio, Pompholyge & Tuthia paratũ.

Quibus dum vtitur, in ſiniſtro inguine, alius cancer prodit, moxque exulceratus, ijſdem remedijs adhibitis, ne in immenſum excreſceret, & ſanguinem vti ſolet aliàs, nimiùm profunderet, fuit cohibitus. Donec tandem in pago ſuo miſerrimè afflictus & conſumptus interijt.

Gangræna in enterocele poſt inflammationem.

VIde in Partium procidentia. Lib. III. Enterocele & epiplocele &c.

Gangræna alia in pene, quo amputato Vlcus relictum fuit.

AD me iuuenis quidam ruſticus annos circiter quatuordecim natus adductus fuit, An. 1603. gangrænato membro genitali mutilatus adeò vt extra corpus ne minimùm quidem de penis cor-

pore apppareret, relicto tantùm illic vlcere, incurabili, quod ab vrina, quæ illic effluebat, nec à corpore diuerti poterat, cùm amissus esset ipsius canalis, continuò irritabatur.

Huic sequentia adhiberi iussi: ℞. Lapatij acuti, rad. incisarum in talleolos ℔.j. Irroretur Aceto forti, addendo Aluminis ℥.ij. & postea eliciatur aqua. In qua madefiat Pannus linteus discerptus, qui vlceri imponatur.

Dein vt applicaret sequens emplastrum: ℞. Lithargyrij ℥.j. Cerusæ, Cadmiæ foss. Minij ana ℥.ß. Myrrhæ, Aloës, Thuris an. ʒ.ij. Sarcocoll. ʒ.j. Plumbi vsti, Antimonij crudi an. ʒ.iij. Mellis ℥.iij. Terebinth. Resinæ piceæ, ol. Rof. q.f. pro emplastro formando.

Horum vsu sicuti postea intellexi fuit vlcus curatum, remanente saltem foramine, per quod vrina reddebatur, quæ cum procul à corpore ob canalem ablatum, deriuari & emingi minimè potuerit, statim in exitu defluens vicinas partes vti & vestes continuo madefaciebat, atque cutem illic, vti in infantibus hoc accidere solet, excoriabat, pustulisque refertam reddebat, quod illi maiorem molestiam quam quod vxore carere debuit, præbebat.

Gangræna à tibiæ inflammatione.

PRimarius quidam nostrâs, senatorij ordinis, corpulentus, cùm liberaliùs bibisset, vti hoc illi consuetum erat, non facilè inde lædi solitus, 12. Nouemb. Anno 1602. febre fuit correptus, statimque illi tibia sinistra rubere cœpit, sensimque intumescere, atq; inflammari. Accessit & delirium subitò.

Cùm existimarent astantes, esse febrem illam synocham, quam Carfunckel vocant, quæ raro periculosa

culosa & multis familiaris, neglexerunt curam, nec quidquam fuit appositum, nec vena secta, nec Vinum interdictum. Decimoquinto die tertio, post primam inuasionem, eruperunt vesicæ, in summitate illius pedis.

Cùm inquietus esset, quidam Empiricus, opiatum, Laudanum ab illis appellatum, ei exhibuit, vnde stertuit. In crure liuiditas, & nigredo, gangrænam imminere significabant. Eruptis illic vesicis, ichor teter emanabat. Pulsus interruptus, inæqualis, sub noctem frigore circa pectus, & sudore frigido superueniente, post mediam noctem exspirauit.

Fractura caluariæ, ex ictu in capite, parte illius aliquâ exemptâ.

CAluariæ fractę vel vulneratę partem insignem exemptum fuisse, in quibusdam vidi. Inter quos aliqui nihilominus superstites diu vixerunt, vixque in capitis loco, qui læsus fuerat, vestigium aliquod læsionis, tactu explorari potuit: cùm vndique ex confractis ossibus, succo exudante, calli tam insignes nasci possint, qui spatia lata ossium, illorumque distantias adimplere queant, vt sæpè crassior & durior illic fiat caluaria, quàm prius erat. Quod vt in latis ossibus, sic & in longis, vt in tibia, maxilla inferiore dictum, potest fieri. Vulgus caluariæ portione ablatâ, serico panno cerebri nudam sedem cuidam senatori, cui cranium à decidente tigno effractum erat, à chrirurgo inclusam fuisse, sibi falsò persuasit, cum tam diu citra corruptionem integrum seruari non potuisset.

Fractura Vertebræ spinæ, ex casu supra dorsum, vnde spina tandem prodijt.

IN Lanio quodam similiter dorsi doloribus grauissimis diutissimè afflicto, tandem abscessus in media dorsi regione prodijt, quo rupto, pus aqueum adeò copiosè, vt totum sæpè lectum commadefaceret, ipseq; ad extremum marcorem perueniret, multis septimanis effluxit. Ac demum processus spinæ thoracis vertebrę posterior abruptus, illic quoque prodijt, quo ablato præter omnem spem iterum conualuit. Cuius affectus diuturni non aliam causam, quàm ossiculũ hoc confractum, diuque latens & abstrusum antequam cognosceretur fuisse, ipsummet prodiens declarauit, tum verò id quoque, quòd cum suis coæqualibus luctatus, & aliquoties in terram deiectus, dolor inde exoriens, manifestum certumque idem fecit, Anno 1558. hoc accidit.

LIBER



LIBER TERTIVS *Obseruationum*

FELICIS PLATERI,

In affectibus homini incommodantibus, in VITIIS præcipuè notatis.

IN DEFORMATIONE Obseruationes.

Nanus.



Paruæ staturæ homunciones quosdam, mediam hominis staturam non attingentes, vidi, non ob curuatam spinam dorsi, in gibbum, aut pedes flexos, humiles, sed ab ortu rectis ossibus sic genitos.

Primùm eiusmodi nanum, Iohannem de Estrix nomine, Mechliniensem, cùm ad ducem Parmensem in Flandriam Basileâ duceretur, vidi, An. 1592. Nou. mense Annos ætatis habentem 35. Longus erat tres tantùm pedes, barbâ prolixâ ornatus. Nec scalas ascendere poterat multo minùs scamnum, quò à famulo semper eleuabatur. Trium linguarum peritus erat, & ingeniosus ac industrius. Cum quo in talorum ludo aliquantisper lusi.

Alter Nanus.

ALterum nomine Iohannem Dächer Anglum, circumducebant Angli quidam, quæstum ex ipsius inspectione facientes, quem An. 1610. Maio mense vidi, ipsiusq; iconem integram penes me habeo. Annos natus erat 45. quod ex facie iam penè rugosa, & barba oblonga etiam cognosci poterat. Longus erat, pedes duos cum dimidio saltem, rectis alioquin & crassis membris decenter formatus. Quo sanè breuiorem non vidi.

Tertius Nanus.

IN nuptijs Ducis Bauariæ, ante annos quadraginta, nanus erat, quem postea in aula Wirtenbergica, cùm Stutgardiæ essem, vidi, qui integrè armatus, cũ breui hastâ & gladio accinctus, in Artocreas occultatus, vt nõ conspiceretur, & in mensam appositus, fracto artocreate erumpens, & stricto gladio, gladiatorum in morem in mensa saliens, omnibus risum & admirationem mouit.

Procerus & longus supra modum.

PRocerâ & supra consuetam hominum aliorum oblongâ staturâ, vidi adolescentem Luneburgensem, Iacobum Damman, quem quoq; ob proceritatem insolentem, per Germaniam, circumductum, ad nos etiam An. 1613. Basileam adduxerunt. Annos ætatis habebat 22. & dimid. imberbis adhuc, corpore & membris validis, nisi quòd tunc nõnihil æger, macilentior erat. Longus pedes octo. Manuum longitudo pedis vnius & trientis. Atque ita communem hominum longitudinem, quæ est ferè 6. pedum, pedibus duobus superauit.

Alius quidam.

HVic par erat longâ ſtatura alius, quem Baro quidam in inferiore Germania vulneratum claudum reddiderat.

Alij duo admodùm longi.

EXcedebant etiam communem aliorũ longitudinẽ, Generoſus & ſtrenuus Lazarus Schwendius, 7. pedes longus, membris validis, & nobilis quidam Germanus, Halwilenſis Heluetio patre natus eiuſdem ferè longitudinis.

Magnitudinis admirandæ puellula.

PEr pagum Dirnen, ditionis Baſilienſis, iter mihi facienti An. 1565. oſtenſa fuit puella quinque annorum, cum infantibus ludens, adeò corpore vaſto, ac ſi fœmina multorum fuiſſet annorum, quam cùm inſpicerem propiùs & menſurarem; coxas illius ſeu femora craſsitie equi mei collum ſuperare cognoui: ſuraſque hominis alicuius robuſti & quadrati femora, amplitudine adæquare: Cinguloq́; quo lumbos cingebat, matris illius & patris corpora iuncta potuiſſe comprehendi. Qui illius parentes mihi narrabant, antequam anni ſpatium ætate compleuiſſet, tantùm quantum ſaccus tritici octo modiorum, ponderaſſe. Hanc poſtea ad Comitem Henricum Fürſtenbergium deductam, qui apud me Anno 1566. diuertit, denuò inſpexi, magnitudinemq́; hanc immenſam admirati ſumus. Verùm paucis poſt annis obijt.

Corpore craſſo ſupra modum viri duo.

INſignis ille Typographus Tigurinus Chriſtophorus Froſchouerus, quem honoris causâ no-

mino suo tempore, corporis crassitie & mole plerosque Heluetios superabat. Illum verò adhuc magis ciuis eiusdem vrbis Hirzel nomine, vir industrius, linguarum peritus & probus, cum quo in thermis Heluetiorum, quib. biennio ferè vtebatur, aliquot septimanas quibus Badenæ adfui Ducissæ Wirtenbergensi, ex meo consilio hisce thermis vtenti, conuersatus sum. Qui nudus in balneo sedens, spectantibus corpulentiâ suâ, omnes quotquot vnquam vidi excedēs, admirationi fuit, adeò corpore vasto, vt & mammæ illius mulierum lactātium obæsarum mammas superarent. Interea nihilominus sine labore incedebat, agilis erat & nonnunquam choreas ducebat, liberosq; cum coniuge honesta & formosa, macrà tamen, procreabat.

Sceleton Gigantis.

CVm Anno 1584. mense Iulio, Lucernam Heluetiorum vocatus essem, à prudētissimo illius vrbis Sculteto & strenuo Chiliarchâ, Ludouico Pfifero ægrotante, & septimanas aliquot, donec conualesceret, ibi subsisterem, eo tempore, rerum rariorum indagādarum studiosius, de varijs quantum negotia Practica occupatissimo mihi permittebant, inquisiui. Inter alia plantas rariores montis Fracti, quem Pilati vocant, quibus refertissimus est, inuestigaturus, eum comitib. primarijs quibusdam illius vrbis Senator. & ciuibus, mens. Augusto, conscendi, plantasq; supra centum non ita frequentes collegi, quarum descriptionem in obseruationibus meis Plantarum, aliquando si vixero edendis, annotaui.

Accidit tunc, vt mihi ossium quorundam fragmenta immensæ magnitudinis, quæ in curia asseruabantur, senatores demonstrarent, quæ in ditione ipsorum non procul à Cœnobio Reiden/ in

in montis vicini ſpecu ſub annoſa, quercu, vi ventorum deiectâ, inuenta, collectaque atque eò delata fuerunt. Quæ cùm conſiderarem atque è minoribus pleraq;, & ex illis quæ tenuibus laminis conſtant, vt ſunt caluariæ oſſa, carie vetuſtateque conſumpta, vel quia comminuta neglectaque fuerant, deſiderarentur, maiora ex illis verſans, tam ea quæ adhuc integra erant, quàm portiones maiorum oſſium, licet exeſa atque fungoſa leuiaque eſſent, quantum cognoſcere potui, humanis oſſibus reſpondere obſeruaui, atque mox qualia eſſent ſingulis inſcripſi; Eoque magis Gigantis alicuius oſſa fuiſſe, ex eo collegi, quòd pollicis os infimum, inter ea inuenerim, nec non molam, dein & calcis os ſcapulasque cum clauicula, quæ tantùm in homine eâ formâ deprehenduntur. Adhæc & longa & craſſa oſſa femorum, tibiarum, humeri & brachij, quorum extrema, cum capitibus reſtabant, ab humanis oſsibus formâ nihil differebant. Quæ omnia occaſionem mihi præbuerunt, vt cùm ſingula ad me Baſileam hæc oſſa, Magiſtratus illius loci iuſſu, tranſmiſſa eſſent, ea diligentiùs inſpiciens, & cum ſceleti mei oſsibus conferẽs, magis in ea ſententia confirmarer, atque ad ſceleti mei oſſa, maiora hæc & confracta conferendo, integrum ſceleton, tantæ magnitudinis, quantam oſſa, ſi integra fuiſſent, effeciſſent, delineari & depingi curarim. Quod ſceleton decem & nouem pedes longitudine adæquat. Inde cùm nullum animal quadrupes tantæ altitudinis inueniatur, magis oſſa illa Gigantis alicuius fuiſſe probari poteſt. Cuius etiam olim longitudinis gigantes extitiſſe, hiſtoriæ prodiderunt.

Corpus humanum geminum, quorum vnum integrum capite dempto, innatum alteri erat.

VIdi in hac vrbe ante annos circiter viginti, virũ non magnæ ſtaturæ, qui corpus humanum aliud à ſuo integrum à ceruice, quâ thoraci illius adnatum erat, geſtabat. Hoc à thorace in terram vſq; propendebat, omnibus aliàs partibus præter caput, (quod ac ſi corpori intruſum eſſet, non apparebat) abſolutum, vnguibus inſuper pilisq; ſub axillis ac pube ornatum. Hoc quotieſcunque vir ille mingebat, ſimiliter vrinam profundebat, podice aliâs clauſo & nullibi apparente. Similis omnino corporis gemini meminit Stumpfius: quod & patrem meum ſe vidiſſe narrantem audiui.

Hermaphroditus putatus, quia ſcrotum illius pudendum muliebre nonnihil repræſentabat.

INfans quidam modò natus, in pago quodam agri Baſilienſis, non penitiùs inſpecto membro genitali, pro puella habitus & baptizatus, Annæ nomen obtinuit. Qui vbi adoleuit, à parentibus, vti puella veſtiebatur, & poſtmodum munia fœmineo ſexui conſueta obibat, ad vigeſimum vſque circiter ætatis annum, omnibus puellam eſſe exiſtimantibus, cum quibus & verſabatur, atque dormiebat, citra ſuſpicionem vllam, donec paulò liberiùs cum illis ludere easque contrectare cœpit, & præſertim cum vxore cuiuſdam vicini, laſciuiens licentiùs, marito ſuſpicionem de turpi commercio iniecit, qui ideò de eo apud præfectũ conqueſtus fuit. Qua de re certior factus magiſtratus, captiuam in vrbem adduci iuſsit, mihiq; tanquam

Poliatro vt eam in carcere, mas an fœmina esset, examinarem, mandauit. Primùm itaque accedens, cum Collega meo, etsi pectus & mamillę protuberarent, hoc tamen pannis suffultis factum esse deprehendimus. Ad genitalia vbi peruētum, virgam virilem formâ conuenienti, locoq; recto positam inuenimus, scrotum verò non sacculi instar pendulū, vt aliàs solet, nec testes in eo inclusos, sed sursum omnino attractum, in cuius medio ruga apparebat longiuscula, rimæ alicuius instar, in qua foraminis alicuius occlusi cicatrix aut nota, vix lente latior, patebat, quæ peruia non erat, nec quicqam admittebat, nec emittebat. Testis verò dexter in inguine latens, sicuti in rectè formatis genitalibus aliquando etiam eousque retrahitur, illicq; subsistit, tactu facilè deprehendebatur. Sinister verò nō item; Interrogatus insuper seriò an cū mulieribus se commiscuerit, negare minimè potuit. Quā ob causam eum marem esse non fœminam, pronuntiauimus, magistratuiq; exposuimus, neq; hermaphroditum vti aliqui putabant, cùm rima hęc nec pudendum, nec nota in eo, vteri colli orificium, vllo modo, exprimerent. Itaq; magistratus, habitum muliebrem illi detrahi, illiq; muliebre capillitium longum amputari, vestibusq; virilibus indui, nomenque mistum vtriusq; sexus, Annæ Iacobi imponi curauit, ac pœnæ loco, quod sexum mentitus esset fœmineum, in Vngariam militatum ablegauit.

Digiti plures quàm quinque in manibus & pedibus.

PVerum mendicum inspexi, qui in singulis manibus, sex habebat digitos, è quibus vnus in altera manu medio adnatus erat. In pede sinistro, sex etiam digitos, & in dextro septem. Ita vt in manib. & pedibus digitos gestaret viginti quinque.

Vngues craßi vngularum instar.

PVella quædam cùm esset suspecta de lepra, & examini nostro subijceretur, An. 1591. deprehendimus illam vngues in digitis manuum digitum transuersum spissos habere, admodùmq; protuberantes, adeò vt veriùs vngulas quàm vngues humanos referrent, quę & admodùm impedimẽto illi erant, quibus amputatis, de nouo rursum eiusmodi succrescebant. Quæ tamẽ curata postea fuit.

Cutis crassa Manuum volarum.

IN vtraq; vola manus cutem crassam & tumidam religiosus quidam habebat rubentem, quâ pressâ, rubedo vti in erysipelate fieri solet, cedebat, moxq; iterum reuertebatur. Hocque vitium iam aliquot annos durauerat, & quamuis varia adhibuisset, nihil tamen profecit. Alioquin sanus & strenuè comedens ac bibens.

Præscripsi vt corpus purgaret Apozemate per quatuor dies sumpto, nisi venam iam aperuisset, sanguinem quoque detraxissem.

Deinde vt conseruis & syrupis hepatis intemperiem calidiorem corrigeret. Idemque victus ratione idoneâ, & temperando sibi à nimia Vini potatione, præstaret.

Balneum pro manibus ordinaui, ex fol. Plantag. Maluæ, fol. Hederę rad. Lapatij, additis pulueribus Gypsi vsti, Boli, Vitreoli, Salis, decoctis in mensuris quatuor vel sex Lixiuij & Aquæ fabrorum. In quo noctu cubitum iturus, calidè manus per semihoram, immergeret.

Quo facto, postquam iterum siccatæ fuerint, iussi inungere sequenti vnguento: Quod, ℞. Litharg. ℥. ß. cocti in Aceti fortis ℥. iiij. ad consumpt. Aceti, radic. Ari vel Serpent. puluerisat. ℥. j. ß. Sulphuris

phuris viui ʒ. iij. Argenti viui ʒ. ij. extincti cum Thereb. ℥.j. Sublimati ʒ.j. olei Tartari ʒ.j. ß. Ax. porci ℥.iij. fiat vnguentum. Post vnctionem Chirothecas, ex corio canino paratas, induat, cubitúmque se conferat, & manè rursum balneo calefacto, manus immergat, easque abluat.

Noctu cubitum iturus, balneum repetat, & post illud, inunctionem, & manè ablutionẽ, continuando hoc ad dies viginti, & renouando balneũ semper quinto die.

Quo tempore finito, si cessarit hoc vitium, nihil pręterea moliatur, si verò nondum penitùs sublatum sit, vnguentum tantùm repetat, & manè Lixiuio illud rursum abstergat.

Si nec sic curetur, madefaciat cubitum iturus noctu, volas manuum, hac aqua, quæ; ℞. Sublimati ʒ.j. Litharg. ℥. ß. Aluminis ʒ.iij. coquátur in Aceti ℥. quatuor, ad consumpt. tertiæ partis.

Fricet manè volas ex Cœpa excorticata, si fortè pellicula à vola abscederet, quod maximè optabã.

Quod si aqua nimiùm eroderet, contemperetur aquâ destillatâ ex Fragis & rad. Oxylapati in Aceto macerata, additâ aquâ Aluminosâ.

Hacque ratione integrè fuit sanatus.

Pilosi & Hirsuti admodùm homines quidam.

Syluestres inueniri homines, cute totius corporis hirsutâ, præterquam in apice nasi, genu anterioribus, clunibus, & volis manuum ac pedum quales ferè pinguntur, vulgò creditur. Sed hoc falsum esse, ex eo colligere possumus, quòd Cosmographi, qui vniuersum mundum descripserunt, nullibi horum faciant mentionem, cûm nec ferissimos populos omiserint, Amazones, Canibales

& Americanos, & alios qui nudi inceduat nec ta; men pilosi sunt, & pilos qui naturaliter erumpunt, euellunt. Hoc quidem verum est, inueniri quosdam vtriusque sexus, præsertim masculos, alios alijs hirsutiores, quorum crura, brachia, vẽter, thorax totaque facies pilis prolixis horrent, cuiusmodi multos noui & vidi. Ex horum numero Lutetiæ erat vir quidam, ob raram pilositatem totius corporis, Regi Henrico II. percharus, & in illius aula versatus, prolixis admodùm pilis totum corpus, faciemque omnino, si exiguam regionem sub oculis excipias, obsitam habens, supercilijs & crinibus in fronte adeò longis, vt eos sursum, ne visum impedirent, premere cogeretur. Hic vxore ductà glabrà, & alijs mulieribus simili, liberos cum ea procreauit, hirsutos quoque, qui Duci Parmensi in Flandriam missi fuerunt, quos in Italiam vna cum matre, masculum 9. & fœminam 7. annorum, transportandos hîc Basileę vidi, Anno 1583. & depingendos curaui. Erant facie hirsutâ, magis masculus, minus paulò puella, cuius tota regio secundùm spinæ dorsi longitudinem, prolixis admodùm pilis erat hispida.

Cæterum cùm in omnibus totius corporis poris, pili, vt in Anatome docuimus, existant, non mirum in aliquibus vt in plerisque animalibus fit, longiores, & perpetuò, vti vngues excrescere, cùm magis hoc sit mirum, in quibusdam locis certum modum quo crescant, seruare, vt supercilijs, & reliquis minutioribus, adeò vt visum ferè effugiant. Verùm nec manus volam pilis destitui, apparet in iuuenibus, sed quia exigui, & continuò atteruntur, manus magis glabra apparet.

Capillo-

Capillorum in fronte prouentus.

NObilis quidam Polonus miles, An. 1599. multis pollicitationibus psilotrum sibi aliquod dari cupiuit, quo virgini cuidam locupletissimæ, quam ambiebat, frons quam mediam ferè capilli occupabant, depilari posset, & ne recrescerent, impediri. Verùm cùm efficaciam illius in seipso priùs experiri cuperet, duo sequentia psilotra ei dedi, quorum vnum dropax erat, actu pilos euellens, alterum inunctio, potentiâ id præstans.

Dropax talis erat: ℞. resinæ Laríceæ vulgaris circiter quatuor cochlearia, adde Mastiches subtilissimè tritæ, instar auellanæ, dissoluantur ad ignem, & parùm coquantur, continuò agitando, postea effunde in lebetem, in quo aqua sit frigidissima, dein manibus malaxentur trahaturque, & in magdaleonem rotũdum formetur, qui in aqua, ne adhæreat, conseruatur. Huius portiuncula dilatata, supra cutem pilosam applicata, vbi adhæserit, iterum detrahatur, piliq́ue in emplastro euulsi hærebunt. Et si quid de emplastro in cute remaneat, ol. Amygd. dulc. perfricatione recedet. Hoc itaque vsus dropace in brachio, vbi totus pilosus erat, postquam eum cum labore detraxit, pili omnes secuti euulsiq́ue sunt. Consuetum hoc est remedium Venetis matronis, quo pilos euellunt.

Inunctione quoque alio in loco brachij, vsus est psilotro sequenti: ℞. Calcis viuæ ℥.j. Auripigmenti ʒ.j. Puluerisentur subtilissimè, adde Albumẽ oui nu. j. & Lixiuij tonsorum parùm, Incorporentur in formam linimenti: Eoq́ue cum digito intincto vngatur pars cutis pilosa, & in quarta horæ parte, abluatur Lixiuio, & fricetur. Cuius vires cũ puer Pharmacopœi experiretur, pili recesserũt,

ſed idem in alio tentatum, non operabatur, quia cùm ſicca ſtatim compoſitio facta eſſet, Lixiuio de nuò, cùm applicaretur, humectata fuit. Iuſsi itaque ad mediam partem huius compoſitionis, iterum addere Auripigm. ʒ. j. & cũ Lixiuio emollire. Quam cùm affricaret nobilis ille brachio, inter fricãdum, ſtatim pili cadere cœperunt, ſed dolor aliquis inde ſubortus, & rubedo, quæ tamẽ nõ diu remanſerũt.

Corpus infantis modò nati, ſine collo & fronte.

INfantem maſculum monſtroſè natum cùm audirem, clàm è terra effoſſum, An. 1557. ſecui: deſtituebatur is fronte & collo, atque in occipitio, quod omnino compreſſum erat, vulnus rotundũ, lacerum, cruentumq; obtinebat: qua parte ipſum inuolucris adnatum fuiſſe, atque in partu ab illis dilaniatum perijſſe, iudicare potui.

Brachijs deſtituti egregij nihilominus artifices.

IN organo quod, vti ſupra dictum fuit, cæcus parauerat, in aula Wirtembergica, ſcripturam elegãter exaratam legi, quã quidam Thomas Schvvicker, Halæ degens, brachio vtroque carens, ſcripſerat. Aliam chartam diuerſis characterib. ſcriptam, ab eodem, Princeps mihi quoque oſtendit, ipſiusque iconem ad viuum expreſſam, in qua, inter pollicem pedis dextri & vicinum digitum, pennam retinentem, & ſcribentem, ſeipſum depinxerat. Aliam quoque ſcripturam, ab Italo pedibus delineatam, mihi idem Princeps commonſtrauit.

Memini Baſileæ me vidiſſe mulierem, pedibus artificioſè nẽtem, & ſclopeta explodentem, aliaq; munia obeuntem.

Alium

Alium etiam, capite & humeris res apprehendere, illasque varie tractare, atque instrumentis armisque illic retentis, scindere, amputare, fodere, maximoque impetu verberare, spectaui. Erantque omnes ab ortu brachijs mutili.

Manus amputatæ, & hæmorrhagia subitò sedata.

VIde in Sanguinea excretione Lib. III. Hæmorrhagia post amputatas, &c.

Digitus præmorsus, & hæmorrhagia sedata.

VIde in Sanguinea excretione. Lib. III. Idem remedium in digito præmorso.

Auris morsu auulsa.

MIlites duo inermes cùm litigarent, & à verbis ad verbera deueniſſent, humi strati, alter alteri aurem dentibus apprehensam, totam mordicùs auulsit, quam ad me generosus quidam, cum facti historia, sciens me rerum variarum cognitione delectari, misit.

Idem in vicinia mea, An. 1610. simili modo in rixa duorum aliorum accidere vidi, vt vnius auris penè tota morsu alterius fuerit ablata.

Malæ portio mordicùs abrupta.

MEmini ante annos quadraginta, cùm in primaria quadam Heluetiæ vrbe, in ponte fluminis, cum Schulteto illius loci inambularem, accurrisse ad ipsum sacerdotem quendam, sine pallio aut toga, facie cruentâ, quam strophiolo tegebat, conquerentem de vi sibi illata, atque ostendē-

tem plagam, in sinistra mala, è qua tanta portiõ buccæ, mordicùs, vti aiebat, demorsa erat, vt dentium ordo aliquousq; pateret, aspectu horrendum, implorans iustitiam. Verùm re examinatâ, cognitum fuit, in adulterio deprehensum, à marito illius quam corruperat, sic cum alijs armis destitueretur, morsu tractatum fuisse.

Maxillæ inferioris ablatio.

IN Rötelensi castro, cùm læti ominis causâ, in nuptijs Principis Marchionis exploderetur tormenta, vnum disruptum, maxillam inferiorem penitùs alicui abstulit; qui nihilominus postea curatus, diu superuixit, fasciâ linguam, quæ aliàs dependebat, sustinens, & occultans fauces, in quibus alioquin & larynx & columella penitùs conspicua erant.

Maxillæ inferior portio, cum dentibus exempta.

PVella ex cancro, vt vocant gingiuarum, sphacelum passa, in maxillæ inferioris portione, eaque exempta cum dentibus, & sanata, nihilominus ad mandendum maxillâ reliquâ vti potuit, nõ magnâ faciei deformitate apparente.

Dens vsu masticatoriorum elapsus.

NObilis quidam, cùm masticatorijs vsus esset, aliquandiu inter expuendum dentem integrum, atq; illæsum sine omni dolore expuit, quem vi medicamenti extractum esse ipsemet fatebatur; coniecturam ex eo, quòd manifestè suctionem veluti à medicamento senserit, sensimq; dens vacillare cœperit, desumens.

Cuticula in febre à cute abscedens.

IN febre illa continua, æstu vehementi, corpus meum

meum consumente atque exiccante, quâ An.1568. laboraui, vt eam in Febribus Lib. II. descripsi, cuticula à reliqua cute sponte, ac si perusta fuisset, amplo spatio, in ventre alijsque in locis, ita secedebat, vt illam manibus apprehensam, sine labore abstraherem, illius amplis petijs asseruatis. Quo tempore & pili capitis defluebant, atque vngues ita arescebant, vt circa radices impressa veluti in ipsis vestigia obseruarentur: sicuti horum dicto loco quoque memini.

Dentium & Vnguium lapsus cum cuticula abeunte.

HOc quoque Medici cuiusdam filio accidisse in febre acuta, non solùm ille mihi narrauit, sed & epidermidis membranas latas detractas, quas asseruarat, ostendit: Simul indicans, in eodem morbo tres dentes, atque vngues se amisisse.

Membri virilis amißio, in duobus.

VIde in Superficiei corporis dolore. Lib. II. Bis, Gangræna in membro virili, &c.

Vteri corrupti ablatio.

VIde in Partium procidêtia Lib. III. Vteri procidentia, corruptio, &c.

Pilorum defluuium in febre continua.

VIde in Febribus Lib. II. Febris continua, putrida longa, &c.

Caluities

Caluities post tineam remanens.

DE hoc affectu tale consilium cuidam viro excellenti scripto dedi. Anno 1596. mens.Dec. Casus excellentissimi Domini, caluities est, non naturalis, ex senio, sed ex vlceribus capitis manantibus contracta, cute verâ hinc inde exesâ, & per dropacū applicationes & detractiones absumptâ, in cuius locum cicatricosa & callosa cutis nata est, hinc inde, nullis poris, nec infixis pilorum radicibus, vnde depilis illa hinc inde apparet.

Cùm autem in cicatrice pili vix vnquam nasci posſint, & iam diu perseuerarit malum, difficile erit arte illic denuò pilos prouocare & educere.

Tamen cùm cutis capitis spissa & capillosa sit, in qua semina adhuc fortè pilorum latere subtus possunt, præcipuis adhæc expertisque remediis id tentandum esse, vt pili crescant, censerem.

Omissis autem multis alijs, existimarem ego hoc modo procedendum.

Caput manè foueat dominus cum spongia, intincta in Vino albo, in quo vino Abrotanum decoctum sit, & Chamomillæ & Saluiæ flores, vt sic pori sensim aperiantur, quod & alioquin capiti, tantùm abest vt obsit, vt potiùs prosit.

Hoc pacto alternis diebus per mensis spatium & vltrà caput foueat, fricando & pectinando post fotum, incipiatq; hisce vti, & vbi præsertim frigus desierit, vt & noctu remedia capiti tunc applicare possit. Quod & inungat noctu sequenti vnguento: ℞. ol. Myrtini, Amygd. dul. an. ℥. j. cort. rad. Cannarum vstarum verarum, Capilli ven. veri vsti & Polytrici an. ℥. ij. cap. Murium vstorum, Apum combustarum & Cantharidum rubrarum maculis nigris an. ʒ. j. Ladani ʒ. ij. Mellis ℥. j. cum Cera fiat linimentum.

Hoc

Hoc linimento nihil eſt efficacius, quod ſi non iuuerit, nihil iuuare poterit. Vtetur autem illo alternis noctibus, & quando ſpiſsè adhæret, abluere poterit, Lixiuio, in quo Abrotanum decoctum fuerit.

Vbi menſis ſpatio vſus fuerit, poſtea hoc decoctum parari curet: ℞. capill. Veneris, Polytrici, cort. radic. Cannarum, fol. Myrthi, fol. Senę, fol. Chamomill. Roſ. rubrarum, fol. Rumicis an. M. j. ligni Gaiaci ℔. ß. Abrotani M. ij. fiat decoctio.

Hoc decocto ſingulis noctibus caput lauet, cubitum iturus: continuando diu, vel ſaltē cum ſpongia foueat.

Atque niſi ſuccedat, menſibus aliquot elapſis, rurſum vnguento priori, caput inungat, noctu & manè, caputq; hoc decocto abluat.

Hæc præ cæteris omnibus (ſi quid effici in hac re poteſt) efficaciſsima ſunt remedia.

Quæ fideliter communicare volui, à D.O.M. ſucceſſum Domino optans.

Articulorum in manibus ipſarumq; digitis mira laxitas.

PIctor quidam noſter, manum vtramque adeò poteſt circumuertere, vt eâ circumductâ ad brachij articulum, non tantùm vola ad locum conuexæ manus perueniat, ſed & rurſum in priorem ſedem reducatur. Idem pollicem facilimè vt brachium tangat deprimere, digitosque retrorſum ad brachium vſque quoque reflectere poteſt.

Vteri ceruicis orificij nimia ampliatio, in puellis, quæ in infantia vim passæ sunt.

QVidam rusticus, accusatus à vicina, eum puellam octo annorũ compressisse, in carcerem coniectus, cũ factum negaret, puella adducta, examinataque, primùm, vti astuta erat, inficiebatur, donec promissionibus tandem & minis adacta, confiteretur, rusticum illum, se in horreum, pane mellito dato allectam, indeque in vicino cubiculo, lecto impositam denudatamque, re quadam durâ, circa femora adeò pressisse, vt dolorem aliquem inde, qui tamen non diu durarit, senserit. Cæterùm cùm ab obstetricibus, me præsente insuper inspiceretur, deprehendimus, orificium exterius vteri, plùs quàm ea ætate deberet, dilatatum hiare, & rubere, ex quo vim illic ex congressu eam passam esse, etsi non penitùs corrupta, deuirginataque fuerit, iudicauimus, Magistratuique scripto exposuimus.

In alia.

ALia puella annorum circiter 7. cùm è pago sola prodiret in fruticetum vicinum, adortus eam homuncio quidam senex, ciuis vrbis nostrę vinitor, vim ei intulit. Quod cũ illa postea narraret, & qui vim intulerat, captus, se eam corrupisse fateretur, ab obstetricibus inspecta puella, vitiata nonnihil deprehensa fuit. Ob quod facinus supplicio graui affectus, forcipibus ignitis lancinatus, postea capite plexus fuit, mortuoque in sepulchro, palus per thoracis medium fuit transfixus, puella verò in hospitali aliquamdiu retenta, grandior facta, ad ancillandum dimissa fuit.

In duabus alijs.

DVæ aliæ quarum vna septem, altera nouem annorum, non semel, sed aliquoties donis allectæ passæ sunt, se à duobus subagitari, quorum vnus septuaginta sex annorũ erat, alter virili ætate. Ob quod delictum seni caput abscissum, alter fugâ supplicium euasit. In vtraq; puella introitus orificij vteri dilatatus erat, sicuti in fœminis, quæ marito consueuerunt, esse solet.

Aliam quoq; puellam quinq; annorum, præsentibus obstetricibus, cùm iussu Magistratus inspicerem, quã à Patre suo corruptã aliquæ testabantur, similiter orificium ceruicis dilatatum adeò, vt facilè illũ admittere potuerit, deprehẽdimus, & proin vim quoq; illi illatã, præsertim cùm circumstantias aliquas enarraret, factũ cõfirmantes, iudicauimus: paterq; fugã sibi consulens, nec ampliùs reuersus, horrendi huius criminis se reum fecerit.

Ex quibus obseruatinnibus, non aliud deflorationis indiciũ, quàm quòd introitus orificij, ex dilatatione illa amplior fiat, & quòd in maturis virginibus, venæ menstruales in ceruicem vteri delatæ, frictione hac reseratæ sanguinem interdũ profundant, diligenti inspectione deprehendere potui.

Vteri ceruicis orificij exterioris coalitus.

VIde in Actus Venerei defectus Lib. 1. Venereus actus imperfectus, &c.

Nares in morbillis coalitæ, & Panniculus in oculo.

IN Puella iuuene, morbillis infestata, Anno 1596. men. Sep. pustulæ vniuersam faciem adeò occuparant, vt illis suppuratis, tota facies excoriata exulcerataque videretur, ex quo factũ, vt naso crustis diutiùs occultato, nares in ambitu exulceratæ, excrescente illic carne, penitùs occluderentur,

quod cùm diu postea passa, magnum impedimentum respirationi adferret, meo consilio, Chirurgus vocatus, leui sectione per cicatricem factâ, illas denuò patefecit, apertasque donec sanarentur, turundâ immissâ retinuit. Sed & in vtriusque oculi albo, vnguis instar, panniculus accreuit, mediam pupillam occultans, cui tollendo sequẽtia adhibui.

Indidi in maiorem oculi canthum vnguentum de Tuthia cum ærugine, meæ descrip, cœpitque diebus hisce quatuordecim, minui vnguis, & pupilla ferè integra apparere.

Discedenti dedi aquam, quam oculo inderet, quę: ℞. Bilis è felle bouis vno, & Vrinę quę priùs in æneo vase stetit, æquas portiones, addendo Laricea ʒ.vj. Mellis ℥.j. Sulphuris viui, sem. Fœniculi an ʒ.ij. fol. Euphras. M. ß. è maceratis priùs, eliciatur aqua in bal. Mariæ.

Iussi pro forma, rad. Allij serpẽtini in collo gestare.

Podicis foramen ab ortu nullum, vti & Præputium occlusum, in modo nato infante.

INfans masculus in lucem editus, carebat podice, nihilque illic præter lineam seu rugam, & notam aliquam rotundam; vbi anus se aperire debuerat, apparebat. Præterea præputium illius omnino coaluerat, ita vt nec vrinam reddere posset. Quod cùm non animaduertissent, quæ puerperæ ministrabant, infantem in alterum vsq; diem, quo iam animam agere incipiebat, non propiùs inspectum reliquerunt. Vocatus tunc cum chirurgo, cũ prior aduenissem, causamq;, quòd nil excerneret, deprehendissem, arreptâ forfice, præputiũ leuiter scidi, effluxitq; pauca vrina, quę vix testiculos illius madefaciebat. Postea superueniens chirurgus, se-

ctionem

ctionem vbi nota podicis apparebat, fecit, verùm cùm nulla via ibi pateret, paulò humiliùs cutẽ denuò ſcidit, ſed ne tunc quidem anu ſe aperiente, cũ in agone mortis eſſet infans, eum reliquimus, qui horâ vnâ aut alterâ poſtea extinctus eſt. Sequenti die viam illam ſectione inueſtigans, ſecto in longũ inter fœmineo, nihil apparuit, donec profundè duos digitos, per ſpongioſam carnẽ & adipem nouaculâ adactâ, membrana tranſuerſa ſe oſtenderet, quam cùm podici illic obductam cognoſcerẽ, ſcalpello diſſecui, moxq; atra materia, qualẽ infantes modò nati cacare ſolent, copioſiſsimè effluxit, vnà cum flatibus crepitibusq;. Præputio conſyderato & ſecto, deprehenſum fuit, illud foramini glandis innatum, id penitùs obturaſſe atque occluſiſſe.

Podicis abſentia in alio infante.

MEmini alium quoq; infantẽ ſocero meo chirurgo apportatũ fuiſſe, qui ſimiliter podice deſtituebatur, qui antequam ſecaretur, animam exhalauit.

IN DISCOLORATIONE
Obſeruationes.

Cachexia.

COlore ex luteo, fuſco mulier quædam erat deformata, cum compreſsionis circa præcordia (vti cachectici ſolent) dolore. Imprimis verò de ſumma imbecillitate membrorũ cõquerebatur, idq; per ſeſquiannum, à partu poſtremo hiſce moleſtata. Vrinæ crudæ & albæ erant. Cùm me An. 1557. cõſuleret, obſtructiones in venis meſeraicis (quas lieni attribuunt) adeſſe iudicaui, atq; idcirco thermas, quas adire cogitabat, diſſuaſi.

Vinũ hoc illi 9. Maij præſcripſi: ℞. rad. Aperitiuꝫ.

an. ʒ. iij rad. Rhapont. ℥. ß. cort. rad. Sábuci ℥. j. Absynthij ℥. ß. Chamępith. ʒ. ij. sum. Centaurij, seminis Fœniculi an. ʒ. j. sem. Petros. ʒ. ij. fol. Senę ℥. j. ß. Agarici ℥. ß. Zingib. ʒ. j. limaturæ Chalybis præp. instar castaneæ, infundantur in Vini albi mens. j. ß. Bibat aliquot matutinis.

Cùm ter bibisset, & nullam operationem sentiret, iussi in postremo haustu dissoluere el. de succo Ros. ʒ. ij. Diaphœn. ʒ. j. syr. Ros. sol. ℥. j. Bibit bonum haustum, atq; admodùm purgata fuit.

Reuersa 18. Maij, ordinaui sequens: ℞. conser. fl. Cichorij, fl. Buglos. Capill. ven. & rad. Apij an. ℥. j. pul. Pellicul. stomachi & intestinorum Gallinæ ʒ. j. limaturæ Chalybis præpar. ʒ. ij. cū syrupo de quinque Radicibus fiat electuarium: Sumat instar castaneæ, manè alternis diebus.

Superbibendo ad ℥. j. ß. aquæ sequentis: ℞. aquę Centaurij min. ℥. quat. aquæ Endiuiæ ℥. ij. misce.

Hisce continuatis, 2. Iunij ad me veniens, vrinamq; salubri similem ostendens, successum medicamētorum laudabat, vtpote quæ nullam ampliùs in membris sentiret debilitatem, cibumque benè appeteret & cōcoqueret. Faciesq; meliùs colorata genæq; parùm rubescentes, etsi fusco colore à natura prædita esset.

Iussi quod reliquum erat electuarij, bis adhuc septimanatim sumere, & pilula. Agregat. ℈. ij priùs corpus denuò purgare.

Post aliquot septimanas benè se sanitati restitutam esse aiebat, suspicariq; se etiam grauidam esse: quod euentus comprobauit.

Cachexia, dispositio ad hydropem.

QVia curaueram hydropicum quendam, quidam successu eo motus, ad me consilij causâ An. 1597. Maio men. venit. De continua cardialgia con-

conqueſtus, & membrorum imbecillitate. Pallidus erat, & atrophiâ aliquo pacto cōſumptus, quia iam integro anno malè ſe habuerat. Vrinæ crudæ admodùm. Pedes ſub veſperam intumeſcere iam incipiebant. Vnde hydropem illi imminere, periculumq́; niſi ſedulò pareret, prædixi.

Iuſſi vt primùm purgaretur, electuario meo purgante, quo frequenter in illis vti ſoleo.

Dein vt vinum ſequens per dies quatuor continuos, indeque alternis aliquot diebus manè ieiunus biberet, quod ℞. rad. Cichoreæ ℥.j. rad. Ireos, Enulæ an. ℥.ß. herbarum Abſynthij, Chamædreos, Chamæpitheos an. ʒ. iij. ſum. Centaurij ʒ. ij. ſeminum Fœniculi, Petroſel. an. ʒ. iij. ſeminum Carui, Coriandri an. ʒ. ij. fol. Sennæ ℥.j.ß. rad. Bryoniæ præparatæ ℥ ß. cort. rad. Sambuci & Ebuli an. ℥.j. rad. Azari ʒ. ij. miſce, infundantur contuſa in Vino, & parùm bulliant in duplici vaſe: Vtatur.

Interim vt ventriculi & hypochondriorum regionem balſamo meo ex infuſionibus Abſynthij, Mentæ, Maioranæ in ſpiritu Vini facto, inungeret, ſuaſi.

Et niſi remitteret, Vomitorium meum quod dederam, ſumeret.

Verùm non diu vino vſus, adeò benè habuit, vt huic præcipuè curationis palmam tribueret, tandemq́ue ſe optimè curatum, mihi ſignificaret.

Cachexia & diſpoſitio ad hydropem, Colicum dolorem & Paralyſim.

NObilis quinquagenarius quidam, priùs aliquoties colico dolore fuit infeſtatus, rema-

nēte adhuc diſpoſitione quadā ad paralyſim;de de-
iectâ appetentiâ iam diu conquerebatur,& mem-
brorum laſsitudine & imbecillitate,oriſq; amaritu
dine, malè coloratus erat,& vrina cruda.

Diu priùs Empiricorū multis & varijs remedijs
vſus, tandem meum conſilium, an thermas adire
cōſultū eſſet, An. 1592. Martio men. audire voluit;
ego cruditates & obſtructiones & cachexiam ad-
eſſe iudicaui, periculumq; eſſe, ne fiat hydropicus,
vel in colicum cruciatum denuò relabatur & para-
lyſim. Hiſce itaq; primùm eſſe proſpiciendum, an-
tequam thermas adeat, ſuaſi.

Cum parêre vellet, An. 1592. 20. Martij, hoc Vi-
num præſcripſi: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j.ß.rad.Fœnic.
℥.j. Abſynt.Chamæpit. Chamæd.an.ʒ.j.ß.ſ.Petroſ.
ʒ. ß. Fœnic.ʒ.j. ß. fol. Sennæ ℥.j.ß. infunde in Vini
albi parùm diluti, menſ.j. bulliat parū in duplici va-
ſe, in col. infunde Rhab. ℥. ß. Spicæ ℈.j. Cinamom.
ʒ.j.ß.Agar.ʒ.ij.Zingib.℈.j. hæc puluerifata in nodu
lo ligata, ſuſpendantur in vino; Bibat de hoc Vino
alternis diebus manè hauſtum.

Poſtquā aliquādiu vſus eſſet, & ſine moleſtia inde
purgaretur, meliusq; haberet, vt continuarē pur-
gationes eiuſmodi, rogabat, ſed formâ ſi fieri poſ-
ſet, tabularum. Itaq; 3. Aprilis præſcripſi:℞.Rhab.
el.ʒ.j. Diagr. ℈.j. trochiſ. de Capparib. ʒ.ß.Diacur.
℈.j. Sacch. diſſ. in aquis Beton. ℥.ij.ß. fiant tabulæ:
Capiat vnam ponderis ʒ.j.alternis dieb. Quorū vſu
bis, ter, in die aliquando octies deiecit: tandemque
ſpōtè aluus reſpōdit, vrinæq; tinctæ meliùs,& craſ-
ſiores redditæ fuerunt, appetitusq; redijt.

Laſsitudinem & debilitatē membrorū, ſibi nunc
potiſsimū incōmodare referebat, themarumq; vſu
corrigi poſſe ſperabat. Verū ego differendas adhuc
ſuaſi, donec rectiùs interiora haberēt, electuariūq;
hoc præſcripſi 5. Iunij: ℞. conſer. Roſ. ℥.j. conſer.
Maior.

Maior. Anthos, Stœchados, corr. Citri ſacchar◉ conditi an.℥.ß.rob.de Ribes ℥.j.Myrob.embl.cond. num.j.ſpec.Roſ. nouel ʒ.ß. Cinam.ʒ.ij. Gariophyl. ʒ.ß.cum ſyrup.Roſ. ſol.fiat elect. Capiat inſtar nucis moſchatæ.

Superbibendo de aquis Gentianæ, Centaurij, Cichoreæ permixtis cum pauco Vino ad ℥.j.ß.

Poſtremò cum viſcera naturalia iam rectè ſe habere, ex colore meliore appetituque idoneo, vrinisq; bonis cognoſcerem, vt remanentiæ adhuc expurgarentur, circa finem Iunij ſic purgaui: ℞. Rhabarbari el.℈.iiij.Agar. troch. Cinamom. an.ʒ.j. Zingib. ʒ.ß. infundantur in Vino Abſynth. fiat expreſsio diſ. ſyrup. Roſ. ſol.cum inf. Rhabarbari ℥.ß. Diaphœn.ʒ.ij.fiat potio.

Reſtitutus, tantùm membra laſſa eſſe conquerebatur, thermas vt concederem, rogans; tandem annui.

Verùm corroborationis causâ, vt in thermis ſequenti vteretur ſuaſi: ℞. cortic. Citri cond. conſer. Roſ. recent. an. ℥.ij. conſer. fl. Cichorij, Acetoſæ ana ℥ j. rob. de Ribes ℥.j.ß. miſce: Capiat interdum manè.

Sed mutato conſilio, vti ancipiti erat animo, ante Auguſtũ Griesbachum profectus, acidas aquas bibit aliquandiu, dein ad Marchionis thermas ſe conferens, in illis, etiam per aliquod ſpacium temporis balneauit.

Domum reuerſus, cætera ſanus, membra ſtupere tantùm ſibi aiebat, quod tamen paruipendens, ex vrbe in arcem ſuam, quam Auguſtæ Rauracorum antiquæ habebat, conceſſit, vbi aliquandiu viuens, paulò ante hyemem, nocte quadam apoplecticus factus, biduo poſtea exſpirauit.

Cachexia in Febre lenta.

VIde in Febribus Lib. II. Febris lenta Cachexia &c.

Cachexia cum cardialgia & torminibus.

VIde in Cordis dolore Lib. II. Cordis dolor seu cardialgia &c.

Cachexia cum Mictione ardente.

VIde in Mictione ardente Lib. III. Eadem accidentia & cachexia &c.

Cachexia cum dentium dolore.

VIde in Dentium dolore Lib. II. Dentium dolor, hemicrania &c.

Cachexiæ cura potu Aquarum acidarum naturalium.

QVidam insignis potator, hepar adeò accenderat, vt continuò etiam ieiunus, vel statim in mensæ principio, vix dum gustato cibi morsello, bibere cogeretur, quod certum subsecuturæ tandem hydropis signum esse in multis obseruaui, ab hepatis nimia exiccatione, calore & tandem fissura, vti in Praxi docui, dependente. Cuius præludia iam in facie eius cachecticâ apparebant.

Quia acidas aquas bibere cupiebat, quòd reliqua respueret remedia, eas interdum Griesbacho, vbi illarum scaturigo est, aduectas, domi in caua sua asseruabat, & quādo Vino nimiùm incaluerat, sitis præternaturalis inde contractæ sedandæ gratiâ eas bibere assuetus, consilio meo vsus, vt ad fontem

tem harum aquarum proficisceretur, cõcessi, quas ea ratione biberet, quâ & alij ferè solent, iniunxi.

Primùm vt postquam eò peruenisset, corpus leuiter purgaret, sumendo syrupi Ros. sol. ex multis infusionibus ℥. ij. quas Aquâ acidâ naturali dilueret, atq; vno haustu biberet, & si aluus non aliquoties deijceret, altero die vel etiam tertio repeteret.

Dein vt exactis purgationis diebus, matutino tempore semper, sumeret cyathum vnum Aquæ acidæ, ab ipsa scaturigine haustæ, poculumq; manibus aliquamdiu retentum, vt frigus illius temperaretur, ieiunus ebiberet. Posteaq; inambulando ad semihoræ spatium & vltra, donec corpore incalescente sudaret, se exerceret, & sudore pannis calidis absterso, corporeq; ad pristinam temperiem redeunte, pranderet, cibo simplici contentus, non nimium salso aut aromatizato, Vinumq; aquâ Acidâ dilueret. A prandio tribus vel quatuor horis, lusu vel colloquio, citra magnam commotionem exactis, rursum cyathum aquæ acidę, eadem mensurâ, quâ primùm biberet, exercitioq; sudore prouocato, in lecto, paulisper quiescens, eum abstergeret, & cœnam, horâ vnâ absolutâ, vti de prandio dictum, sumeret.

Sequenti die hanc mensuram potus Aquæ semipoculo augeat, tantumque à prandio bibat, indies augẽdo, donec in septimanæ primæ exitu, cyathos quaternos vel quinos vnciarũ septem singulis dieb. ebibat, obseruans an per sudores vel aluum subsequatur excretio, atque quò natura vergit, eam sequatur, & si copiosas sedes habeat, ab exercitio nimio & sudore abstineat.

Elapsis diebus duodecim, vel duab. septimanis, denuò per septẽ dies, de mens. hac Aquæ detrahat eo ordine quo progressus est, donec ad potũ cyathi vnius reuersus sit, post sensim à potu illius aquæ, nisi Vino mistæ, abstineat.

Hac ratione & illi, & alijs simili intemperie hepatis laborantibus, Aquarum acidarum vsus profuit. Vti & melancholicis hypochondriacis. Illis verò, qui iam ascitici sunt, minimè confert, cùm aqua illa in abdomine retenta cum sero, ventris tumorem augeat; In quo post sectionem ventre aperto, aquaq; eductâ, ex odore aquam acidam sero commistam fuisse, vti & ex aqua, quæ ex tibijs fluebat, id deprehendere potui.

Abutitur enim eâ vulgus, eam in plerisque morbis desperatis, prodesse existimans, atq; mensuratim bibens, vnde partes naturales & neruosum genus, cui acida nocent, læduntur, pectori quinetiam & proin tussientibus & suspiriosis summè noxia est.

Sunt qui in aqua eadem calefacta, vti in alijs thermis, balneando per aliquot septimanas, moram trahunt, cùm illas bibunt, quod ego approbare vix possum. Sed in externis vitijs, scabie & tumoribus, hasce aquas potissimùm earumq; balnea, conuenire existimo.

Alia cura potu Aquarum acidarum naturalium peracta.

ARtificiales aquas acidas, & ferrugineo odore præditas, quales sunt acidæ naturales, illarumque gustum, odorem & vires nonnihil exprimentes, hoc modo quandoque paraui.

Sumpsi limaturam Ferri purissimi, vel Chalybis, & ad cyathi vnius quantitatẽ, affudi Aceti albi fortis mensur. j. sicque in infusione asseruaui benè occlusa dies aliquot. Et cùm ea vti volui, impleui doliolum mensuris triginta Aquæ fontis, atq; permiscui huius infusionis tantum, donec aqua aciditatem aliquam adepta esset, addito simul Aceto albo si

bo si non sit satis acida. Hanc in iisdem affectibus, loco aquæ acidæ naturalis propinatam, & maximè melancholicis, dedi, quibus & profuit,

Sunt qui Spiritum vitreoli permiscent, vt aciditaté acquirat, sed plurimis malè cessisse, obseruaui.

Icterus.

IAm diu ægrotauerat quidam Anno 1596. Dec. mens. toto corpore ex viridi flauescés, vrinę crassæ luteæ, compressiones adhuc sentiéti, dedi pilulas primùm Agregat. quę parùm mouerunt. Itaq; præscripsi sequens decoctum : ℞. rad. Sambuci & Cichoreæ recentium an. P. j. adde Limaturæ ferri in petia ligatæ, instar Nucis, coquantur in Vino & Aqua: Bibit per triduum, atque egregiè fuit purgatus.

Iussi eo absoluto, sudare in balneo, sumendo bis Rob. Sambuci, & Lixiuio se abluere.

Cùm octiduo exacto ad me veniens, vrinam adferret, adhuc ea tincta erat, iussi hoc decoctum reiterare. Quod ita profuit, vt mox discedens gratias egerit.

Macula lata cœrulea in febre.

PVellam octiduo ante morbo correptam inuisi, delirantem, tanto clamore, vt totam viciniam impleret & commoueret: de cardialgia sola conquestam dicebant parentes, pulsus debilis non admodùm celer. Et quod notatu dignum, macula ex nigro cœrulea, sub dextra papilla in pectore, talerum lata apparebat, nec eleuata erat; prædixi mortem, quæ & altero die secuta est.

Pestilentem vel malignam febrem fuisse suspicatus sum, quæ tunc in vicinia grassabatur, An. 1596. cum anno præcedenti nos reliquisset, in illa tamen adhuc se patefaciebat.

Icterus in puero.

PVer decennis quidam, toto corpore flauitie infectus, vrinam croceam penitùs & crassam, per aliquot dies, antequam consilio meo vteretur, mingebat.

Vocatus tandem 28. Nou. Anno 1597. cognoui aluum fluidam esse, frequentesq; deiectiones; appetitus alioquin non erat deiectus, plus tamen solito bibebat, pulsusq; nonnihil febrilis erat.

Iussi radices Graminis & Cichoreæ in aqua decoquere, decoctumque illud loco potus consueti bibere.

Dein vt sequentem iulepum bis in die sumeret: ℞. syr. de Endiuia, de Cichorea, aquarum Centaurij, Endiuiæ an. ℥.j. misce: Vtatur.

Radicem Cichoreæ conditam sæpè esitabat.

Tertio die, vrinarũ color flauus remittere cœpit.

Quartoque adhuc magis; sponteq; copiosam croceam egerebat materiam.

Assumpsit postea aliquoties, decoctum Cicerum & rad. Petroselini, in Iusculo carnium factum.

Cùm tamen febricula non integrè cessaret, venterq; nonnihil tumeret, propinaui syrupi Ros. sol. cum inf. Rhabarb. ℥.j. dissolutam in aqua Endiuiæ. Vnde copiosè deiecit, sensimq; viuidum colorem incolumitatemq; recuperauit.

Icterus Niger.

CVm Nanceum in Lotharingiam appulissem, Anno 1601. accersitus à Duce Lotharingiæ, Cardinalis filij suæ Celsitud. causâ, statim ad generosam & nobilem matronam quandam sum vocatus, quæ iam menses aliquot ex ægritudine deplorata, decumbebat: Conquerebatur de compressiuo cordis summo dolore, atque omnimoda

viriuma

virium proſtratione, appetitus omnis cibi penitus erat deiectus, febris lenta; aluus omnino erat conſtipata, per quam ſollicitata clyſteribus aut purgationibus, ſaltē albam, pulpæ lacteæ alicuius ſpiſſæ, egerebat materiam, nullo pacto tinctam, color in albo oculi, facie, & reliquo corpore flauus ad nigredinē tendens. Vrinæ adeò nigræ ac ſpiſſæ, vt ad atramenti ſcriptorij nigredinem inclinarent, quod ipſam & aſtantes terrebat, mortiſque certum indicium eſſe, ipſis perſuadebat, cum præſertim tot remediorum, imprimiſquè Apozematum & Clyſterum vſum, nihilomelius habuiſſet, ſed omnia in deterius abire videreatur, viribus ad extremum vſq; vt nec è lecto ſurgere poſſet, deiectis.

Icterum nigrum eſſe, mox pronuntiaui, ab obſtructionib. hepatis natum, & cū duritiem nullam in hypochondrijs deprehenderē, benè ſperare eam iuſsi, opus eſſe validioribus remedijs, quę vias adeò infarctas, reſerarent, admodùm ſcilicet amaris, quibus commodè non niſi in Vino, vel Pilul. formâ vti poſſet, adhęc continuò etiam niſi aluus horum vſu reſpondeat, Clyſteribus eam eſſe ſollicitandam. Verùm illa fatigata remedijs, pilulas ſe nullo pacto ſumere poſſe, fatebatur, fruſtràque hoc iā tentaſſe; Vinum abſynthites, ſicuti hoc illi nominaram, ſe minimè reſpuere, potiones aliàs ſe penitùs faſtidire. Itaque ſtatim Vinum præſcripſiſſem, niſi alij Medici, qui de calore Vini, multa obijciebant, mihi fuiſſent obſtaculo.

Coactus itaq; ad aliam formam accedere, vt minori quātitate, nec tam copioſa potione vteretur, ſyr. ſequentem præſcripſi: ℞. rad. Cichor. Gramin. Ruſci, Aſparagi an. ℥.ij. rad. Fœn. Petroſ. an. ℥.j. cort. Cappar. Tamar. cort. rad. Sambuc. & dulcis Amaræ an. ʒ.vj. herb. End. Cichor. Hepat. Eupat. commun. an. M.j. flor. Bugl. Borragin. Geniſtæ an. P.j. ſemin.

Anisi ℥.ß. f. Cuscutæ ʒ.ij. quatuor sem. frigidorum Maiorum an. ʒ.j. semin. Petroselin. ʒ.ß. Passularum enucleat. ℥.ij. Tamarindorum ℥.j. foliorum Sennæ ℥.iij. rad. Polypodij ʒ.j.ß. Epithymi ℥.ß. fiat decoct. in iure Cicerum, & in colaturæ ℔.ij. infunde Rhabarbari electi ℥.j. adde syrupi Rosarum solut. simpl. ℥.ij. Sacchari ℔.ß. aromatis. Cinamom. ʒ.ij. Santali citrini ʒ.j. coquantur ad consistentiã syr. Sumptâ ℥.j. cùm aluus non responderet, iussi Clysterem à prandio inijcere: Qui ℞. rad. Altheæ ℥.ij. radic. Lapatij, Bryoniæ an. ℥.ß. herb. Maluæ, Betæ cum toto, Violariæ an. M.j. Absynthij M.ß. summitat. Centaurij min. P.j. flor. Chamomill. Buglosf. Genistæ, Furfuris an. P.j. semin. Anisi ℥.ß. f. Apij ʒ.ij. Agarici ʒ.iij. fiat decoctio & in ℔.j. colaturæ, Dissol. Hieræ picræ ʒ.iij. Bened. laxat. ʒ.ij. olei Anethini & Violarum an. ℥.j.ß. Salis parùm fiat Clyster.

Ab illius vsu, pultem albissimam, vti solebat, deiecit. Sequenti die ℥.ij. syrupi sumpsit, sed valdè ægrè, nec tum deiecit, donec enemate iniecto, sub vesperam aluus primùm mota fuit, & adhuc copiosiùs quàm præterita die, eandem quoque materiam excreuit, nullo pacto adhuc tinctam, quod maximè optabamus, & obstructionis solutæ indicium requirebamus.

Cùm à syrupo solo obstructiones reserari, & proin nec bilem deorsum deturbari, deiectionesq; procedere ostenderem, multisque rationibus Vini vsum commendarem, ægraq; eum expeteret, ablegatis Medicis, ne mihi obstaculo essent, vt in proposito meo pergerem, iubebat.

Itaq; binas infusiones in Vino fieri curaui, quarum vna præpararet, altera simul naturam ad deiectionem sollicitaret.

Primæ infusionis formula erat sequens: ℞. rad. Cichoreæ, Asparagi an. ℥.j. radic. Fœniculi, cortic. Sambuci,

Sambuci, Ebuli, Dulcis amaræ an. ʒ. vj. rad. Rubiæ maioris ʒ. iij. herbar. Absynthij M. j. Chamædrios, Ceterach veri, Chamæpith. an. M. ß. flor. Borragin. Genistæ an. P. j. semin. Cuscutæ ʒ. ij. conquassentur omnia, addendo Limaturæ chalybis præpar. ʒ. iij. adde Vini ℔. iiij. stent in infusione benè obturata.

Altera sic parabatur: ℞. rad. Apij, Leuistici, Fœnicul. Petrosel. Gramin. Cichor. rad. Iridis, Rubiæ mai. an. ℥. ß. cort. Capparorum, Tamaricis, Fraxini an. ʒ. ij. cort. rad. Samb. & Ebul. an. ℥. j. herb. Absynt. ʒ. iij. Chamædr. Chamæpith. Ceterach. veri, Eupat. an. ʒ. ij. sem. Petros. Apij, Cuscutæ an. ʒ. j. flor. Cord. P. j. fol. Sennæ ℥. j. ß. fiat infusio in ℔. 9. Vini albi vinosi, adde Agarici trochisc. Rhab. an. ℥. ß. Spicæ ℈. j. Limatur. chalybis præpar. ℥. ß. in panno ligatę, Vinoq; immersę; stent p 24. horas, ante illius vsum.

Sumebat per biduum præparantē infusionem, tertiâ die purgantem. Vnde aluus semper mouebatur; sed quia alba adhuc excernebatur materia, pilularum vsum intermiscere oportere; vt vnum alterius operationem adiuuaret, ad obstructionem illam aperiendam, multis argumentis tandem illi persuasi. Ac licet ægerrimè ab initio pilulas sumeret, cùm tamen semel complures inuolutas pomo, ignorans tot in eo contineri, deglutiuisset, postea libenter illarum vsum repetijt, & præter illas & vina iam dicta, nihil amplius se assumpturam, Medicis eam visitantibus, constanter asseuerauit.

Pilularum descriptio hæc erat: ℞. gummi Ammoniaci dissol. in Aceto squillit. ʒ. j. ß. Rhab. ʒ. ß. rad. Asari, Gentianæ, trochisc. de Capparibus an. ℈. j. cineris Lumbric. limaturæ Chalybis præp. an. ʒ. ß. cum Terebinth. fiat massa pilul. Capiat ℈. ij. Atque sic factum est, dum vna die infusionem præparantem, altera purgantem, tertia die pilulas sumeret, vt tandem excrementa tingi croceo & atro colore

inciperent,ipsaq; cibum sensim appeteret, viresq; reassumeret. Perseuerauitque in horum vsu etiam post meum discessum aliquandiu, adhibito qui illi interea ex meo consilio, hæc medicamenta administraret, Medico iuuene aliunde aduocato, ne qui prius eam tractarant Medici, aliquid in meis medicamentis immutarent. Sicque integrè, præter omnium spem, restituta fuit, successum & laudans & liberaliter remunerata.

Icterus niger cum hydrope Ascite.

MVsicus primarius Ducis Wirtenbergici, totus nigro colore occupatus, vti & in albo oculorum, cum tumore pedum & ventris, vsus meo consilio Stutgardiæ, Anno 1568. cùm in cura Ducissæ essem, hisce planè fuit successiuè curatus.

Pilulas hasce ordinaui vt successiuè sumeret: ℞. pilul. de Agarico, Aggregat. an. ʒ. ß. Rhab. optim. ʒ. j. Spicæ, gummi Aminon. dissol. in Aceto, Diagrydij an. ℈. ß. cum succo rad. Ireos fiant pilulæ: Ex ʒ. ß. 9. Capiat quarto die, & statim superbibat cochlear. j. succi rad. Ireos cum pauco Saccharo.

Assumpsit duodecies, semperq; copiosas habuit sedes: ita vt, sicuti postea narrabat, supra 26. matulas plenas serosi nigri & pituit. humoris deiecerit.

Vinum bibit manè cum iusculum assumpsisset. Quod parabatur, sequentia in quatuor mensuris calidi Vini macerando: ℞. radic. Ireos rec. Apij. an. ℔. ß. cort. medij Dulcis amaræ ℥. ß. Soldanellæ ʒ. ij. semin. Hederæ ʒ. j. rad. Cichorij, Dentis leonis ana ℔. ß. Absynthij M. j.

Item: ℞. spec. Diagalang. Diacimin. Diarrhod. Abbatis, trium Santalorum an. ʒ. ß. semin. Fœnicul. Anisi, Cubeb. an. ʒ. j. Cinam. ʒ. ij. ß. Coriandri ʒ. ij. Sacchari ad pondus omnium, fiat puluis post pastum; De quo sumat frequenter cochleare vnum, post singulos pastus.

Icterus in Febre tertiana intermittente.

Vide in Febribus. Lib. 11. Febris tertiana intermittens, icterus.

Rubedo faciei cum pustulis.

IN gutta rosacea faciei sananda, cuidam doctissimo Viro, An. 1596. qui iam fuerat purgatus, & sanguinem detraxerat, sequentia iam vsurpanda, & autumni tempore repetenda præscripsi.

Inprimis verò hoc mense Maio, frequenter Lac caprinum manè bibat, in quo decoq. rad. Lapatij, herb. Mercur. Fumaria & teneritates, Sambuci & Lupulorum, addendo plus minusûe, prout aluus illorum vsu, magis minusûe deijcit.

Scarificatione singulis trimestribus vtatur, & cucurbitularum applicatione.

Venam adhuc semel ante canicularium aduentum aperiat, in sinistro brachio.

Caueat à cibis salsis, aromatisatis, calidis, vino forti, quibus sanguis accenditur.

Vngat faciem vnguento sequenti: ℞. Litharg. quart. j. infundatur in Aceto fortissimo, sæpè moueatur, & Acetum effundatur, residentia sumatur, cui adde Camphoræ dissolutæ in Aceto ʒ.ß. (Addidissem ol. f. Cucurbit. sed non habebat) Pomadæ. q. f. fiat linimentum.

Manè hoc decocto abluat: ℞. Fabarũ conquassatarum parùm & Oryzæ an. P. j. decoquat in Sero lactis, & eo abluat faciem.

Quòd si non sit satis efficax vnguentum, succum Granatorum illi permisceat.

Si pannos suffumigaret Sulphure & Thure permixtis, & carbonibus iniectis ardentibus & pan-

nos faciei applicaret, & hoc quoque plurimùm iuuaret, Vnguento citrino rectè præparato vti quoque poterit, vel priori vnguento, id permiscendo.

Reuersus ex Italia, cū illum inspicerem, vix amplius apparebat rubedo, dicebatq; imprimis profuisse vnguentum ex Lithargyrio.

Facies rubra, squalida, pustulis referta.

In studioso patricio Anno 1565. cura sic fuit instituta. Præparaui materiam: ℞. syrup. Acetosæ simpl. de Cichorea simpl. an. ℥. j. ß. aquar. Cichor. Acetos. an. ℥. iiij. fiat Iulep, pro tribus vicibus.

Purgatus fuit hoc modo: ℞. aquarum Endiuiæ, Cichoreæ an. ℥. iij. aq. Acetosæ, Bugloss. an. ℥. ij. inf. fol. Sennæ ℥. j. ß. Epithymi ʒ. ij. Tamarind. ℥. ß. bulliant in duplici vase, & in colatura parùm expressa infunde Rhab. ℥. ß. Spicæ ℈. j. rursum fiat expressio, adde syrup. de Fumaria simp. ℥. ij. syr. Diasereos ℥. j. Bibat tribus vicibus.

Inungat faciem seqēnti: ℞. spec. vnguenti Citr. ʒ j. Sublimati ℈. ß. ol. de Tartaro, succi Limonum an. ℥. ß. Lithargyrij ʒ. j. Cerusæ ʒ. j. ß. misceatur cum pauca Pomada: Inungat. Exulcerabatur nonnihil, quare iussi rariùs vti.

Postea hanc aquam præscripsi: ℞. aquarum Ros. Plantag. fl. Fabarum an. ℥. iij. aq. Acetosæ ℥. ij. Aluminis ʒ. ij. misce. Hæc plurimùm profuit, cùm ea diu multumque vsus esset, rubedo cessarat ex parte, pustulæque sanatæ. Exactis multis annis, mihi iter facienti per ipsius patriam, hanc adhuc laudauit aquam. Faciem quidem subrubram nonnihil semper retinuit, erat enim originale, sed nec tophis nec pustulis inæqualem, sed planam.

Facies pustulis & rubore defædata.

PVellæ nobili facies admodùm defædata erat, iam multos annos, pustulis siccis flauescentib. serpentibus, accedente rubore, ita vt de lepra suspecta esset, præsertim cùm multa frustra tentasset remedia, & euanescentibus aliquibus nouæ subinde rursum erumperent.

Tandem vocatus veris tempore, Anno 1557. in initio praxeos meæ, primò venam aperui brachij.

Scarificatione postea, adhibitis cucurbitulis in scapulis, iussi vti singulis mensibus.

Vesicatorium quoque ex Cantharidibus nuchę applicui, quod magnam illic vesicam excitauit, & quod admirandum, vt aliquandiu sanguinem minxerit, fecit.

Bibit aliquoties hoc decoctum: ℞. summit. Lupulorum recent. Fumariæ recentis an. M.j. fol. Sennæ ℥. iij. decoquantur in Sero caprino, coletur: Bibat vno haustu, & repetat quamdiu ferre poterit.

Alternis diebus vel tertio, cùm decocto abstinet, sumat sequens: ℞. conseru. Viol. ℥. j. ß. conf. flor. Cichorij, Ros. an. ℥. j. pul. Triasant. ʒ. j. ß. Dyarrh. abb. ʒ. j. syr. de Eupatorio q. s. fiat electuarium. Capiat bolum vnum.

His aliquandiu cùm esset vsa, dedi hunc bolum: ℞. Cathol. ʒ. ß. conf. Hamech. ʒ. j. ß. Capiat.

Vnguentum pro facie sequẽs postea præscripsi: ℞. Litharg. auri, Cerusæ, an. ʒ. ij. Vnguenti citrini ℥. j. ß. Thuris albi, Mastich. an. ʒ. j. ß. rad. Serpentarię, Ossis sepiæ an. ʒ. j. ol. Tartari ℥. ß. succi Limon. ʒ. j. misceantur: Inungat faciem.

Cùm crustæ remanerent, & vnguẽtum spissum illis adhæreret, iussi manè semper abluere aquâ fl. Fabarum.

Recesserunt hac ratione, sed mox iterum de nouo obortæ sunt pustulæ.

Denuò itaq; eam phlebotomia vti iussi: Alteroque mox die scarificationibus.

Purgauiq, de nouo: ℞.fol.Lupuli, Fumariæ an. M.j.fl.Cord.P.j.sem. Anisi ʒ ij.fol.Sennæ ℥ j.Epith. ℥.ß.decoq.in Sero lactis: Bibat duabus vicibus. Sed in posteriore dissolua t confect. Hamech. ʒ.ij.

Electuario deinde vtatur: ℞.conf.flor.Cichorij, Violar.an.℥.j.conf.fl.Bugl.Nympheæ an.℥.ß. pulu. Triasant. duplicato Rhab.ʒ.ij. Diarrhod.abb.Diamarg.frig. an.ʒ.ß. medullæ f.Melonum ʒ.ij.syrup. conf. cort. Citri q.f.fiat electuarium. Capiat alternis diebus bolum.

Postea illinat faciem singulis noctibus hoc vnguento: ℞.spec. vnguenti Citr.℥.j.ß. Camph.ʒ.ß. Boracis vsti ʒ.j.Ossis sepiæ ʒ.ß.rad.Serpent.ʒ.j. lactis Virginalis parati ex Litharg. cum Aceto & aq. Fabarum ℥.iij. succi Limonum vel Arantiorum ol. de Tartaro, de Frumento an.℥.ß.Fugitiui ʒ.j.(plus addidissem sed valdè denigrabat) misceatur benè, siccabatur sæpe, sed rursũ succis molle reddebatur.

Manè abluat hac aqua: ℞. cuspidum Rof.P.j.fl. Viol.M.j.Furfur.℥.ij.Cicerum rubr.cóquaf.P.ß.rad. Ireos ℥.j.rad.Lil.℥.ij. rad. Serpentariæ, Cyclaminis an.℥.ß. adde Aquæ mens.ß. eliciatur aqua. Quam cùm faciem eâ lauat, aquâ Fabarum diluat.

Absumpto semel vnguento, denuòque parando addidi Litharg.Borracis an.ʒ.j.

Et hac ratione sanata fuit, & licet pustulæ sæpè iterum emergerent, inunctione mox siccabantur, & crustâ decidente, sanabantur, donec integrè restituta, iam annos triginta quatuor, nihil amplius apparuit, & ab omni suspicione lepræ libera fuit.

Facies rubra pustulosa, cum Scabie peruersa circa emunctoria & manus.

GEnerosus quidam Baro, annorum circiter 17. macer, facie & rubra & pustulosa, scabieque frequenter affici solitus, in Academiam nostram missus, & consilio meo, vt ab hisce vitijs liberaretur, à parẽte suo magni nominis Domino, vti iussus sequenti modo cura à 17. Febr. An. 1613. incœpta administrataque fuit.

Itaq; primùm purgatio leuis præmissa, inde præparatione per triduum mox validiore cathartico, vti & per vices aluo sæpiùs cõstipata purgatus fuit. Sumpsit item Conseruas sanguinis feruorem contemperantes, superbibendo Aquas conuenientes, & continuando ad Aprilis mensem vsque.

Postea vt sanguis laudatus gigneretur, temperatus, purus, Lactis caprini manè & vesperi poculum vnum singulis diebus, ad septimanas sex bibit: plerumque simplicis aliquando compositi, in quo semin. Fumariæ & Lupulorum & Senna interdum decocta essent. Victus insuper laudatus, non nimiùm salsus aut aromatisatus ei iniunctus.

Pro scabie quæ admodùm corpus illius, in emunctorijs præsertim & manibus inuestabat, exsudante ichore flauo bilioso, in manibus præcipuè, cum fissuris illic & dolore, in Balneo sequenti ad sesquihoræ spatium, per dies aliquot indies semel nudus sedit: ℞. Gypsi vsti ℔. ȝ. Aluminis quart. j. Tartari Vini albi ℥. iij. radic. Lapatij acuti quart. j. Bryoniæ ℔. ß. herb. Maluæ, Viol. Plantag. Hederæ an. M. ij. rad. Ari, vel Gersæ serpent. ℥. j. decoquantur in Aqua, pro balneo.

Cùm præcipuâ ſcabiei parte ablatâ, ſupereſſet adhuc fœda circa emunctoria præſertim, Vnguento loca illla poſt balneum inunxit: ℞. ol. Roſ. ℥.ij. Butyri recent. ℥.j. Litharg. ℥.j. Ceruſæ ʒ.j.ß. Gerſæ ſerp. ℥.ß. lap. Calaminaris ʒ j.ß. ſucci Plantag. ℥.j. cum Terebinthina fiat nutritum.

Sublatâ vndiq; ſcabie, manus valdè aſperæ erát, & aridæ, ob quam cauſam, decocto ſequenti, vt emolliretur cutis, immergere aliquoties iuſsi: ℞. rad. Altheæ ℥.j.ß Liliorum alb. ℥.ij. herb. Maluæ, Violariæ an. M.ij. decoquantur.

Maio menſe, vt puſtulæ faciei tollerentur, & rubedo emendaretur, hæc aqua fuit præſcripta: ℞. Fragorum non plenè maturorum ℔.j. Poma acidula num. ij. radic. Lapatij in talleolos ſectarum ℥.vj. Roſ. rubr. recent. P.iij. herb. Acetoſæ hortenſis, Plantagin. an. M.j. adde Lactis caprini ℔.ij. Album. ouorum num.x. Aluminis ℥.j. Thuris, Camphoræ ana ʒ j. eliciatur aqua per deſtillationem. Seruetur primò media illius pars quæ effluit, eſtque hæc efficacior quàm altera, quâ faciem noctu madefaciat.

Hoc cùm aliquoties feciſſet, puſtulæ maiores ſuppuratæ & diſruptæ, purulẽtam materiam ſubrubram profuderunt, poſtea ſiccatæ, euanuerunt ſimul cum rubore, & ſic à ſcabie atq; hac faciei diſcoloratione, liberatus eſt.

Autumni tempore cùm ſcabies denuò certis in locis, non tamen adeò peruerſa, vti priùs, ſe manifeſtaret, corpore iterum purgato, balneum repetijt, verùm non adeò potenter exiccans, ne cutis exaſperaretur, ſic fuit paratum: ℞. rad. Lapatij rec. ℥v. rad. Bryoniæ quart. j. herb. Scabioſæ, Maluæ, Saponariæ, Violarum an. M.ij. Alum. ʒ.vj. pro balneo. Vnde quoque rurſum ſanatus.

Quia facies denuò nonnihil expullulabat puſtulis,

ſtulis, ſequenti aqua rurſum ſanatus fuit: ℞. Lithargyrij ℥. ß. Boracis ʒ. ij. Gerſæ ſerp. ʒ. j. Aluminis ʒ. ß. ſucci Limonum ℥. ß. Aceti albi ℥. j. aquæ fl. Fabarum & Roſ. an. ℥. ij. ß. miſce.

Poſt peregrinationem frigore inualeſcente, mẽſe Nouembri, cùm rurſum in facie aliquid erumperet, ſequenti lacte virginali, illi mox proſpectum fuit: ℞. Lithargyrij ℥. j. Aluminis ʒ. j. Boracis ʒ. iij. Ceruſſę ℥. ß. Aceti, Aquę roſ. & Plantag. an. ℥. ij. bulliant ad conſumpt. tertiæ partis, coletur, adde ſucci Limonum ℥. ß. Illinat faciem.

Faciei rubedo & liuiditas, accedente Cephalalgiâ, Tumore colli, Menſtruorumq́ ſuppreſſione.

MVlieri cuidam trigeſimum annum ſuperanti, An. 1559. facies rubore admodùm ſuffuſa erat, & frigido aëri expoſita, congelato tunc ſanguine (vti fieri ſolet, in locis fungoſis ſanguine redundantibus) liuida ſubnigraque inde facta, turpem aſpectum præbebat, adeò vt vulgus eam leproſam eſſe cenſeret. Huic cùm collum aliquando intumuiſſet, caputque vehementer doleret, facieſque inflammata eſſet (Carbunculum noſtri hunc affectum vocant Carfunckel) ex meo conſilio, Oxyrhodynum fronti adhibuit, ſimplex ab initio, mox addito Album: oui conquaſſato, & tantillo Lactis: cuius vſu cephalalgia nonnihil remiſit.

Cucurbitulas ſcapulis ſiccas adhibuit, collumque Lanâ nigrâ ouium ſuccidâ, oleo Liliorum inunctâ, cum panno linteo Cannabeo ex vſu iam ſordido, calidè obuoluit.

Conquerebatur de faciei ardore & pruritu, & cùm intellexiſſem, totius anni ſpatio, menſes ei nõ fluxiſſe, præſcripſi: ℞. trochiſ. de Myrrha ʒ. j. rad.

Azari.fol.Sabinę,ſeminum Apij, Petroſel.cort.Caſ. ſiæ fiſtular. an.ʒ.ß. Cinamom.ʒ.j. Sacchari ℥.j. fiat puluis. De quo capiat manè interpolatis diebus ʒ. j. vel plus, cum Vino, in quo radix Eryngij infuſa ſit.

Purgaui quoque illam ſequenti Apozemate: ℞. rad. Ruſci. Aſparagi an. ℥.j. ß.rad.Fœnic. Petroſ.an. ℥.j.macérentur omnia in Vino:rad.Azari ℥.ß.herb. Fumariæ, Lupulorum, Bugloſ. cum toto, Dentis Leonis, Cichorij, Ceterach. an.M.j. ſeminum Cucurb.Melonum an. ʒ.ij.ſeminum Endiuiæ & Aceтоſæ an.ʒ.j.Paſſul. ℥.j.fol. Senæ ℥.j. ß.rad. Polypod. ℥.ij. Epithymi ℥.ß.fl. Cord. an.P.j. fiat decoctio, in colatura infunde cort. rad. Hellebori nigri ʒ.j. ß. Zedoariæ, ſe.Pæoniæ an.℈.j. (ad correct.Hellebori & ob metum conuulſionum ex helleboro) Rhab. ℥.ß.ſtent in infuſione feruenti, exprimantur,adde ſyr.de Pomis redol.de Roſ.ſolut.an.℥.ij.de Bugloſ. ℥.j.fiat Apozema pro quatuor vicibus, arom.Santalo citrino.

Poſt purgationem, capitis dolor penitùs ceſſauit, ſed quia adhuc de tumore colli cõquerebatur, ord.℞. Succini,Maſtiches an.ʒ.j. ſem. Nigellæ ʒ.ß. fiat puluis, proijciatur de eo ſupra carbones; Fumusq́; Panno linteo excipiatur,calidusq́; collo applicetur, tumorq́; ex eo colli ſubſedit.

De Vigilijs conquerebatur, quas ſyrupo Papaueris exhibito emendaui.

Reſtabat rubedo conſueta faciei, quam vt corrigerem, cũ rogaret, vt ſucceſsiuè purgaretur, ord. ℞.Catholici ℥.j.el. de Succo roſ.Diaphœn. an.℥.ij. Trypheræ perſicæ ℥.ß. Rhabar. ʒ.j. ß. Spicæ gr.v. Agarici troch.ʒ.j.medullæ ſem. Carthami ʒ.ij. cum ſyr.Roſ.ſol.q.ſ.fiat electuarium; De quo ℥.j.hebdomadatim ſumat, per ſe vel diſſoluendo.

Vt venam ſub autumnum aperiret iuſsi.

Interea verò hoc elect. vtatur: ℞. conf. Viol. Buglos. fl. Cichorij an. ℥. ß. sp. Triasantali duplicato Rhab. ʒ. j. ß. Diarrh. abb. troch. de Tyro an. ʒ. ß. cum syrupo de Pomis redol. Vtatur sæpe.

Ad faciem rubore & liuore commaculatam adhibui: ℞. Tartari vini optimi ℥. quat. calcinentur, adde Borracis, Sacchari candi an. ʒ. vj. mucilag. se. Psylij extractæ cum aqua Solani ℥. iij. Lactis caprini ℔. ß. albũ Ouor. nu. x. Camphoræ ʒ. j. misce, eliciatur aqua; Quâ faciem madefaciat sæpe, vnde rubedo cessauit, subliuida tamen nonnihil mansit circa genas, quod ægrè potuit extergi, nec illa alijs vti voluit.

Nihilominus à chirurgo persuasa, hoc à lue venerea prodire, suffitu cinnabatis vsa est, vnde peius habuit, recruduitque malum, & ad me reuersa, errorem fassa est, veniamque rogauit. Iussi vt priorem curam repeteret, venamque saphenam aperiret. Vixitque postea multos annos incolumis, læta se à lepræ suspicione liberatam esse.

Pustulæ rubræ faciei.

CONsilium dedi cuidam Burgundo, An. 1604. Maio mens. in eiusmodi affectu, quod & alijs impuritatibus à sanguine impuro prodeuntibus conuenire dixi.

Vt biberet Seri caprini veris tempore, manè & vesperi, bonam quantitatem: per dies octo.

Venam interea aperiret hepaticam appellatam.

Postea ad dies triginta continuaret hoc Apozema: ℞. fol. Senæ ℥. ij. Polypodij ℥. ij. Agar. ʒ. iij. Turbith ʒ. ij. rad. Cichoreæ, Dentis leonis an. ℥. j. ß. rad. Enulæ ℥. ß. cort. rad. Sãbuci, & Tamar. an. ℥. j. herb. Endiuię Acet. Buglos. cũ rad. an. M. j. ß. sum. Thymi, Betonicæ. an. M. j. florũ Buglos. vtriusq;. Viol. Ros.

Scab.an.P.j.ſe.Aniſi ʒ.ij. ſe.Fœnic. Corian.an.ʒ.j.ſe, Acetoſę, Zingib.an.ʒ.j.ß.decoquantur in ſ.q.Aquę, & in colaturæ q.ſ.adde ſucci Pomorum redol. ℥.iij. ſuc.Fumariæ, Bugloſsi, rad.Iridis an.℥.j.ß.ſyr.Roſ. ex infuſ. ℥. quatuor, Sacchari ℥. iij. coquantur ad mediam conſiſtentiá.arom. Cinam.ʒ.ij.Capiat ſingulis matutinis, quantitatem eam, quæ illi ſedes binas aut ternas moueat. Continuet ſi ferre poterit, vti dictum.

Regimine interea conuenienti vtatur.

Hac ratione multi ab externis eiuſmodi vitijs, ſanitati reſtituti fuerunt.

Facies rubris maculis conſperſa, inflata, & cruſtis ſerpentibus defœdata.

FAcies ſeni cuidam, An. 1595. ebrio, barbato, rubris maculis commaculata & inflata, cruſtiſq; flauis ſerpentibus per barbam defœdata fuit, adeò vt elephantiaſin metueret. Vix octiduum hoc remedio vſus, conualuit, & poſtea recidiuam paſſus, iterum ſanatus eſt eodem. Quo remedio nunc noſtri pharmacopœi in alijs quoque ſimilibus faciei affectibus abutuntur.

Poſt purgationẽ factam, cum Cathol. ℥.ß. conſ. Hamech ʒ. iij cum aqua Fumariæ.

Illinat faciem hoc liquore: ℞. Lithargyrij auri pulueriſati ℥. j. Aluminis ʒ. j. Boracis ʒ.iij. Ceruſæ ℥.ß. Aceti ℥. ij. aquarum Roſarum & Plantag. an. ℥. iij. bulliant lento igne ad conſumpt. tertiæ partis, poſtea coletur, adde ſucci Limonum. ℥.ß.

Rubedo ſemifaciei.

PVero cuidam annos nato duodecim, exercitio alióve modo incaleſcenti, dextrum faciei latus medium,

medium, à fronte deorſum, naſi & buccarum mediâ ſede æqualiter diſtinctum, vehementer, donec calor totius corporis ceſſaret, rubebat, alterâ ſiniſtrâ ſede, ne minimùm in colore naturali mutatâ, hocque multos annos illi erat familiare. Sicuti ipſe cùm Lucernæ eſſem, hoc in illo vidi.

Macula ſeu Linea rubra originalis, corpus ſecundùm longitudinem peruadens.

GEneroſa quædam mulier, maculam rubram lineæ inſtar ſanguinolentæ, à fronte per mediam faciem, collum, thoracem & ventrem deorſum deductam, corpus veluti in duo æqualia diuidentem, ab ortu habebat, ad extremum vſque vitæ, in gemino matrimonio ſterilis retinuit.

Macula ab ortu fuſca in facie.

PVella quædam ab ortu maculam ſecum in lucem attulit, eratque in facie, iuxta latus oculi dextrum: fuſco colore, rotunda, vnguis maioris inſtar lata. Quam mater, vt venuſtiorem redderet, delere cupiens, multa fruſtra tentauit: tandem cauterio meo potentiali indolenti adhibito, cutem eâ latitudine, quâ erat macula aduſtam, & in eſcharam conuerſam, exemi, in cuius locum poſtea cicatrix alba nata, cùm ea cutis colori magis eſſet ſimilis, vix ab ea diſcerni potuit.

Echthymata ſeu Morbilli in Febre Synocha.

VIde in Febribus. Lib. II. Febris ſynocha, echthymata, &c.

Pustulæ pestilentiales, sine febre aliáve noxa, ex contagio erumpentes.

CVm in peste illa magna, Anno 1564. apud nos grassante, quamplurimos indies inuiserem, accidit, vt pulsum cuiusdam mercatoris, animam iam agentis tangenti, à sudoribus frigidis lethalibus, in agone quandoque erumpere solitis, manu madefactâ, pustula omnino hisce similis, quæ quandoque in peste correptis primùm prodire, posteaque in anthracem abire solent, iuxta pollicem in medio illius & inter indicē, subitò mihi exorta sit. Quâ visâ nonnihil perterritus, me peste infectum hoc indicio credens, quod & alij, quibus hoc ostendebam, putabant, domum properans, vt aliquid sumerem, priùs pulsum meum exploraui, an febricitarem necne, cùm verò nullam febrem deprehenderem, nec aliquam virium prostrationem, cænaui, sumptaque in omnem euentum Antidoto, in lectum me collocaui, quieteque dormiui, atque manè, pustulam euanuisse lætus animaduerti.

Hoc idem socero meo chirurgo, in eadem peste, sed in pedibus euenit. Cui peste quoque infectis operam danti, anthracesque & bubones pestiferos tractanti, binæ eiusmodi pustulæ in pedis superficie eruperunt, quas & ipse & ego facilè pestilentes esse cognoscebamus. Verùm & ille nihil incommodi inde sensit, & sumptâ quoque antidoto, in lectum se componens, quid futurum esset expectaturus, cùm nulla aliâ superuenirent symptomata, rursum post horas aliquot surgens, eas neglexit, quę & sponte mox subsederunt.

Pustu-

Pustulæ in Lue Venerea.

Vide in Defœdatione. Lib. III. Bis. Pustulæ crustaceæ, &c.
Dein Pustulæ & cephalea.

IN EXTVBERANTIA Obseruationes.

Leucophlegmatia ex nimia sanguinis detractione.



Ræceptor cuiusdam generosi, annorum circiter viginti quinque, admodùm eruditus & studijs deditus, in peregrinationibus, cum suo Domino, in colicum dolorem incidit, à quo diu afflictus resolutis & atrophiâ laborantibus membris, tandem conualuit. Cumq; post aliquot tempus, Dominum suum domum reducem comitari vellet, in deliriqm incidit, ob quem casum à Domino suo derelictus, in pago quodam, chirurgi Empirici curæ, qui maniacos, largâ sanguinis detractione sanare solebat, commissus est. Qui eum partim adhuc delirantem, & mentis minimè compotem, partim ad se iam redeuntem, vi coactum, tot phlebotomijs exhausit, vt ad extremam imbecillitatem peruenerit. Tandem ab eo liberatus, cùm ad nos, An. 1597. venisset, pallidus, facie tumescente, ventre nonnihil inflato & pedibus, leucophlegmaticus ex nimia sanguinis inanitione fact9, consiliũ meum peteret, videremq; hæc, & vrinam crudam omnino & albam inspicerem, & ex cruditate, ac flatibus, viscerum ventriculi & hepatis imbecillitatem, deprehenderem, ne in hydropem confirmatum incideret, sequentia illi præscripsi,

Et primùm vt exquisitâ viuendi ratione, incibo temperato, laudato & Vini albi maturi potu, exercitio decenti, vteretur.

Pilulas dein hasce semel atque iterum assumeret: ℞. pil. Mastichin. de Hiera simp. an. ℈. j. cum Vino albo, fiant Pilulæ.

Vinum sequens ad viscera roboranda, & excrementorum prouentum impediendum, vt tertio die biberet suasi: ℞. rad. Galangæ, Cyperi an. ℥. ß. herb. Absynth. Maiora. an. ʒ. iij. Spicæ Celticæ ʒ. ij. flor. Rosmarini, Saluię, Rosarum, Buglos. vtriusque an. ʒ. ij. sem. Fœniculi ʒ. iij. Rhabar. ʒ. ij. Cinamom. ʒ. j. ß. Myrobal. Citrinar. ℥. ß. conquassentur pro mensura j. Vini. A cuius haustu semper aluus respondit.

A cibo sumpto mixturæ sequentis coch. ij. sumere iussi, & manè quoque interdum: ℞. conser. Ros. carnium, Cyton. condit. an. ℥. j. Zingib. conditi, conser. Maioranæ, conser. flor. Cichor. an. ℥. ß. pul. Diacyt. sine spec. ʒ. j. se. Fœn. præp. ʒ. ij. Corian. ʒ. j. ß. Carui ʒ. ß. Cinamom. ʒ. ij. Piperis ℈. j. Sacchari rosati tab. q. s. fiat Mixtura.

Inunxit ventriculi regionem & hepatis hoc vnguento: ℞. ol. Nard. Amygd. am. an. ℥. j. ß. succi Apij, Aceti albi an. ℥. ß. fiat decoctio ad succorum consumpt. adde rad. Azari ʒ. j. Spicæ, Santali incis. ana ʒ. ß. Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Atque interdum manè sequentibus est vsus tabulis: ℞. spec. Arom. ros. trium Sant. an. ʒ. ß. troch. de Eup. & Capp. an. ℈. j. Sacchari dis. in aqua Ros. Endiuiæ ℥. iij. fiant tabul.

Vt in balneo ieiunus interdum sudaret, consilium dedi. Horum vsu color viuidus redire cœpit, meliusque habuit, & gradum Doctoratus, in arte Medica adeptus, postea discessit incolumis.

Intu-

Intumescentia totius corporis.

VInitor quidam vir robustus, à labore domum reuersus, Martio men. An. 1603. & de tensione præcordiorũ conquestus, eâ nocte totus intumuit: facies inflata; manus & pedes tumidi: venter distentus erat. Iussi vxorem illi decoquere corticem medium Sambuci, rad. Iridis & cort. virgultorum Dulcis amaræ in Vino & Aqua. Bibit per quadriduũ, manè & vesperi haustũ, vnde aluus aliquoties deiecit, faciesq; primùm detumuit, mox & manus.

Verùm cum post decẽ dies reuerteretur, & crura vniuersa adhuc tumerent, dedi illi pilul. Agregat. ʒ.j. cum succo Iridis, vnde per biduum sæpe & copiosè deiecit, pedesque omnino subsederunt, tumorque omnis euanuit.

Inflatio totius corporis.

INtumuit toto corpore, puella quædã, facie quoque inflata, ventreque distento, per aliquot dies, summâ pectoris angustiâ laborans. Cùm nihil admittere penitus medicamentosi vellet, iussi illi rasuram Cornu cerui subtilissimè tritam, in Iusculo aliquoties exhibere. Quo ter quaterq; facto, subitò detumuit, & curata est. An. 1596. Octob. mens.

Hydropis principium.

SEnex quidam septuagenarius, circa solstitium æstiuale, An. 1597. angustiam pectoris sentire, pedesque noctu tumidos habere cœpit; vrina cruda, alba erat, quæ principium hydropis denotare videbantur.

Itaq; vino sequenti eum uti iussi, quod ℞. radic. Cichor. Fœnicul. & cort. rad. Sambuci, Absynthij an. M. j. ad mensur. j. vini, coquantur in duplici vase: Bibat per quadriduum.

Quod cùm fecit aliquoties, ſingulis diebus purgabatur. Vrina 23. Octobr. rurſum benè colorata, qualis in ſanis eſſe ſolet, apparuit, dyſpnœa remiſit, tumorque pedum penitùs euanuit.

Hydrops aſcites in muliere.

MVlier hydropica, ventre prætumido, & pedibus inflatis meo conſilio vſa, ſequentibus remedijs, Anno 1604. Nou. menſ. tertiâ poſtea ſeptimanâ perfectè conualuit.

De ſequenti electuario, ſingulis noctibus, horis quatuor vel quinque poſt cœnam, ad ſomnum ſe componens, inſtar nucis moſcatę ſumpſit, quod ℞. rob de baccis Sambuci & Ebuli an. ℥. j. ſyrupi de Papauere (vt ſudores vehementiùs mouerentur, ſicuti experientiâ compertum, narcotica ſudores prouocare, quo nomine & antidota opiata, vt theriacam mithridatum ſudores mouere, alibi oſtendimus) ſpiritus Iuniperi an. ʒ. vj. miſceantur. Vnde verſus diluculum vehementer ſudauit.

Manè poſtea vtebatur, hauſtu Vini in quo rad. Aperitiuæ, cortices Sambuci & Ebuli, vnà cum Abſynthio, macerata erant. Sicque tumor ventris & pedum ſenſim ſubſederunt, atque euanuerunt, ipſaque reſtituta fuit.

In Alio.

IN hoſpitali ventre tumente & pedibus, ægrotabat pauper, An. 1611. Sept. cui Vino hoc medicato ſubuenimus.

℞. rad. Iridis ℥. j. ß. cort. rad. Sambuci & Ebuli ana ℥. j. Abſynthij ſicci ʒ. ij. fol. Senæ ℥. j. ſem. Carui ʒ. j. Vini menſurâ j. coquantur leuiter in duplici vaſe; Bibat manè hauſtum aliquoties.

Multùm & frequenter inde minxit, ſenſimque tumor

tumor ventris & pedum ſubſedit, ſanitatique reſtitutus eſt.

In Alio.

HYdropico cuidam ſartori, propinaui ſuccum Ireos, vt biberet ad ℥.ij. addito Melle: vnde plurimùm & ſæpiùs minxit & deiecit: & poſtquam repetijſſet bis vel ter, detumuit venter pedeſque ſubſederunt, ipſeque ſanatus eſt, Anno 1557. Decembri menſe.

In Alio.

ABbas quidam hydropicus, cùm ſequentem aquam per menſis ſpatium manè & veſperi ad ℥. quatuor, ſingulis vicibus bibiſſet, copioſè inde mingens, leuamen ſenſit, adeò vt dyſpnœa aliquomodo remitteret, & ventris tumor ſubſideret. Verùm ob læſionem hepatis, vt poſtea deprehenſum fuit, licet aqua ex abdomine fuerit exhauſta, mox tamen redijt, atque hypropem de nouo, qua tandem occubuit, produxit.

Hydrops aſcites, ob hepatis & lienis vitium.

IN ancilla nubili hydropica, cùm eam in hoſpitali mortuam aperiremus An. 1598. Ian. 31. deprehendimus hepar vna partè malè affectũ, fungum veluti adnatum habens, in quo, inſtar concreti quid inerat; lien quoque intrinſecùs vitioſus. Abdomen & venæ ſero impletæ. Vterum cùm inſpiceremus, ſanum alioquin, vidimus, & magnitudine ouum columbinũ non ſuperare, ſpiſſum albũ, cauitate exiguâ, cuius orificium anguſtum, oblongũ, rugoſum, clauſum, extrinſecùs rubẽs; quòd vnà cum vtero, ceruice illius abſecta inuerſa, glandem,

penis appositè exprimebat. Quæ naturalis vteri forma cùm sit, eam hîc quoq; , cùm longè aliam illi vulgus assignet, annotare placuit.

Hydrops ascites ob hepatis, lienis fissuras & vesiculas.

VEsicas tenuissimas, pellucidas aquâ distentas, pomi magnitudinem nonnũquam æquantes, maiores interdum, interdum minores hepatis substantiæ accreuisse, in cachecticis dispositis ad hydropé, vti & hydrope ascite mortuis, sæpe inueni. Sed & similes ex hepate & liene simiæ quamplurimas citra sectionem expressi, integrasq; manibus excepi, seroso humore subrubro refertas, aliasque citrinâ aquâ turgentes, è bilis vesicula exemi. Quales quoq; sed limpidissimâ aquâ plenas, mesenterijs porcorum adnasci, lanij aliquoties mihi ostenderunt, idque sæpiùs se obseruasse prædicarunt. Quod & in hominibus accidere posse, cùm homo omnibus morbis, quibus & bestiæ longeq; plurib. obnoxius sit, mihi cogitandi primùm, postea etiã indagandi occasionem præbuit. Vti & quòd hepatis substantia vulnerata, & ex parte amissa, sanari & reparari fortè quoque posit, ex eo colligo: Cane enim venatico cuiusdam nobilis, ab apro in venatione sauciato, vt hepatis illius pars ex vulnere pro mineret, canis portionem illius, dum vulnus, vti solent, lamberet, demorsum deuorauit, quẽ tamen postea sanatum, & superstitem me vidisse memini. Quod fortè sic vulnerato hepate fieri potest, cùm per vulnus pus & sordes inde procedentes, extrorsum repurgari possint, & topica parti læsæ apponi. Vti & de pulmonum vulnere dictum, quod aliàs si intrinsecùs læsa sint, nec pateat exitus inde vel introitus, fieri nequit.

Ascites in quo viscerum vitia & cordis situs mutatus, & Os in eo inuentum.

FIlius Parci typographi, adolescẽs, cùm frequenter vtraque manu terræ innixus, vti pueri lusus causâ facere solent, corpus in altũ erigẽdo rotaret, cœpit cordis palpitationem, pulsationem vehemẽtem in sinistro latere, circa vẽtriculi ferè regionem sentire: quã à corde eousq; propendente proficisci, sectio post mortem, sed & quòd capiti innixus, cor denuò ad superiora ducebatur, satis declarabant. Nam asciticus factus, cũ mortuũ eum aperirẽ, cor relaxatis inuolucris & vasis illius, quibus suspenditur, subsedisse, & mucrone suo succingenti tunicæ, circa septi regionem adfixũ deprehendi: Dein & prẹter reliqua hepatis, lienis, renumq; vitia ascitic is consueta, etiam in medio cordis dissecto, os tribus articulis constans cauumq; & arenosâ quadam materiâ repletũ, inueni. Hæc prima mea Anatome, quam Basileæ An. 1557. Nov. mens. in præsentia Medicorum in ædibus defuncti administraui, fuit, adstante simul patre ipsius, lachrymisque cor filij detectum irrigante.

Hydrops in Grauida.

GRauidæ cuidam iuuenculæ, non solùm propter vterum quem gestabat, venter distentus erat, sed & propter asciten, mirè intumuerat, pedesque admodùm inflati erant, cum periculosa ob ventrem adeò distentum, dyspnœa.

Cùm viderem vrinam non adeò tinctam esse, & iam sæpiùs obseruassem, grauidas hydropicas, in partu vnà cum fœtu, maximá profundentes aquæ copiam, liberatas aliquo modo fuisse, eam quoq;, si

ad partum vsq; conseruari posset, sanandá prædixi.

Ob eamque causam, vt vinum sequens biberet, iussi, idque singulis aliquot continuis diebus, mox alternis: ℞. rad. Ireos, Ebuli, Sambuci, Lapatij rotundifol. an. æq. partes: incisa omnia in vini mensura j. infundantur; Eoque vino vtatur.

Hisce vsa, sensit aliquomodo aluum moueri, multumque minxit, exactisque circiter diebus 14. peperit puellam viuam, sed imbecillem, ipsaq; detumuit, An. 1597. Iulio mense.

In Alia.

NObilis quædam matrona Ensisheimij, vterum gestans, ventre supra modum distento, pedibusq; tumentibus, seroq; imbutis, aquam copiosè bibere & difficulter spirare solita, postquam peperit, puerperarumque modo purgata fuit, à tumore liberata, conualuit.

In Alia cum summa dyspnœa.

LVcernæ aliquoties visitaui grauidá quandam hydropicam, quæ ita dyspnœa angebatur, & stertebat, vt singulis momentis eam suffocari, existimarem, quæ tamen perseuerans in hoc statu, postquam peperit, & immensam aquæ copiam ex vtero effudisset, euasit.

In Alia, quoties vterum gerebat ascitica facta.

ALia nobilis, vni ex ciuibus nostris nupta, quoties vterum gerebat, in ascitem incidit, & paulò ante destinatum pariendi tempus abortiebat. Tandem cùm illud quater quinquiésve factum fuisset, in abortu extincta fuit.

Hydrops

Hydrops ascites deploratus.

ADducta ad me est nobilis virgo quædam Burgunda, annos 30. nata, quæ cùm dyſpnœa, cordis & arteriarum vehementi pulſatione diu laboraſſet, colore pallido & cachectica, tandẽ & hydropica aſcitica facta eſt, venterq́, illius admodùm intumuit, vti & pedes ad coxam vſque, impreſsis, vti ſolent, aliquádiu permanentibus veſtigijs. In media corporis ſuperiore ſede, admodùm erat macra: facie tamẽ nonnihil tumida. Menſes illius iam longo tempore ſuppreſsi erant. Vrinæ craſſæ, croceæ, turbidæ & paucæ. Pulſus languidus; Appetitus proſtratus; Sitis immenſa.

Hiſce ita habentibus, licet parùm ſpei ſanationis eſſet, quia tamen obnixè auxilium à me petebat, in extremis extrema præſidia tentanda dicens, poſtquam prolixè illi cauſam hydropis expoſuiſſem, remedia ſequentia ei præſcripſi.

Et primùm quod aquæ ex abdomine eductionẽ attinet, nullum quidem eſſe remediũ, quod citiùs & rectiùs hoc faceret, quàm Paracenteſim, cũ alia ratione vix exhauriri queat; Verùm illâ renuente, ſibiq́; à ſectione metuente, viſcerum læſionem tantam ſubeſſe exiſtimans, quæ corrigi non poſsit, ampliùs inſtare vel vrgere nolui.

Itaq; ad ſeroſum humorem per vrinas & aluum educendum. Vinum medicatum ſequens ordinaui: ℞. rad. quinque Aperitiuarum an. ℥. ß. rad. Iridis ℥. j. ß. rad. Azari ʒ. ij. cort. rad. Sambuci, cort. Ebuli & Dulcamaræ an. ℥. j. Abſynthij ſicci ʒ. iij. Maioranę ʒ. ij. fol. Viſci quercini ʒ. vj. fl. Geniſtę ʒ. j. ſem. Fœniculi ʒ. ij. Petroſel. ʒ. j. ſem. Ebuli ʒ. j. ß. ſem. Hederæ ʒ. ij. fol. Senæ ℥. ij. fol. Soldanellæ ℥. ß. Rhab. el. ʒ. iij. Spicæ, Schœnanthi an. ʒ. ß. Hæc omnia arefacta & inciſa, in nodulo ligata, in vaſe vitreo collocata,

macerentur in Vini affusi ℔.octo, quarum singulæ ℥. xvj. pendant. Postquam aliquamdiu hæc infusio quieuerit; Bibat de ea haustum vnum manè duabus horis ante prandium, continuando, singulis aliquot, vel alternis aut ternis diebus, prout operabitur; Satis autem erit, si inde bis eâ die deijciat.

Loco huius vini, interdum Syrupo sequenti, hydragogo vtatur, in septimana semel: ℞. succi rad. Iridis vulgaris ℥. quatuor, infunde Rhabarb. pulu. ʒ.ij. fol. Soldanellæ ʒ.j. addendo aquæ Cinamom. ℥.j. stent. in infusione per horas 24. postea exprimantur, miscendo Sacchari ℥. quatuor, decoquantur ad consistentiam syrupi. Capiat ab ℥.j. ad ℥.ij. experiundo successum.

Inter diuretica, hoc Lixiuiũ admodùm efficax: De quo in septimana, diebus quibus ab alijs abstinet bis, bibat ab ℥.ij. ad iij. vel iiij. pro vt vrinas plus minúsve mouebit. Quæ si egregiè procedant, & potui quantitate respondeant, magna spes salutis, vel saltem leuaminis, maiorq; si quantitas vrinę excretæ superet potum quem bibit, cuius lixiuij hæc est descriptio: ℞. summit. Iuniperi, Stipitum fabarum, cort. Dulcis amaræ an. M.ij. exiccentur in furno eousque, donec ferè in cineres redigantur: per quos transfundantur Aquæ fontis ℔. quatuor, Vini albi ℔. j. repetendo toties, donec lixiuij instar aqua lentorem acquirat. Huic adde sacchari Ros. tab. ℥. ij. aquæ Cinamom. ℥.j. bulliant lento igne parùm, & seruentur ad vsum, benè cooperta, ne corrumpantur.

Ad obstructiones viscerum soluendas, & duritiem vel scirrhum, de quibus suspicio non parua est, emolliendum, viscerumque corroborationem, pilulæ sequentes efficacissimæ erunt. De quibus ℈.ij. vel ʒ.j. diebus quibus ab alijs quiescit pharmacis,

cis, summo manè deglutiat, formatas vti decet, de sequenti massa: ℞. gummi Ammon. dissol. in Oxymel. ℨ.j.ß. gummi Laccę ℨ.ß. cineris Vētriculi & Intestinorum gallinæ ℈.j. Hepatis lupi præpar. ℈. ij. trochisc. de Rhabarbaro ʒ.j. resinæ Laricеæ q. s. fiat massa.

Superbibat post pilulas assumptas, Aquarum sequentium ℥.j. ß. ℞. aquarum fl. Sambuci, fl. Iridis, & rad. Gentianæ an. part. æquales.

Quod reliqua attinet, vitę regimen, &c. illa Medicis illius loci commisi.

Hydrops ascites, à renibus vlceratis & perforatis, sicuti sectione obseruatum fuit, procedens.

NObilis quidam, ex inclyto stemmate oriundus, ditissimus, sumptuosè & lautissimè, in Alsatia, vbi morabatur, epulari, vinaque generosa bibere solitus, morbis quibusdam interdum infestabatur, nunc colicis nunc nephriticis, nunc arthriticis, vnde sæpè grauiter affectus, ingruente senectute, manus contractas digitosq; astrictos, reliquo vitæ tempore, habuit. Quotannis ferè ad thermas aliquas, vel alias aquas, quarum fama erat celebris, profectus, in illis aliquot septimanas, non solùm lauans, sed etiam easdem bibens, moram trahebat, imprimisque acidularum potum valdè sibi conuenire putabat, eoq; nomine ad Griesbacenses, quarum scaturiginem frater ipsius primùm in valle, non procul ab Argentina, inuenerat, sæpè se conferens, per septimanas aliquot eas bibebat, nonnũquam in suam arcem, vt illis vteretur, transferri curans, quas sibi eo nomine conducere, quòd ardorem & calorem hepatis, ex Vini generosi, con-

tinuò, & ferculorum aromatizatorum quotidiano vsu, conceptum, nonnihil restinguerent, iudicabat. Tandem annum ætatis septuagesimum agens, cœpit illi venter subitò quandoque intumescere, cum summa dyspnœa, quæ tamen postea iterum remiserunt.

Anno sequenti 1603. circa finem Aprilis, ætatis superans septuagesimum primum, à conuiuijs & commessationibus cum quibusdam principibus & nobilibus vicinis, domum benè potus, sub noctis medium cœlo sereno, leuiter vestitus, rhedâ reuersus, pectoris angustiâ cœpit angi, tussisque vehementissima eum inuasit, per quam licet copiosa excrearit, nihilo tamen meliùs habuit. Vocatus illicò Medicus vicinus, defluxionem à capite supra pectus factam, iudicans, varia in hanc rem vti & ad tussim remedia præscripsit, videlicet syr. Expectorantem, Suffimigium, Pulu. vertici inspergendum, Pilulas becchicas, Oxymel squilliticum, Eclegmata, pectoris vnctiones, quibus vsus ad 7. Maij vsque nihil interim remittente tussi & dyspnœa, vocatus frater meus Medicus, communicatis mecum consilijs, sequentia illi administrauit remedia.

Cùm crassa & tenacia difficulter expueret, vtebatur Oxymel. ex hydromelite vero, quod Maluaticum artificiale vocant, acetoso reddito, parato, miscendo syr. de Liquiritia de Iuiubis & tantillum Spiritus seu Aquæ vitæ. Bibit tempore somni haustum Vini calidi adiecta ℥.j. Sacch. quod cōmune tussientium est remedium. Lauit quoq; pedes lotione diuertente ex herbis capitalibus, pectus inunctum fuit vnguento Resumptiuo. Paulò quietiorem noctem quàm priores transegit, verùm horâ secundâ post mediam noctem, difficultas spirandi illlum inuasit denuò, adeò angens, vt è lecto surgere cogeretur, & sedendo reliquum noctis, in sella transi-

transigere, quod priorib. quoq; noctibus, sibi accidisse narrabat. De quo admonitus, cœpi statim de hydropis principio suspicari, cuius hæc nocturna dyspnœa, prænuntia esse solet, verùm cùm tunc & stertor & excreatio, pulmones quoque infarctos denuntiarēt, factum est, vt asthmatis potius quàm hydropis, ab initio ratio habita sit, donec ventris & pedum sensim increscente tumore de hydrope certi essemus.

Antequam autem illud omnino innotesceret, quòd nō ausi essemus ventrē illius, aut pedes, an intumescerēt, diligentiùs inspicere, cùm summopere hydropem metueret, eam nos indagare velle hoc pacto, existimaturus, pleraque remedia, non solùm ad præcautionem hydropis, sed & pectoris angustiam, fuerunt accommodata.

Circa finē Iunij, quia tussis, & stertor in pectore remiserant hydropisq; iam manifesta aderant indicia, tumor nempe tibiarum & ventris, ac dyspnœa nocturna, ipse consilio Medici cuiusdam Argentinensis, quinetiam propriâ voluntate, semper acidarum potu delectatus, Griesbachum, vt illic eas biberet, proficisci cogitabat. Itaq; ad iter se parans, nunc curru, nunc lecticâ aliquoties vectus, an motum illum sustinere posset, experiebatur. Bibitque etiam acidulas domi, quas aduehi curabat, vt an eas ferre posset, periculum faceret. Primo ergò Iulij iter ingressus, lecticâ, quarto die, eò non sine difficultate, peruenit, & sequenti die chiragra correptus est, quam sequuta est tertio die post podagra. Nihilominus interim acidulas è fonte illo, ad pocula duo quotidie bibenti, homoplatæq; simul dolorem passo statim scrotum cum pene intumescere cœpit. Acidulas ad 11. August. vsq; bibit, interea varijs confortantibus vsus, quæ secū eo portauerat.

Superuenerunt illi hæmorrhoides, quæ tamen

non diu durarunt. Dyspnœâ & imbecillitate mirè angebatur. Et quia vrina pauca tantùm fluebat, signum erat, aquarum illarum acidarum magnam partem in abdomine retineri.

Discessit inde 11. Augusti, & non sine periculo suffocationis domum lecticâ portatus peruenit.

Cùm itaque potu aquæ acidæ, morbus factus fuisset deterior, ad medicamentorum priorum & aliorum vsum, suasu meo & fratris mei, qui illi 26. septimanarum spacio, per interualla ægrotanti adfuit, redijt: Vtêdo succesiuè Cordialibus, Purgantibus, Becchicis, prout res requirere, & medicamentum hoc alio magis necessarium videbatur. Atque purgatus fuit nunc Mannâ, nunc syrupo Rosf. solut. cum Rhabarb. & succo Iridis; Vino item purgante, nunc Aloë compositâ & in formam syrupi redactâ, vt in praxis meæ lib. 2. fol. 488. descripta fuit, quâ priùs sæpè vsus fuerat. Clysmata sæpè iniecta, venamq; semel aperuit.

Alterantia varia per vices sunt exhibita. Tragemata, Tab. expectorantes, Ireos præcipuè, Vinum ex maceratione Absynthij, cort. rad. Sambuci, rad. Ireos; Item Vinum Zedoariæ, Hippocraticum, Oxymel. simpl. scyll. Hydromel, Iulepi varij, aquæ, Iridis, Cichorij, Chamomill. Cinamom. & quędam Polycresta, ex varijs concinnata, Elect. pro hepate, conf. Alkermes. Bibit Vinum tenue, decoctū Salsafras, Passul. radic. Iridis, interdum aquas Acidas, quibus assuetus priùs erat. Sumpsit interdum narcotica quædam, vt syrupum de Papauere, Diacodium, Theriacam, Tab. meas narcoticas.

Pascebatur exquisitis cibis, Contusis, Congelatis, Iusculis ex Vino maluatico Saccharo & Ouis paratis, alijsq; delicatissimis alimentis.

Foris vtebatur, Frictionibus, Lotionib. pedum, ad diuersionem, Cucurbitulis siccis ventri appositis,

tis,Fotibus ventris,Inunct.abdominis & Vnguento pro hepate, Emplastro de baccis lauri, Cataplasmatibus, Vesicatorijs, Cauterijs in brachio appositis.

Ægro febricula interdum accessit, sed mox remisit; Item Chiragra molesta fuit: Interdum summè debilis, pulsu intercidente deprehensus fuit.

Ad eum veniens 21. Augusti, in extremis constitutum eũ reperi, sed se mox iterum recollegit. Dedimus illi syrupum ex succo Iridis, & infus. Rhab. cum Saccharo coctum: Vinum præscripsimus ex maceratione, Absynthij & cort.rad.Ebuli, Sambuci, Dulcis amaræ, Baccarum hederæ, rad.Iridis.

Bibit decoctum Salsafras & rad.Iridis, quod ipsi gratum, Cataplasmata ex stercore Caprino, carne Limacum, sem. Cimini, Ruta, Baccis lauri, Sulphure viuo ol.Liliorum, Aqua vitæ, scroto, quod mirè tumebat, appositum. Clysteribus vsus & Epith. Cordialibus, Tab.Dialaccæ ei exhibitæ. Emplastra, Sacculi ventri admota, aliaque multa & propinata & apposita, cordialia & visceribus congruentia, & quia dolor Ischiadicus illum simul torquebat, eius sedandi gratiâ quoque aliquid admotum fuit.

Septemb.mensis die 7. conuocatis aliquot Chirurgis, ex varijs locis vicinis, cõsultatum fuit, an paracentesis, quod solum restabat tentandum remedium, facienda. Alijs in ventre eam fieri posse, alijs verò in cruribus leuem scarificationem faciendam censentibus, ad hancque potissimùm maiore parte inclinãte, factum vt pedes detractis tibialibus, eam ob caussam inspecturi, statim sponte vesiculas excitatas, & disruptas serum profundẽtes videremus, vnde & nos ne anceps remedium aggredi necesse esset, cum ægro, qui spem salutis inde conceperat, fuimus exhilarati.

Fluitq; successiuè ad dies aliquot, magna aquæ

copia, adeò vt venter nonnihil subsideret liberius, que spirare & decumbere diutiùs posset. Cùm ante plerumq; in sella mensæ admotâ, innixum sedere, atq; etiam dormire priùs illum oportuisset.

Ab eo tempore, quo ichor è cruribus iuxta malleolum profluere incipiebat, ad præcauendam inflammationem & gangrænam, quam plerumq; sub sequi prædixeram, potissimùm cura dirigebatur, quæ per totum hunc mens. sequentemq; Octobr. continuata fuit. Atq; ab initio linimentum adhibitum, folijs Betæ illitum, paratum ex Butyro loto cum aqua Ros. Album oui, oleo ros. Folia item nucum recentia applicata fuerunt.

Verùm quo minùs pars inflammari & nigrescere inciperet, caueri non potuit. Itaque aliud insuper paratum linimentum, ex succo Plantagin. Solani, Tabaci maioris, fol. Hyoscyami, Bursę pastoris, Ol. ros. quod cum linimento permistum, cùm penna fuit illitum: Impositis fol. Tabaci magnis & amplis. Repetitis hisce ter quaterúe in die, & nocte, dolor semper mitigabatur, parsque minùs inflammata & atra apparebat, quæ tandem exulcerari cœpit, túcq; propter abstersionem inditum fuit vng. ex succo Apij, Melle, farin. Fabarum, Terebinth. paratum, additis ijs quæ vlceri sanando consueuerunt vsurpari, non neglectis interim gangrænam prohibentibus, quæ in ambitu applicabantur.

Interea viribus omnibus labescentibus sensim, etiamsi quamplurima ad ipsarum refectionē exhiberentur, tamē superueniente febriculâ, & postremò dyarrhoea, die vltimo octobris, circa meridiem commotus nōnihil, in agone mortis versari cœpit, me etiam præsente, quem, vt propter iam à 46. annis conseruatam amicitiam, morieti sibi adessem, per amicos rogarat, placidè exspirauit.

Sub vesperam corpus dissectione apertum fuit.

me

me præsente singulaque perscrutante, in quo sequentia deprehensa fuerunt.

Cor erat magnum, illæsum, sed flaccidum & collapsum.

Hepar, lien formâ & magnitudine decenti, saluaq;. Bilis vesicula ampla admodùm distenta, cum sua ceruice & turgens bile & aquâ.

Aqua in spatio abdominis retenta, magno impetu fontis salientis instar, vulnere primùm in abdomine inflicto, erumpebat limpida, sed cadauerosо odore prædita, sexaginta libras circiter ponderans, cuius non minor quantitas, per pedes longo illo septem septimanarum spatio priùs effluxerat.

Ren vterque erosus & vlceratus erat, vlceribus multis ab interioribus illorum substantiam ad exteriora vsq; perforantib. & se extrinsecùs aperientibus, è quibus serum vel vrinam in abdomen distillasse, hoc ostendebat, quod adhuc vesicæ, aquâ plenæ aliquæ, renum corpori adnatæ essent. Quibus dissectis, aqua profluebat, foraminaq; patebāt, quæ sine dubio illius aquæ, in abdomine collectæ, causa fuerunt. Vti & hepatis lienisq; eiusmodi substantiæ diuisionem, vesicasque illis se affigentes, disruptas post, aquamque profundentes in abdomen, causam frequentiorem hydropis ascitis esse, in praxi nostra ostendimus, Ferneliusque idem asseruit.

Mesenterium, Omentum, Renum pinguis tunica, omnia veluti arefacta, contracta & conuoluta erant, adipe adhærente, veluti in globulos toto intestinorum ductu, vti & circa rectum intestinum, conglomerato, ab aqua quæ continuò has sedes alluebat.

Intestina inania vti & ventriculus erant.

Pulmones inæqualiter colorati, & ex parte vi-

tiosi apparebant, integri tamen, è quibus sectis, cruor ater & pituita prodibant, qui fibris costis sinistro præsertim in latere ad nexi erant.

Thoracis cauo, aqua quoque inerat.

Ex quib. & præsertim renum illa læsione quemadmodum iam est à nobis descripta, serum effundentium, aquam illam in abdomine collectá fuisse, & hydropem ascitem natum certò cognouimus, & dein quoq; in alijs idem euenisse, obseruauimus. Ex eoq; intelligere potuimus, causá doloris nephritici, de quo, sed non adeò magno, continuò conquerebatur, fuisse renum exulcerationem. Et quòd minori quantitate, quàm oportebat iam diu vrinam reddiderit, nō minimam causam huius renum exulcerationis fuisse: præsertim verò immoderatum illum, & annorum plurimorum spatio continuatum Vini generosi potum, ac longas illas in conuiuijs sessiones, quibus vrinam acrem retinebat, morbum hunc causauisse.

In Ascitica renes perforati, & hepar fissum, vesiculis adnatis, sectionē deprehensum.

GEnerosa quædam comitissa, cui crura inflata summoperè, seroque repleta erant, post mortem sectione aperta, præter calculos in folliculo fellis innumeros deprehensos, aliaq; vitia, Renes habebat nigricantes, & quibusdam locis adeò pertusos & foraminib. patentes, vt citra substantiæ ipsorum diuisionem, digiti in cauum intrudi possent: sicuti frater meus Thomas Medicus, eam secans deprehendit, mihiq; exposuit. Vti & quòd Hepar illius hinc inde fissum, vesiculas multas sero citrino plenas & turgentes, illic adnatas habuerit. Lien quoque vitiosus erat.

Hydropicus & Herniosus.

SEnex quidam Sartor, multos iam annos hyemis tempore potissimùm, catharro & tussi vexabatur, eoq; grauiùs, quòd herniosus simul esset, tussisque intestina in scrotum propelleret: tandem etiam pedes & venter intumescere cœperūt: vnde noua dyspnœa & hydropis principium An. 1597. subsecuta.

Multis vsus remedijs hoc imprimis profuit: ℞. radic. Ireos, Enulæ an. ℥. ß. cort. Sambuci ʒ. vj. cort. Ebuli ℥. ß. Absynthij, Marrubij an. ʒ. ij. seminis Hederæ ʒ. j. Vini mensur. j. ß. stent in infusione: Bibat sæpè manè.

Cùm ter bibisset, mirè leuatus fuit, tumorque in pedibus & ventre subsederunt.

Verùm aliquot mensibus post hydrops redijt, & cùm pedes mirè intumescerent, ipseque vix spirare, nisi erectus, posset, scarificatio crurib. fuit adhibita, vnde mensuræ aliquot seri pedetētim effluxerunt, liberiusque spiritum duxit: sed rursum recrudescente malo, & repetita scarificatione, fluente aquâ, semper meliùs habebat, donec gangræna in pedibus suborta (vti frequenter fieri solet) eum confecit.

Alius hydropicus & herniosus.

IN viro hydropico & hernia enterocele laborante mortuo, An. 1604. Nouemb. mens. secto, inuenimus Hepar & Lienem pertinaciter adnata peritonæo, septum ibi succingenti, ita vt non citra dilacerationem membranarum auelli potuerint. Hepar intrinsecùs carnem non solidam, sed cruorem nigerrimum condensatum referebat. Renes integri, impressiones aliquas habebant, & ex partibus constabant, figurâ cornutorum animalium.

Abdomen aquâ copiosâ flauâ fœtidissimâ refertum erat. Venæ serum in se copiosum continebāt, vti & vena vmbilicalis. Scrotum in quo intestinum tenue inerat, aquâ plenum, intestinumq; sacco ductu integro accreuerat.

In Hydrope ascite aqua ex pedibus & Scroto sponte apertis, emanans.

NOn solùm è pedibus in hydrope ascite tumentibus sponte aquam è phlyctenis, seu vesiculis illic natis, quæ disruptæ aquam profundebant, vel scarificatione factâ, è plagis illis, ad multas sæpè mensuras sensim effluxisse, aliquosq; sic liberatos fuisse, licet in alijs mortis imminentis sit indicium, multoties obseruauimus.

Sed & quod magis rarum, in quodam hydropico, Iurium Doctore in oppidulo Than. An. 1558. in æstate, ex scroto mirè tumefacto, aquaq; pleno, nullâ aperturâ factâ, supra mensuras tres vel quatuor, sensim exstillasse vidimus, qui tamen minimè morté euasit. Quod & Paracentesim in scroto, vbi tutiùs fieret, plurimùm profuturum in illis qui curari possunt, nobis ostendit.

In Hydrope ascite, chyli, cibi, & humorum ex vmbilico effluxus.

PVer annorum duodecim, æger ad parentes in vrbem An. 1582. deductus, ventre tumido vti & pedibus, scrotoq; asciticus, superioribus ad extremum emaciatus, vermes aliquot per aluum reddiderat. Præterea quod admirandum, chylus vnà cum humoribus biliosis, & ciborum quorundam reliquijs, vt cœpis, petroselino, manifestè apparentibus,

tibus, ex ipsius vmbilico aperto effluebant; quibus aliquandiu perseuerantibus, tandem exspirauit.

In Hydrope ascite, aqua per vesicam in vmbilico natam dissectam, educta.

ARgentinam An. 1575. vocatus, ad mercatoris cuiusdam vxorem hoc affectu laborãtem, ventre immensæ magnitudinis, iam penè in extremis versantẽ spirituṁq; vix dum præ summâ dyspnœa ducentem, reperi, cuius vmbilicus vesicæ alicuius pellucidæ instar inflatus protuberabat, quem, etsi nulla spes ampliùs salutis adesset, ne tamen suffocaretur, cùm maximè, vt huic saltem angustię suppetias ferremus, rogaret, aperiendũ censuimus, quod scalpello, vesicæ leuiter impresso, sine dolore factum, statimq; aqua fontis instar prosilijt, ipsaque mox, Deo agens gratias, liberiùs iterum respirauit; nec de alio affectu ampliùs conquesta est. Verùm cùm chirurgus nobis inuitis, orcam integram huius aquę emisisset, licet vrgentibus nobis, foramen emplastro obturasset, mox tamen absentibus reliquum effluere permisit, quo facto, ipsa post horas aliquot placidissimè exspirauit.

Similis casus.

IN Xenodochium Basiliense, adducta fuit, Anno 1607. puella pauper, annorum circiter decem. ascitica, ventre in immensum tumente, pedibus item inflatis reliquo corpore penitùs absumptâ, summaq; dyspnœâ laborans, ita vt penè suffocaretur. Prominebat illi vmbilicus, vesicæ instar pellucidæ, quam chirurgus scalpello leuiter discindens, me iubente, in præsentia Medicinæ studiosorum, aperuit, vnde magno impetu aqua prosiluit, quam

cùm ſenſim aliquot dies emitteremus, ipſaq; ſtatim vbi venter parùm ſubſediſſet, ſpiritũ facilè duceret, eamq; tanquam benè habẽtem chirurgus, negligeret, factũ vt aqua rurſum ſe colligẽte, venter denuò intumuerit, veſicaq; apparuerit, quâ rurſum diſſectâ, cum denuò aquæ effluxus pateret, & turundâ immiſsâ foramen ne coaleſceret, apertum retineretur, atque indies aquæ aliquantum educeretur, tandem ventre in priſtinam formam remeante, pedumq; tumore euaneſcente, marcoreque corporis per cibum & potum emendato, ex Xeno in Noſodochium tranſlata, ibiq; aliquot ſeptimanas permanens, integrè ſana cum matre diſceſsit.

Tertius ſimilis caſus.

MEnſibus aliquot poſtea, venit mulier quadragınta circiter annorum, eodem penitùs modo aſcitica, vmbilico ſimiliter dilatato in veſicam, cui in eodem Xenodochio veſicam illam ſectione aperuimus, perque eam aquam eduximus, ita vt liberior fieret difficilis, quâ infeſtabatur, reſpiratio, venterq; minueretur, ſed cùm auidè cibum præter modum ſumeret, eoque ſe vno die admodùm ingurgitaſſet, vomitu & cardialgia ſuperueniente, ſubitò viribus deficientib. extincta fuit.

Hydrops Aſcites & Tympanites.

QVidam 53. annorum, Anno 1598. poſt hæmorrhoidum conſuetarum ſuppreſſionem, dolorem femoris paſſus eſt, mariſcarumque tumor extra podicem prominens apparuit, tantæ magnitudinis, vt in podicem reponi nequirent, vrinâ per triduum ſuppreſsâ, quo tumore reſecto, & propter hæmorrhagiam cauteriſato, vrina denuò fluere cœpit, & è venis illis, ſanguis ater, qualem infantes in die partus reddere ſolent, copioſè effluxit, tandem & dilutus, poſtmodumq; purulentus. Quæ

cùm diu fluxissent, pedes tumere cœperunt, Anno 1599. veris initio, dolor in dorso scapulis & homoplata superuenêre. Vrinæ vehementer rubere, febrisq; eum inuadere inordinata, quâ cessante, post variorum remediorum vsum, dolor latus dextrum inuasit illicq; permansit, accedente ictero, in appetentiâ, vomitu deiectionibusque biliosis, cordis dolore, sitique maximâ, pedumque tumor augeri, sursumque vti dicere solent, vergere, venterque iam distendi.

Consilio habito, ventriculi imbecillitatem, obstructiones hepatis, hypropemq; tympanitem cum ascite adesse iudicatum fuit, & licet iam multis vsus esset remedijs, hoc tamen Vinum illi præscriptum fuit aperitiuum: ℞. rad. Aperitiu. an. ℥. j. radic. Ireos vulg. ℥. ij. rad. Ebuli cort. rad. Samb. an. ℥. j. ß. cort. med. Dulcis am. ℥. j. radic. Azari ʒ. j. herb. Absynth. ʒ. vj. f. Hederæ ʒ. iij. Limaturæ chalybis præpar. priùs cum Aceto ℥. ß. Contusis etiam incisis, affunde Vini albi donec tribus digitis superemineat, stent in infus. citra coctionem. De hoc Vino bibat manè ab ℥. v. ad ℥. vj. sumpt. priùs cochl. ij. Iusculi alicuius, & postquam bibit Vinum, totidem: Idq; tres dies, tribus semper horis ante prandium continuet.

Quarto die extractum purgans meum sumat.

Postero die vtatur tabulis sequentibus: ℞. spec. Diarrh. Abb. Diatrium sant. an. ʒ. j. Diacurcum. vel Dialacc. ʒ. ß. Rasur. eboris ℈. j, Sacchari dissol. in aq. flor. Sambuc. ℥. iiij. fiant Tabulæ.

Capiat superbibendo Aquam sequentem: ℞. Aq. flor. Sambuc. radic. Ireos, Gentianæ, Centaur. min. an. æq. part. Bib. ℥. ij. vel iij. Adde parùm Vini.

Dein redeat ad vsum vini aperientis, alternis id diebus bibendo, atque inter medijs vtendo tabulis cum aq. dictâ & Vino, reiterando post triduum extracti aliam dosim.

Vinum dein purgans seq. paretur: ℞. Vini albi ℔.iij. succi Ireos ℥.ij. Infund. Rhabarbari elect. ʒ.ij. Mechoacæ ʒ.ij. fol. Sennæ ℥.j. stent in infus. benè cooperta. Sumat semel in septimana ab ℥.iij. ad vj. vel vij. prout fuerit constipatus, eâ die, abstin. à reliquis medicamentis.

Singulis quoque septimanis semel inijciatur Clyster sequens: ℞. flor. Chamomil. Melilot. ana P.j. Rutæ M.j. Baccarum lauri, semin. Fœnicul. Seseleos, Cimini an. ℥.ß. summit. Centaur. Chamædr. an. M.j. Agaric. ʒ.j.ß. Furfuris P.j. fiat decoctio, diss. in ℔.j. ol. Chamom. Rutac. an. ℥.j. ol. de Spica destill. ℈.ij. Mellis ℥.j. fiat Clyster, Detur.

Illis vtens, inungat latus dextrum in hepatis regione hoc vnguento, manè & vesperi, aliquot dies, postea alternis diebus: ℞. succi Apij, Aceti albi, ol. Amygdal. am. Nardini an. ℥.j. Coquantur ad succorum consumpt. addendo omni. Santal. Ros. rubr. Squœnanthi, Spicæ nardi, radic. Azari, Mastiches ana ʒ.j.ß. Excipiantur Cerato santalino, fiat vnguentum.

Emplastrum item ventri applicetur noctu super vmbilicum, latitudine orbis formatum, priùs inunctâ regione vnguento de Arthanita: ℞. emplastri de Baccis lauri, Stercoris caprini an. ℥.iiij. Adde s. Cimini ℥.ß. Malax. oleo Nardino. fiat Emplastrum.

Interea vtatur bonâ victus ratione, comedendo quæ facilis sint concoctionis, non flatul. Iusculis incoquatur radic. Fœnicul. Petrosel. Asparagi. Vtatur post pastum semin. Coriandr. Fœnic. Anisi Carui inuicem mistis, cum Saccharo coopertis, cum Cydon. cond. Bibat Vinum tenue album.

Hydrops

Hydrops Ascites cum Ictero nigro.

VIde in Discoloratione Lib. III. Icterus niger.

Hydropicorum dyspnœa.

VIde in Respirationis defectu. Lib. I. Bis Dispnœa ex collectione &c.
Iterum Dyspnœa in dispnœa ad hydropem.

Tympanitis cum Ascite copulati principium.

VEntrem admodùm tēsum tympani instar, mulier quędam habebat: pedibus quoque sub vesperam parumper intumescentibus, ex quo tympanitem cum ascite copulari, iudicaui: vrinæ tamen non admodùm rubebant, vnde spem sanationis aliquam concepi, sequentiaque, Anno 1611. Ianuar. mense illi ordinaui.

Vino sequenti eam singulis matutinis, ad dies octo vti iussi, contemperando iusculo, de quo cochlearia tria vel quatuor ante haustū illi⁹ sumebat: ℞. cortic. rad. Sambuci, cortic. Ebuli & Dulcamaræ an. ℥.j. radic. Ireos ℥.iij. Absynthij M.j. seminum Ebuli ʒ.ij. Vini albi ℔.vj. stent in infusione, & parùm in duplici vase ebulliant: Ad vsum.

Postea iussi sudores manè mouere, sumendo cochlearis vnus quantitate de Spiritu vt vocant Iuniperi, cum admistione aquæ Narcoticæ, guttis tribus vel quatuor, vnde egregiè sudauit. Continuauit aliquoties, postquam Vini vsum absoluerat.

Post dies quatuordecim, illius maritus reuersus, referebat profuisse hæc remedia, saltem ventrem nondum penitùs detumuisse.

Suaſi vt denuò Vinum pararet, eóque alternis diebus vteretur.

Et vt ventrem inungeret, Aqua vitæ cum ſpiritu Iuniperi, addendo parùm ol. ſem. Carui.

Sicque penitùs venter ſubſedit.

Tympanites quem inteſtinalem vocamus, conuoluulus, vermes in inteſtinis.

PVer decem & ſeptem annos natus hydropicus, cùm quatuordecim dierum ſpacio, excrementa alui per os euomeret, nec per ſeceſſum quicquam egereret, in hoſpitali Anno 1569. expirauit. In hoc cùm poſt mortem rugitus ventris, & illius quædam palpitatio ſentirentur, eóque nomine de ſepeliendo corpore ambigeretur, accerſitus cùm ventrem aperirem, flatus tandem erumpebant. Verùm inteſtina tantopere diſtenta erant, vt femoris craſsitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compreſsione diſrumperentur, ſtercusq; magno cum impetu profunderent, alijs verò locis adeò conuoluta, intorta & implexa, vt nulla illic, nec excrementis nec flatibus deorſum pateret via: Sed & vermibus viuis oblongis quamplurimis repleta erant, qui rurſum alijs minoribus referti, inæquales illos motus effecerant. Præter hæc hepar corruptum, arenulis & lapidibus infarctum, lienem imminutum, pulmones vitiatos coſtisque affixos (vt in alijs multis ſæpè accidere dixi) oſtendebat.

Tympani-

Tympanites, Expuitio nigra & deiectio.

ABbas ſexagenarius quidam, lautè viuens obeſus, cùm aliquot annos nigram cum pituita exſpuiſſet materiam, ſenſim venter illi in immenſam molem excreuit, factusque tympaniticus, de dyſpnœâ potiſsimùm, cùm vel minimùm mouebatur, cõqueſtus, vti & de appetitu proſtrato, alui conſtipatione, paucaque mictione. Quoties purgabatur, idque Vino medicato præſertim, quo magis delectebatur, & per vices vtebatur, & diureticis exhibitis copioſius mingens, liberiùs ſpirabat. Verùm per ſemianni ſpatium, in eodem ſtatu perſeuerans, Medicosque mutans, tandem An. 1596. menſ. Sept. cùm ſe meliuſculè habere exiſtimaret, copioſa nigerrima ſuperuenit alui deiectio, à qua ſubitò vires adeò ſuccubuerũt, vt cùm nec recumbere ob dyſpnœam diutiùs poſſet, nec propter animi, quæ ſtatim ſuperueniebant deliquia ſedere, multò minus ſtare, vel etiam ſe erigere, redeunte inſuper ter quatérve nigrâ hac deiectione, quarto die poſt, expirauit. Obſeruaui autem ſæpiùs & in hydropicis, cachecticis, alijsque morbis diuturnis, per eiuſmodi deiectiones, vel alia alui profluuia, hos morbos finiri, ægrosque è medio tolli, & quia ſi nigra eijciuntur, vulgus exiſtimat, hepar vel lienem diſſoluta ſic reijci, ideò dicunt, die Läber iſt jhm zerfahren/ & ob ſubitaneam illam mortem viſcera interna ſimul decidiſſe putantes, vulgò aiunt. Das Gehenck iſt jhm empfallen.

Venter tumidus à glandulis.

VIde in Extuberantia. Lib. III. Bis, Glandulæ induratæ, &c.

Iterum Glanduloſi tumores in meſenterio, &c.

Ventris durities, cum Tensione hypoch. Febre hectica.

VIde in consumptione. Lib. III. Atrophia, tensiones hypochond, &c.

Ventris extuberantia in quadam, quæ se grauidam menses duodecim esse, falsò putabat.

VIdua quædam, postquam maritus peste sublatus fuisset, An. 1582. men. Nou. indicia conceptionis sensit, menstruorum nimirum primùm suppressionem, mox ventris tumorem, & mammillarum incrementum, tandem etiam commotionem in interioribus ventris, quam illa, quæ priùs sexies pepererat, non ab alio, quàm ex fœtus commotione fieri, certò sibi persuadebat: ita vt exacto decimo à mariti obitu mense, partui se accingeret, & nihil aliud quàm pariendi tempus exspectaret. Verùm cùm etiam vndecimus, & duodecimus quoq; à mariti decessu mensis præterijssent, omnesque eam grauidam, vt & ipsa quoque se esse, pro certo haberent, cœperunt multi de ipsa, ac si aliud interea fortè commisisset, malè suspicari; alij verò, qui eam probam esse mulierem sciebât, vti & ipsamet, de conceptu dubitare. Quibus sic se habentibus, illa exacto mense duodecimo, mensibus sensim rursum fluentibus, subsidente & euanescente paulatim ventris mole, & mammillarum tumore, ad pristinam redijt integritatem: nec molam, nec aliud quidquam, nisi purum sanguinem profudit.

In

In Alia idem casus.

ALijs quæ se vterum gestare putabant, quibusdam mulieribus, idem euenire vidi, quibus cùm venter intumuisset, citra alium affectũ tẽpore partus præterito, vel etiam tardiùs, superueniente mensium fluore, demùm se deceptas cognouerũt. Sicuti Marchionis cuiusdam coniugi, de qua an grauida esset, non solùm ipsa sed & Medici, ego que cum illis dubitabamus, cùm in aula Principis versarer, An. 1570. idem contigisse memini.

In alia similis casus.

SEd & Anno elapso 1612. idem nobilissimæ cuidam matronæ accidit, quæ 20. annorum spatio vidua, & iam annos quinquaginta & vnum nata, cùm denuò nuptæ menses, quos adhuc se habere dicebat, substitissent, ex eo se grauidam esse, colligebat, atque in ea sententia ampliùs, ventrem & mammas crescere obseruans, confirmabatur: Quapropter instante tempore pariendi, præparatis quę ad puerperium requiruntur, obstetricem quoque accersiuit. Verùm cùm diu fuisset expectatum, tandem hæc omnia euanuerunt.

Idem casus in alia, sed lethalis.

COmitissa quædam, iuuenis, venusta & benè alioquin valẽs, comiti ebrioso cuidam nupta, sterilis per annos aliquot, tandem mensibus subsistentibus, se grauidam rata, præsertim cùm venter sensim intumescere, & mamillæ augeri cœpissent, me consilij causâ, An. 1567. in arcem suam ex vicinâ, vbi tunc eram ad se vocauit. Cùm circumstantijs omnibus consyderatis, de conceptu dubitarem, & potiùs mensium suppressionem & molam hisce indicari, contenderem, illa nihilominus in

ſua opinione perſiſtens, nihil vlteriùs tentare voluit. Atque comite marito mortuo, illa ſe vterum geſtare dicente, rei erciſcundæ & de ſucceſsione in comitatu negotium, eouſque donec pareret, dilatum fuit. Verùm cùm iam à primo, quo menſes ſubſtiterant menſe, duodecim menſes præterijſſent, ſubitò erumpentibus menſibus, tanta ſanguinis & fluidi & concreti copia profuſa fuit, vt ſyncope ſuperueniente, extincta fuerit.

Venter tumidus, vti in grauidis, cum Menſium ſuppreßione.

CVm diu quædam ſe grauidam eſſe exiſtimaret, quam tamen minimè eſſe, ſed potiùs cachecticam deprehendebam, iuſsi eam ſequens Vinum bibere: ℞. rad. Aperitiuarum an. ℥. ß. cort. rad. Sambuci ℥. j. ß. rad. Iridis ℥. ß. Abſynthij ʒ. iij. infundantur in menſura j. ß. Vini albi.

Bibit per aliquot dies, menſesq; eruperunt, quibus priùs per ſeſquiannum deſtituta fuerat, venterque iterum ſubſedit.

Ventris tumor, Menſes ſuppreßi, Cardialgia.

MVlier quædam, An. 1599. ventrem diſtentum & tumentem gerens, de cardialgia diu conqueſta fuit, Menſes etiam illi ſuppreſsi erant. Quibus diu afflicta, cùm varijs mulierum conſilio vſa fuiſſet remedijs, nullo tamen cum ſucceſſu, poſt ad me veniens, ſequentibus vſa eſt.

Sumpſit aquam Sabinæ recenter exſtillatam ℥. j. manè, repetijtque veſperi, per triduum ſic pergendo indieſque bis bibendo.

Cùm poſtremum hauſtum ſumpſiſſet, ſuperuenit menſtruus fluxus, & ſimul dyarrhœa ſecuta eſt,

quâ

quâ totum octiduum spontè purgata fuit, in deiectione quadam lumbrico simul excreto.

Sicque venter subsedit, atque integrè restituta fuit.

Sarcoma in dorso.

INter scapulas, in dorsi regione, mulieri cuidam sarcoma enatum, spatio temporis adeò excreuit, vt sectione factâ, aliquot libræ carnis inde amputatæ fuerint, postea que cicatrix inducta, sed admodùm inæqualis.

Globus carneus pendulus, capiti appensus.

PIstori cuidam iuxta aures, emersit tumor immensus, rotundus, capitis magnitudine, carneus, cute intectus, & venis obsitus cutaneis, qui dependebat, & in hanc illámve sedem prouoluebatur, quem ad finem vitæ gestauit, nescio an ab ortu vel postea illi succreuerit. Vide hũc cùm puer essem per vrbem frequenter incedentem, atque primo illius intuitu expauescebam.

Tumor immensus, seu globus carneus in abdomine.

ADduxit ad me lithotomus mulierem, Anno 1604. men. Sept. ex pago Schliengen/quam supinam in scamno collocatam, cùm inspiceremus, deprehendimus in medio abdominis, statim sub cute & pinguedine, tumorem exactè rotundum, ac circumscriptum, globi instar, caput magnitudine adæquantem prominere. Qui, veluti liber à connexu, in quodcunque latus se vertebat, eò deuoluebatur, & cùm stabat erecta, in inguina ferebatur, vbi tensiuum dolorem excitabat; indolens alio-

quin globus & durus, sub quo vēter collapsus tangebatur. Quæstio erat, an ruptura esset vel sarcoma. Omphalocelen non esse, hęc arguebant, quòd nō reponi pressione posset, nec murmur aut rugitum compressus ederet, æqualis omnino esset: nec illa vllam alui constipationem, aut alterius functionis naturalis impedimentum pateretur, & quòd sensim, per anni spacium hic tumor creuisset. Itaque sarcoma potiùs esse statuimus. Nam cùm sub cute mox occurreret, de vteri scirrho, verme alióve interiori affectu, vt circumforanei illi persuaserát, nullum hîc indicium. Cùm an sectio fieri deberet, consultaretur, innoxiè abdomē aperiri posse, conclusum, quo aperto, pro re nata, quid facto opus sit, consilium capi posse. Verùm eam postea non amplius vidi.

Tumor in latere cerebrum exprimens, originalis.

VIdi An. 1603. Oct. 22. in adolescente quodam tumorem in latere sinistro, ad dorsum vergentem, inæqualem & latè se extendentem, cerebrum & colore albo, & anfractibus apprimè exprimentem, quē ab ortu se habere, ex hac occasione mihi narrabat. Matrē enim suam sibi retulisse, cùm grauida esset, & à lanio cerebrum, quod mirè appetebat, petijsset, illeque hoc ipsi dare recusasset, ita fuisse perculsam, vt ex eo animi affectu, hoc fœtui accidisse, crederet. Fluxit autem à teneris, ex tumore hoc, ichor, & cùm hic fluxus, in adulto facto cessasset, prorupit dein è facie, hinc inde, præsertim in palpebris eiusmodi ichor, atque ex oculis emanauit, cum rubore eo in loco, vbi effluebat, & continuo madore, vnde crustæ in facie nascebantur.

Poly-

Polypus in nare.

VEnit consilij causâ ad me, Schultetus quidam, vir crassus, facie plenâ, naso lato, in cuius nare sinistra caro apparebat insensilis, subrubra, dura, totam narem adimplens, admodumque dilatans, quam breui tempore creuisse aiebat, indiesque augeri. Adnata erat caro narium interstitio, reliquâ sede à connexu libera, ita vt illic stylus immissus penetraret. Quando stylus impellebatur fortiùs, multùm sanguinis profundebat, Polypum esse dixi, cuius curam 19. Dec. An. 1596. inchoauimus.

Primùm purgatus fuit decenter.

Cucurbitulas cũ scarificatione, scapulis & summo humero adhibuimus.

Polypo oleum Vitreoli, cum stylo panno inuoluto, in eo intincto, adhibitum fuit; indies bis terve polypum obiter eo madefaciendo, vel tangendo.

Dein vnguento Ægyptiaco, puluerem tenuissimum Granatorum permiscuimus, & parùm olei Vitreoli, illumq; panno exiguo linteo inunctum, in narem illic vbi patebat, intrudi iussi; ita vt pars inuncta emplastri polypum tangeret; idque indies quoq;, quoties oleo Vitreoli polypus tangebatur, repetitum fuit. Quæ omnia, cùm non adeò magnum dolorem inferrent, isque mox cessaret, facilè ferebat.

Cœpit horum vsu, mox polypus denigrari, illicq; vbi tactus fuit, putrescere, cuius portionem, corruptam indies, eximebat, cum penicillo chirurgus, repetitis dein iterum oleo, & vnguento. Verùm quotiescunque purgans eum, carnem viuam tangeret, sanguis mox profluere cœpit, qui tamẽ statim illic vnde profluebat, adhibito oleo Vitreoli, rursum in momento sistebatur.

Atque

Atque ita polypus de die in diem diminuebatur, & per medium mox fuit apertus, vt liberè per illum aërem traheret, in ambitu tamen putri nigrâ restante carne, maximeque ad nasi interstitium, vbi radix erat polypi, quæ tamen vixdum tertiâ septimanâ elapsâ, tandem impulsa stylo, crustæ instar cauæ prodijt, exemptaque fuit, nasusque iterum subsedit.

Abitum paranti, dedimus vnguentum de Tuthia adeò spissum, vt in formam suppositorij redigi posset, quorum vnum priùs madefactum Aquâ viridi ex ærugine æris coctâ, in nares intrusum, adhuc aliquamdiu gestare iussimus, vt, ne recresceret polypus, caueretur. Sed & oleum Vitreoli, vt si fortè rursum pullularet, denuò illum eo tangeret, dedimus.

Dein vt candelæ ex Sulphure, Pice, Thure, Mastiche factæ, accensæ, denuoque extinctæ, fumum per infundibulum indies bis in nares intromitteret, iussimus.

Sicque fœliciter hæc cura cecidit.

Polypus ex casu supra nasum.

NObilis quidam ebrius, casu ex equo in terram, nasum contudit, ex qua læsione, intrinsecùs nare vnâ exulceratâ, caro luxuriare & polypus nasci cœpit aliquantum, cùm ad me consilij causâ veniret, iam è nare prominens, adeò narem illam oppleuerat, ut naso alioquin compresso, vix aërem admitteret, & non nisi ore aperto illum haurire posset. Chirurgum, quem secum adduxerat, iussimus hæc illi applicare remedia, Anno 1589. mense Octobri.

Vnguentum sequẽs cum petia linteoli, naribus intrudat, illic vbi inter polypum & nares adhuc patet aditus, repetatq; bis in die. ℞. vnguenti Ægy-

priaci

ptiaci ℥.ß. cort. Granat. Gallarũ an. ʒ.ß.ol. Vitreoli ℈.j.misce.

Dein vt irroraret illi in nares sequente liquore, capite adeò resupinato, vt nares subire posset: ℞. ol. Vitreoli ℈.j. Aluminis vsti ʒ.j. aquæ Plantag ℥.j. misce.

Cùm reuerteretur post dies quatuordecim, aliquousque iam absumptus erat polypus. Verùm vt penitùs auferretur, sequenti dein vsus est: ℞. Sublimati ʒ.j. coquatur in aquæ Fabrorum ℥.iij.ad consumpt. medietatis, adde ol. Vitreoli ℈.ß. Aluminis vsti ʒ.j. misce. Et cum penicillo intincto, sæpe tangat polypum.

Sicq; penitùs ablatus est polypus, citra nasi defœdationem, nisi quòd ex casu latior & compressior remansit.

Tumor carneus in oculo.

VIde in Oculorum dolore. Lib. 11. Oculo adhærens tumor carneus, &c.

Caruncula seu Epulis in ore.

ANte annos quadraginta, caruncula mihi in oris sede dextra posteriore, circa finem dentium molariũ, enata, sensim excreuit, mollis, rubra, pendula, quæ interdum admodùm intumescit, nonnunquã flaccescit, vt vix lingua eò adacta eam deprehendat, radice adhæret tenui, nullum aliàs impedimentum, etsi nucis moschatæ instar adaucta, in os propêdeat, adferens, cùm etsi dentes iungantur, minimè hisce prematur, sed post eos residead. Accidit tamen aliquando, vt vesicula oblonga, sanguine atro plena huic accreuerit, quæ in fauces vlteriùs propendens, inter manducandum, molestiam aliquam pariebat, quæ tamen in cibi masticatione tandem confracta, euanuit. Mirum sanè cũ

hæc caruncula veluti filo tantùm appenſa hæreat, non fuiſſe tot annos in motibus illis validis, quos maxilla obit, abruptam. Quam ſectione quoque, metuens hæmorrhagiam, auferre, cùm non neceſſe eſſe putauerim, adhuc retineo.

Excreſcentia inſtar colli anſerini, in pudendo fœminæ.

IN pudẽdi rimę diuiſæ ſuperiori ſede, ſupra meatũ vrinarium, vbi clithoris eminet, cuidam vrbis noſtræ ex bona familia fœminæ, excreſcentia quædã er ata, adeô excreuit, vt collum anſerinum amplitudine & longitudine exprimeret. An clithoris ſic adaucta fuerit, vel aliud ſarcoma, non licuit, cùm nollet hoc mihi oſtendere, diſcernere; ex contactu tamen illius, quem non niſi locis vicinis benè tectis concedebat, carnem referre, cognoui. Cùm, vt amputaretur nollet concedere, filo arſenico imbuto, chirurgus circumligauit: ſed cùm magnus dolor inde ſuboriretur atq; inflammatio, eo mox amoto, hiſce erat occurrendum; quibus ſedatis, illa nihil ampliùs adhibere voluit; ſed pœnè quinquaginta annos, hoc affectu moleſtata, & dum marito cohabitaret, tum poſtea vidua facta tandem ætate & morbo confecta obijt.

Condylomata Feigwartzen.

QVidam adulter, cum impura muliere ſe commiſcens, condylomatibus multis, cum ſummo ardore infeſtabatur, quæ præter morem, non ſolùm podicem, ſed & ſcrotum vniuerſum, virgam & magnum ſpatium vicinarum coxarum, circa inguina, occupabant, curatus fuit ſola inunctionẽ huius vnguenti: Quod ℞. Argenti viui ℥.ij. extin-

ctì cum

cti cum resinæ Laricea ℥.j. Minij ʒ. ij. Aeruginis Aeris ʒ. ß. ol. Nucum ℥. ij. fiat illitio.

Oedema pedis post podagram.

VIde in Hypochondriaco dolore. Lib. II. Nephriticus dolor ob calculum, &c.

Crus vnum longè maius altero.

CRus vnum triplo maius altero crure sano, quidam lanius vir robustus habebat, idque licet multis priùs vsus esset remedijs, non decrescebat sed magis adhuc augebatur, quod inspiciens, Anno 1592. cùm viderem impressam non remanere foueam, carnositatem potiùs quandam, quàm ex pituita aut flatibus distentionem esse iudicaui; erat autem tumor indolens, etsi nonnihil ruberet. Atque licet diuturnum iam esset malum, tamen vt temperanter viueret, admonui.

Purgaui illum pilulis fortioribus Coceijs. Vt bis in septimana sudaret in stupha imperaui, biberetque horâ vnâ, ante illius ingressum, Gaiaci decoctum.

Dein crus illinire præcepi Aquâ vitæ, in qua infusa essent, Saluia, & Thymus.

Tandem iussi fasciâ inuoluere crus, eo modo, sicuti in consilio pro crure œdematoso superiùs explicatum.

Et pedem immergere, indies in sequens lixiuium: ℞. cinerum Quercus, & Osium combustorum q.s. transcoletur Vrina pueri, & aqua Fabrorum ferrata, & parùm Vini ad mensur. iij. quibus adde Salis P. ij. Aluminis, Sulphuris viui, an. ℥. ß. Baccarum lauri ℥. j. Vtatur.

Cùm continuaret hæc, & fasciam indies gestaret, cœpit sensim subsidere crus, fuitque liberatus.

Pedes inflati, cum dolore, atque incedendi impotentia.

CVidam seni rustico, pedes inflati erant, admodùm, ad medium tibiarum vsque, iam longo tempore, nullo apparente rubore, sed dolore simul illic vrgente graui, adeò vt nullo pacto incedere posset.

Ad me adductus Anno 1601. August. mense Purgato prius corpore; Iussi eum in Vini albi mensur. sex sequentia infundere: ℞. ras. Gaiaci ℔. j. Zarsæ parill. rad. Petasit. an. ℥. iij. rad. Enulæ, Ireos an. ℥. j. Seruetur in dolio. Et de eo manè bibat haustum cum Iusculo, aliumque in mensæ principio.

Et quia de dolore comprimente pectus, nocte præsertim, ob defluxionem descendentem conquerebatur: dedi ei pilulas octo de Cynoglossa singul. ponderant. gran. vj. vt nocte vnam semper sumeret.

Postquã absoluerat iam dicta, dolor remisit, remanente saltem tumore. Itaque iussi eum alternis diebus in stupha ieiunum sudare. Atque horâ ante ingressum, de sequenti decocto haustum bibere: ℞. Herniar. M j. rad. Ebuli ℥. j. rad. Enulę ℥. ß. rad. Ireos ʒ. ij. decoquantur in Vini & Aquæ mensur. j. vnde valde sudauit.

Post Balneum, sequens tumentibus pedibus applicuit: ℞. aq. Vitæ, Aceti albi an. Cyathum vnum, Salis ℥. ß. Cum panno immerso tepidè applicetur.

Vnde omnis tumor recessit, restitutusque fuit.

Crus œdematoſum.

MAgnifica quædam Domina, in matrimonio aliquot annos viuens ſterilis, menſibus diminutè fluentibus, crus habebat œdematoſum, de quo maximè conquerebatur, huicque vt curam adhiberem, rogabat, cùm hoc iam diu durârit, nec imminueretur.

Itaque An. 1604. quo hæc acciderunt, menſe Maio, curam hoc pacto inchoauit. Primùm præſcripto decenti viuendi modo, atque in victus quidem ratione, vt à vini nimio potu, cui aſſueuerat, ſibi temperaret, vel illud decocto, ligni Salſafras cum rad. Aſparagi & Fœniculi, ad vrinas mouendas, dilutum & Cinamomo aromatizatum, interdum biberet, ſuaſi, vtq; Seri Lactis caprini vel vaccini toto hoc menſe Maio, manè & ſerò poculum vnum ſumeret.

Poſtea abſoluto menſe, Trypheram Perſicam, Venæ ſectioni purgationis causâ præmiſit.

Sequenti die, Venâ brachij apertâ, ſanguis detractus fuit: Atque paulò ante tempus menſtruum, in pede iuxta malleolum, alia vena tuſa.

Dein ſequentibus diebus hoc Apozemate vſa fuit: ℞. cort. ligni Guaiaci raſi ℥.ij.ß. ligni Salſafras ℥.j.ß. rad. Fœniculi, Petroſel. Aſparagi an. ℥.j. Iridis ʒ.vj. Enulæ, Galangæ an. ℥.ß. cort. rad. Sambuci. cort. Ebuli an. ℥.j.ß. herb. Betonicæ, Calamentæ, Origani, Chamæpitheos, Chamædreos, Nepetæ an. M.j. ſum. Maioranæ, Saluiæ, Thymi, Roſmarini, fl. cord. Primulæ veris Geniſtæ an. P.j. ſem. Aniſi ℥.ß. Fœniculi ʒ.iij. Sileris mont. ʒ.j. ſem. Melonum ʒ.iij. Cicerum rub. P.j. Paſſul. enucl. quart. ß. ſemin. Carthami conquaſ. ℥.ij. fol. Senæ ℥.iij. Epithymi ℥.ß. fiat decoctio in Aqua & quarta parte Vini albi, & in colaturæ ſ.q. diſſolue Sacchari q. ſ. ad dulco-

randum fiat Apozema, pro quinque vel sex vicibus, arom. pul. Cinamomi & Gariophylorum.

In vltima potione vt meliùs purgaretur, infundere iussi Rhabarb. ℈. quatuor, Agarici in Melle ros. infusi ʒ ß. atque expressionem propinare.

Corpore sic purgato, & postmodum conseruis quibusdam restauratâ, ad sudores & vrinas promouendas, hoc decoctum præscriptum fuit: ℞. ligni Guaiaci rasi ℥. ij. Salsafras ℥. j. ß. rad. Fœniculi & Petasitidis an. ℥. j. rad. Enulæ ʒ. ij. sem. Melonum ʒ. iij. Cicerum P. j. fiat decoctio in ℔. quatuor Aquæ, coquantur ad consumptionem quartæ partis: Bibat manè ieiuna haustum, nunc singulis, nũc alternis diebus, & si sudor erũpat. vt illi vacet, tanti sper in lecto quiescat. Quòd si per vrinas potiùs operetur, eò minùs laborabit, atque æquè proderit. Et dum hisce vtens, non adeò astricta erat, quin & aëre sereno, prodire in publicum posset.

Topica quod attinet, Crus tumidum vniuersum, manè dum ieiuna erat, spongijs magnis in sequenti Lixiuio intinctis, calidè fouebat, & postea pannis calidis inuolutum, quousque siccabatur, permittebat. Fotus autem sic parabatur: ℞. cinerum ligni Quercus & sarmentorum Vitis, stipitum Fabarum & Caulium, Ossiumque omnium simul combustorum, æquas partes: Per hos transfundatur Aqua fabrorum extinctionis Ferri, additâ Aceti quarta parte: idque fiet toties, donec lixiuium efficaciam, & lentorem acquirat. In huius Lixiuij Mensur. v. dissolue Salis P. ij. Aluminis ℥. j. ß. Nitri ℥. ß. Sulphuris viui ʒ. vj. misce pro fotu.

Post fomentationem, inuoluat tibiam vniuersam, Fasciâ linteâ longâ, digitos tres vel quatuor latâ, à digitis pedum incipiendo, sursumque ad genu vsque procedendo, strictè ligando, ita tamen, ne partem nimis comprimat, & cauendo ne pli-

ne plicis aliqua in crus fiat impreſsio. Quod fiet, ſi faſcia ſic petijs inſutis formetur, vti in Praxi noſtra, hoc aptè fieri poſſe, docuimus.

Cùm hæc ſpatio temporis continuaſſet, crusque ſemper faſciâ ſtrictè ligatum & obuolutum habuiſſet, admodùm decreuit, adeò vt faſciam poſtea ſeponeret.

Verùm cùm tunc rurſum nonnihil, ſed non adeò vti priùs paululum tumeret, emplaſtrum hoc cruri fuit obuolutum, & faſciâ vt firmiter vndique hæreret, vinctum, & cùm tandem hunc laborem faſtidiret, ocream hoc emplaſtro intrinſecùs ſuffultam, ex corio paratam, ſtrictè cruri alligatam, deinceps geſtauit: fuitque emplaſtrum hoc modo paratum: ℞. emplaſtri Diachylonis communis & Ireati an. quar. j. malaxentur oleo Irino, atque oleo expreſſo ex ſemine Ebuli, adde gummi Bdellij, diſſoluti in Aceto forti & Aqua Vitæ ℥. ij. miſceantur, addendo Aluminis, Nitri, Sulphuris ana ℥. ß. pulueris radic. Cyclaminis, radic. Ebuli. an. ʒ. ij. cineris ſtipitum Braſsicæ ʒ. j. malaxentur prædictis oleis, atque additâ Reſinâ fiat emplaſtrum.

Hac ratione affectus hic diuturnus, licet non ſubitò, ſpatio tamen temporis fuit ſublatus, atque ita curatus, vt iam diu de eo non ampliùs conqueratur.

Crus œdemnatoſum & vlceroſum.

CRus tumidum & œdematoſum quidam iam longo tempore habebat, in quo tandem ſupra malleolum vlcus erupit cacoethes, cum rubore in ambitu & dolore.

Poſtquam huc venit, Anno 1600. Sept. menſ. Purgatus primùm fuit, decocto ex Fumaria, Lupulis, Sena, Polypod. & ſimilibus ad dies ſex.

Postea iussi illum decoctum Gaiaci cum rad. Enulæ & Petasit. bibere; Bibitque mensuras tres, semper manè antequam surgeret cyathum, & sudauit, nullo alio regimine, nisi vt decenti victus ratione vteretur adhibito.

Quo aliquandiu facto, Aquam sequentem cum pannis linteis vlceri applic. iussi, idque tamdiu, donec benè mundaretur vlcus. ℞. Vitreoli, Aluminis, Cerusæ an. æq. p. Coq. in Aceto & Colent. ad vsum; Postea emplastro hoc vsus est: ℞. ol. Ros. ℥. vj. succi Plantag. ℥. ij. Mellis, Aceti an. ℥. j. ß. Ærug. æris ʒ. j. coq. ad succorum consumpt. Adde Lithargyr. Tuthiæ, lap. Calamin. Cerusæ an. ℥. ß. Thuris, Mastic. an. ℥. ß. Tereb. Ceræ an. q. s. fiat Emplastrum.

Sic curatus fuit, postea Anno seq. mense Febr. reuersus, metuens recidiuam, denuò purgatus fuit. Ordin. aq. sudatoriam. Mēse Iunio tussi correptus & deflux. cōtinuis molestatus, purgaui iterum Vino purg. Præscripsi succum Liquir. cum aq. Vitæ & Oxymel. Pilulas Cynogl. vt prima nocte sumeret. Et cessarunt hæc omnia.

Crus œdematosum & pustulosum.

CRus œdematosum & pustulosum longo tempore quidam habuit, & licet thermis naturalibus vsus esset, alijsque pręsidijs, nullo tamen cum successu id factum est.

Ad me itaque ex Burgundia, An. 1604. veniens, & consilio meo vsus, crus plurimùm diminutum, pustulæque sanatæ fuerunt.

Balneum ex sequentibus hoc modo illi præscriptum fuit, in quo calido crus indies per horam mersum retineret, sic parato: ℞. aquæ Fabrorum extinctionis ferri, quantum pro vase semi implendo sufficit, adde Lixiuij facti ex trāscolatione cinerum ligni Quercus & ramētorū Vitium, Ossiumq;

com-

combuſtorum tertiã partem, Vini rubri aſtringentis menſ. j. Aceti rubri menſ. ß. quib. adde Alumin. ℥.j. Salis comm. ℥. ß. Nitri ʒ.ij. decoq. parùm addendo rad. Ebuli & Lapatij an. ℥.j. ſumm. Iunip. Sabinæ, Arthemiſiæ an. M.j. Lupin. conquaſ. P.j. vtatur.

Poſtquam pes poſt vſum huius balnei ſiccatus fuerit, pannis fumo Maſtiches ſuffumigatis, iuxta ignem illinatur, & madefiat poſtea ſequenti Lacte virginali: ℞. Litharg. ℥.j. Aceti albi ℥.vj. Alum. ℥. ß. Salis nitri ʒ.ij. Camphoræ ʒ.j. diſſol. coctione donec liqueſcat Aquæ vitæ ʒ.vj. aquæ rad. Oxylapatij deſtillatæ ex illis maceratis priùs in Acet. ʒ.ij. miſce diligenter.

Hiſce factis, faſciâ crus vniuerſum ab imo ſurſum inuoluendo ſtringat, ſicq; dies nocteſq; retineat, nec deponat, niſi eo tempore cùm crus balneo vult immergere.

Quibus cùm diu hac ratione vſus eſſet, cura feliciter ceſsit.

Tibiarum in nuda ſede intumeſcentia.

NObilis atque eruditus quidam vir, ex Saxonia ad me An. 1604. conſilij causâ venit. Affectus de quibus conquerebatur hi erant; Intumeſcebát illi tibiæ dextra præſertim, in nuda & excarni potiſsimùm illius ſede, quæ anteriore loco ſecundùm tibiæ longitudinem, deorſum ducitur, & ad illius interiora, vicinam tibiam reſpiciẽtia vergit. Quod ſpatium totum, cute & ſubiecto oſſe ſaltem conſtans, in tumorem ſubitò eleuabatur indolentem, concolorem, impreſſum aliquamdiu retinens veſtigium, pede inferiore alioquin à talo vſq; minimè tumente. Qui tumor interdum illicò ſubſidebat & euaneſcebat, certoque tempore præcedente priùs pruritu, calore & punctionibus, rurſum ſuboriebatur, & quando corpus decenter purga-

batur, conuenientique regimine vtebatur, diu interdum emanebat. Qui licet, multa adhibita fuerint remedia, non tamen penitùs profligabatur, sed iam multos annos eum molestauerat, præcipuumq; erat, quod amoueri cupiebat, accidens.

Præter illam extumescentiam, extrinsecùs nihil patebat, nisi pustulæ paucæ in pedibus, & brachijs, glandulæq; interdum nonnihil eleuatæ, quibusdam in corporis sedibus, tactu deprehendebantur. Per cætera benè habitus, colore viuido & viribus integris, non nisi de ventriculi doloribus quibusdam, præsertim cùm immoderatiùs viueret, conquerebatur, alijsq; leuibus, vt vrinæ inter mingendum ardore aliquo, capitis grauedine, accidentibus. Dein & animi perturbationes, quibus certo tempore afficiebatur, vti & insomnia turbulenta, eum melancholia quadam simul quandoq; infestari, satis demonstrabant: quæ & efficiebat, vt nimiùm ferè ob hunc tibiarum affectum, se excruciaret, & de curatione veluti desperaret.

Cùm hæc mihi exposuisset, cruraque demonstrasset, causamque vt exactè declararem, rogaret, in hũc modum respondi. Primùm locum affectum quod attineret, cùm excarnis tibiarum sit regio quæ intũmescit, eaque ex sola cute, membranis, periostijs & ossibus componatur, ossaq; tumores minimè patiantur, membraneas partes affici necesse esse. Quæ quoties humore copioso irrigentur, sic intumescere, eoque dissipato, rursum subsidere. Hisque & partis ad suscipiendum dispositionem, qui morbus in illis est, & humorem affluentem, qui causa illius existit, occasionem præbere.

Morbos hisce membraneis partib. & periostijs, in nudis præsertim corporis sedibus, quales sunt, in infima corporis sede, tibiarum iam dicta, & in superiore caluariæ, & in media pectoris, quam ster-

num

num vocant, regione, hisce sedibus familiares & peculiares, plures esse; nam & in Lue venerea & Cephalæis antiquis externis, malignis & peruersis morbis occupatis, hæc loca nũc dolorib. & cruciatibus, nũc tumoribus eminentib. nunc mollioribus nunc duris, interdum & exesis periostijs, luxuriãte tunc ossium nutrimento, nodis veluti infestari.

Verùm in hoc affectu indolente & tumore molli, in tibiarum nuda regione se exerente, morbum non alium, quàm illius loci imbecillitatem, quę ob caloris natiui defectum aliquem, & viarum laxitatem, ob copiosi humoris iteratumque sæpè influxum, oborta est remansitque, posse me statuere.

Factumq; fortè esse, vt vel frigore externo, vel alijs externis accidentibus aliquid passa hæc loca carne destituta, exanguia, frigidioraque, iniurijsq; externis exposita, hanc labem primò contraxerint, humorisque affluxui primam causam præbuerint, & ab eo ampliùs labefactata sint, vel humoris continuus affluxus, hanc imbecillitatem statim ab initio excitarit. Qui tamen nisi partis ad recipiendum hæc illius adfuisset aptitudo, ex imbecillitate illius contracta, potiùs sub cute vlteriùs in pedis inferiora, delapsus fuisset, & circa articulorum regionem subsistens, illic dolores, quod tamen hic minimè fit, procreasset.

Cæterùm an hic humor serosus à capite defluẽs, vel è venis exsudãs, aut ex abdomine sub cute deorsum subsidens, hasce sedes in tibijs imbuat, me existimare: Primùm eum à ventre minimè descẽdere, vti in asciticis fit, certissimè ex eo cognosci, quòd nec cachexiæ nec hydropis vẽturæ, vlla, nec infunctionum læsionibus, nec alijs corporis accidentibus, in habitu vel colore, nec excretis, vti nec in vrinis, adsint indicia: quod non ad pedis imum vsque, vt in asciticis primùm labatur, indeque sensim su-

periora quoque impleat, sed circa medium, vti dictum, in partibus membraneis, quas replet, more non adeò consueto subsistit.

A capite verò eum eousque defluere, & sicuti in podagricis, serosus potiùs quàm pituitosus defluens, circa arctam articulorum sedem hæret, ita hîc debilitatis hisce sedibus, se potiùs inserere, credibile esse, indiciumque huius esse, quòd plures capitis sit passus defluxiones.

Sed & è venis eûdem elabi serosum humorē, vti aliàs in alia superficiaria loca fertur, & glandulas, sicuti etiam illi nobili adimplet, & per sudores interdum exhauritur, sic hîc se insinuare, non præter rationem existere, indicaui, partis adiuuante laxitate & imbecillitate, quæ & humores facilè admittit, & in quā natura se exonerare solet, adeò vt licet non magna huius humoris, vel in venis, vel in capite sit copia, tamen leuem ob causam, concitatus, eò se deponat. Vel si ob intemperantiam copiosiùs coaceruetur, illuc citiùs delabatur, & à natura propellatur.

Dein & humorem, vt vt sit ad sedem dictam effluere, atque irrigando, eam in tumorem eleuare, certum esse. Eumque vt hoc præstet, non crassum, sed tenuem serosumque esse oportere, cùm tam citò eò se insinuet, rursumque dissipetur, tumorque iterum subsideat, quòd nulla ratione fieret, si à crassa pituita œdema quoddam gigneretur, vnde sensim, non subitò, in carnosa tibiarum sede potiùs quàm excarni tumor circumscriptus remanens, & qui ægrè digereretur, tumor generaretur. Et cùm humor ille pruritum aliquem ac punctiones, dum se primùm ingerit gignat, leuesq; illę tantum sint, nec diutiùs perseuerent, non admodùm acrem aut salsum, sed aqueum magis esse, apparere, qui irrigando membraneas hasce sedes, eas vt intume-

scant

ſcant potiùs, efficiat, quàm replendo ſpatia inter cutem, ſicuti verò in hydrope aſcite accidit, in tumorem attollat.

Quibus conſyderatis, facilè primam ſcaturiginem, ſeroſi illius humoris inueniri poſſe, nimirum illius, qui à capite defluit, cauſas eaſdem eſſe, quæ & aliarum ſunt defluxionum, à ſeroſis humoribus, à capite profectorum dependentium, vt podagræ, omnem immoderationem, inter quam Vinum & Venus primas tenent. Dein illius ſeri redundantiam, in venis cum ſanguine confuſi, cauſas eas, quæ ſerũ procreât copioſius, quæ ab alimentis humidis, potu nimio tanquam materiam præbentibus prodire poſſunt, & ventriculi hepatis, lienisq; aliqua in diſpoſitione, ſeu intemperie & imbecillitate, tanquam cauſa efficiente, quæ tamen tanta minimè ſint, vt cachexiæ, vel hydropis aliqua appareant initia, licet hæc & ventriculi quibuſdam doloribus, cæteriſque leuioribus paſsionibus, occaſionem aliquam præbere poſsint, vti & melancholiæ, cuius cauſam potiſsimùm, in venis meſeraicis latentem illuuiem, & ſuo tempore vaporibus tetris, cerebri ſpiritus perturbantem, eſſe, multis argumentis oſtendere me, ſi opus eſſet, poſſe. Quæ tamen omnia, non tanti momenti eſſe me exiſtimare, aut eouſq; progreſſa, vt de curatione ſit deſperandum.

Quam hoc pacto methodicè inſtitui poſſe, & vtiliter, edocui. Si ſuperfluitates hæ, è corpore varijs euacuationibus, per deiectiones inferiores, vrinarum & ſudorum prouocationes, diuerſionesque in alia loca, educantur, & à loco affecto auertantur: Viſcera naturalia confirmentur; Partes affectæ & debilitatæ, tibiæ ſcilicet, ab humore exiccentur, & ne influentem recipiant, conſtringantur, calorq; natiuus in illis excitetur.

His ita illi expositis, acquieuit, curamq; aggressus, per menses aliquot hîc substitit. Itaq; circa initium Iunij, Anno 1604. sumpto primùm intestina eluente pharmaco, sanguis postea illi fuit detractus. Inde præparatio, quæ & simul vrinas mouebat & per aluum educebat, aliquot dies instituta. Inde Vino, nunc leuiùs nunc fortiùs purgante, ex varijs concinnato, toto ferè mensis spatio, nunc singulis nunc alternis diebus, egregiè repurgatus fuit, nec admodùm debilitatus. Singulis interim diebus, antidotis semel ad robur addendum, vtebatur. Cauteriumque brachio diuersionis gratiâ, fuit appositum. Quibus omnibus peractis, Sudatorio propinato, sudores in lecto, terq; hebdomadatim in balneo sicco, aliquot septimanas, prouocaui. Ter interea rursum eum purgando, vnde secunda vice, cum purgaretur, copiosas sedes habuit, & à postremo purgante, vigesies deiecit. Interim tibię Lixiuijs potenter siccantibus & roborantibus, fomentatę indies fuerunt. Adhibita insuper ad dies quatuordecim, cibi exquisitâ parsimoniâ, cum quadam inedia. Quibus omnibus ita fuit à superfluitatibus exhaustus, tibiarumq; illa intumescentia adeò euanuit, vt iam se curatum, dubitare non ampliùs posset, licet, vti erat melancholicus, si vel leuissimum aliquid sentiret, recidiuam metueret, eoq; nomine moram hîc, stabilis ne esset cura futura, vt animaduerteret, traxit.

Cum itaq; in tibijs, quod illum maximè anxium reddebat, tumor non reuerteretur, atq; in patriam redire cogitaret, vt regimẽ sibi ad præseruationem præscriberem, & si fortè rediret malum, quo pacto ei occurrere deberet, vt docerem, roganti sequẽtia præscripsi, in hunc finem, ne humores de nouo generarentur, viamq; consuetam repeterent, cruraq; magis magisque confirmarentur.

Viuendi

Viuendi rationem primùm moderatam & decentem, in sex rerum non naturalium vsu.

Et vt ante hyemem maturè, & veris initio purgationes repeteret, & si tunc temporis in tibijs tumor vel minimus iterum appareret, per dies sex, sin minùs tres tantum continuaret: Venâ intermedio aliquo die interim apertâ.

Pro purgatione Vino sequenti, quo etiam priùs vsus erat, vtatur: ℞. radic. Iridis, Enulæ camp. ana ℥.vj. ligni Salsafras ℥.ß. rad. Cichorij, Fœnicul. cort. Capparorum an. ℥.j. herb. siccarum Absynth. ʒ.ij. Chamæpithæos, Chamædr. Maioranæ, Ceterach. flor. Cord. Genistæ an. ʒ.j.ß. sem. Fœnic. Coriandri an. ʒ.j. fol. Sennę ℥.j.ß. sem. Carthami conquass. ℥.ij. Mechoacæ ℥.j. Rhab. el. ℥ ß. Zingib. ʒ.j. conquass. adde ℔.vj. Vini, stent in infus. per biduum in loco calido. Postea vtatur sumendo ad ℥.vj. augendo vel minuendo dosim, prout operabitur.

Conueniet quoq; vt antequam frigus hyemale penitùs ingruat, si hebdomadatim stupham aut balneū intret, & in eo ieiunus sudet: sumpto priùs Mithridato, vel Rob. de ebulo an. ʒ.j.ß.

Vel sudatoriâ hac, quam & priùs bibit potione vtatur: ℞. ligni Gaiaci quart. j. Zarsæ parillæ ℥.j. ligni Salsafras, rad. Ireos, Enulæ, Petasitidis an. ʒ.vj. se. Milij solis ℥.ß. coquantur in ℔.8. Aquæ ad consumpt. mediæ partis, pro 5. vel 6. dosibus.

Lixiuio, vti & dum hîc erat, fomentet pedes, si vel minimùm tumoris in illis se manifestet, si verò non satis erit, sequens Emplastrum, quod & priùs profuit, rursum applicet.

Lixiuium fiet ex cineribus Ligni quercus, & ramentorum Vitis, & Ossibus combustis, transcolando cum Aqua fabrorum extinctionis ferri, in cuius mens. 5. dissol. Alum. ℥.ij. Sulphuris viui ℥.j.ß. Salis ℥.iiij. misce: Pro fomentatione tibiarum.

Emplaſtrum quod noctu geſtabit, ſic fiet: ℞. Emplaſtri de baccis lauri quart.j. diſſolu. Vino forti & Lixiuio tonſorum, addendo fol. Chamæpith. Betonicæ, pulueriſatorum an. ℥.ß. Lithargyrij ℥.j. Alumin. Salis nitri, Sulphuris viui an. ʒ.vj. Chalcitidis vſtæ ℥.ß. excipiantur Reſinâ & Pice, fiat magdaleon, cuius portio ſupra corium vel pannum linteum extenſa, ſecundùm tibiæ longitudinem applicabitur.

Reuerſus poſt biennium, etſi ſe curatum penitùs fateretur, tamen Melancholicus ſibi multa alia quibus laboraret imaginatus, ob id frequenter peregrinabatur.

Hydrocele.

MErcatori Gallo ante biennium ſcrotum, ſiniſtro latere intumuerat, è quo per puncturam Mediolani ſibi aquam, quæ in eo collecta fuerat, emitti curauit. Verùm poſt annum nouâ collectione factâ, rurſum aqua illic retenta, puncturâ emiſſa fuit. Quæ poſtea denuò ſenſim in ſcrotum deſtillans, iterum exacto anno, tumorem magnum in latere illius ſiniſtro peperit. Qui licet dolorem nullum pareret, tamen cùm etiam ad inguen vſque ſiniſtrum, tumor perueniret, illicque vbi vaſa ſeminaria, è peritonei cauitate egrediuntur, diſtentionem aliquam ſentiret, ab aqua, eam quoque ſedem, cùm ſacci media ſedes plena omnino eſſet, replente, vt ſine impedimento Francofurtum peruenire poſſet, rurſum tertia vice, aquam educere ſtatuit.

Quod illius conſilium cùm approbarem, adhibito lithotomo, primùm vt certi de aqua eſſemus, nec aliud quid in ſcroto contineri, ſic explorauimus, Anno 1597. Martij 5. Occluſis feneſtris, cùm accenſa candela, ſcroto opponeretur, ſplendor flammæ

flammæ illius, per scrotum pellucens, non corpus solidum, sed aquam tantùm inesse, manifestè declarabat.

De quo cùm certi essemus, puncturam hoc modo fecimus, Chirurgus mediam regionem scroti, vtrinque premens adeò, vt illic promineret, & testis in fundo scroti esset, adacto cultello acuto, quo venam Galli secare solent, scrotum in medio perforauit, statimque serosus humor, vrinæ penitùs substantiâ & colore similis prosilijt, premente continuò scrotum vndique Chirurgo, tamdiu quamdiu aqua exibat, donec tumor omnis in scroto subsedisset, latusque hoc illius alteri æquale factum esset.

Sed & dùm inguen premeret, ex abdominis quoque cauo, humor effluere videbatur, ita vt libra aquæ emanarit, quam solum scrotum, nisi è ventris cauo portio illius aliqua descendisset, continere minimè potuisset.

Hoc facto etsi non doleret, nec noua aqua descenderet, tamen in lectum fuit collocatus, atque emplastrum sequens adhibitum: ℞. farinæ Fabarum, scutellam vnam, subigatur cum Aqua ex radicibus & folijs Enulæ destillata, addendo postea oleum Lini, coquatur parùm, fiat cataplasma, quod supra pannum linteum extendatur, in medio foramine peruium, cui penis transmittatur, atque ita emplastrum in ipsius ambitu applicetur, & præsertim vtrumque inguen comprehendat, posteaque fasciâ seu subligaculo arctè ligetur.

Atque indies hoc emplastrum aliquot dierum spatio renouetur.

S

Vesica in oculo

VIde in Oculorum dolore. Lib. 11. In Oculo vesica casu nata.

Præputij retracti & glandis intumescentia.

PVer quidam annorum 12. retracto præputio, & glande denudatâ, reponere præputium, & glandem tegere ampliùs minimè potuit, vnde vehementer intumuit, 6. Decembr. Anno 1593. ordinaui balneum relaxans & oleum, intumuit ampliùs, & glans quoque adeò, vt præputium videretur circulo immenso eleuatum, & durum, & glans oui columbini magnitudine, non sine periculo, virga erat intorta, qualis hydropicorũ esse solet.

Curatus fuit hoc cataplasmate, quod continuò bis in die fuit applicatum, priùs inunctione facta ex oleo Rosaceo & Liliorum.

Cataplasma: ℞. farinæ seminum Lini, Fœnogr. ana ℥.j. ß. Fabarum ℥. ij. coquantur in Lacte, addendo olei Ros. Chamom. an. ℥.j. album Ouorum num.j. misce, fiat catapl.

Cùm tumor nondum cessaret, addidi 24. Decembris Bdellij in Aceto dissolut. ℨ. ij. Sulphuris viui ℨ.j.

Circa initium Ianuarij fuit exactè restitutus, cùm magnum priùs de amissione membri, esset periculum.

Varices in puerpera.

VIde in Febrib. Lib. 11. Febris, Conuulsio, Ischiadicus dolor &c.

Varicosa

Varicosa vena cum vlcere in tibia.

VIde in Superficiei corporis dolore. Lib. II. Vlcus cacoethe in tibia &c. Septies.

Cirsocele cum Tussi.

VIde in Respiratione praua Lib. I. Tussis diuturna, mictio purulenta &c.

Aneurisma.

QVidam mulieri, Anno 1604. venam in cubiti flexura, chirurgo secare volente, post ictum, sanguis maximo impetu, interruptis vicibus, prosiluit, qui statim peluim amplam semi adimplens, vix, nec nisi ligaturis strictis adhibitis, coerceri potuit: quibus tamen aliquamdiu relictis, cutis rursum coaluit, remansitque tumor inæqualis, acutus nonnihil & concolor, qui vehementi pulsu, tangentis digitum feriebat, & pressus retrocedebat: ex quibus Aneurisma esse iudicaui. Quod fortè iam priùs arteriæ osculo aperto, sanguineque arteriarum in profundo adhuc delitescente, nec adhuc sub cutem delato, natum fuerat; sectaque cute, sanguine eò per impetum delato & effuso, dein, postquam cicatrix inducta, illo remanente, sinumque sibi sub cute formante, foris apparere cœpit. Nisi fortè loco venæ, arteria casu in hac excarni cubiti sede secta, admodúmque læsa, in profundo aneurisma hoc, sub cute incluso sanguine, & post vulneris sanationem, tumorem illic gignente, pepererit.

Scrophulæ.

NObilis quędam Galla vidua, iuuenis, formosa, defluxionibus in faciem præsertim procumbentibus adeò erat obnoxia, vt ex illis malæ glandulæq; sub mento interdum intumescerent, tandemq; indurescerent in scrophulas. Quas illa, metuens strumas, omni studio, summaque anxietate deleri rogabat, multisq; lachrymis obtestabatur, & quiduis subire minimè recusabat, quod tamen non nisi longo tẽpore, varijsq; tẽtatis succedere potuit.

Primùm itaque 5. Martij Anno 1592. etsi priùs sæpè purgata fuisset, iterum tamen purgatione hàc vsa est: ℞. pilul. Cocciarum ℈. ij. cum aqua Cinamom. fiant pilulæ 9.

Scarificatione vsa quoq; in scapulis & collo, tres cucurbitulas in vtroq; latere apposuit.

Dein 7. Martij, emplastrum formatum figurâ & amplitudine orbis fenestrarum, tumori imponere iussi: ℞. emplastri de Meliloto ℥. ß. malaxetur, oleo Cheirino.

10. Ad discussionem scrophularum: ℞. Aq. vitę ℥. j. ß. fl. Chamom. ʒ. ß. sem. Fœnogr. ʒ. j. Lauand. ʒ. ß. misce, bulliant parùm, colentur, hoc decocto noctu cubitum ituræ, fomentetur tumor Spongià vel Panno, intinctis calidè.

20. Cùm tumor non cederet: ℞. f. Sinapis ʒ. j. f. Vrticæ ʒ. ß. Sulphuris viui ʒ. j. ß. gummi Ammom. diss. in Aqua vitæ ʒ. ij. emplastri Dyachylonis ireati ʒ. ij. malaxentur oleo Lilior. fiat emplastrum, quod post fotũ, supra tumorem collocetur. Hoc emplastro scrophulę imminui cœperũt paucioresq; fieri.

29. Ad capitis corroborationem & ventriculi: ℞. cons. Ros. Major. an. ℥. ß. Anthos ʒ. ij. Cichoreæ ʒ. vj. Cinamom. ʒ. j. se. Coriandri, Galangæ an. ʒ. ß. Corall. vtriusq; ℈. ij. cum syr. de Stœchade fiat elect. Capiat alternis diebus. 13. Apr.

13. Aprilis, cùm de nouo ſcrophulæ increſceret, denuò illam purgaui: ℞. ligni Gaiaci ℥ iiij. Zarſæ paril. ℥. ß. fol. Betonicæ M. j. radic. Enulæ ʒ ij. fol. Sennæ ℥. j. ß ſe. Carthami ℥. j. ſe. Aniſi ℥. ij. Fœniculi ʒ. j. fiat decoctio, & in ℔. ß. colaturæ diſſol. Agarici infuſ. ʒ. iij. Zingiber ʒ. j. Cinamom. ʒ. ß. fiat expr. adde ſyrup. Roſ. fol. ſimpl. ℥. ij. fiat potio pro tribus doſibus.

Finita purg. ℞. conſer. Maior. ʒ. ß. Theriacæ ʒ. j. miſce: Capiat ieiuna. Et quia electuariũ defecerat: ℞. pul. Roſ. nouellę, Dianthos an. ℈. j. Garyoph. ℈. ij. Maioranæ ℈. ß. Sacchari ℥. iiij. fiat tragema.

17. Cataplaſma ſequens tumori adhiberi iuſsi: ℞. radic. Ireos ℥. iiij. incidantur minutim, decoq. in Vino albo, piſtentur, adde farinæ Fabarum & Hordei an. ℥. ij. ß. Mellis ℥. iiij. miſceantur.

3. Maij: ℞. ol. Liliorum & Cheirini an. ℥. j. ſucci rad. Ireos ℥. ß. aquæ Vitę ʒ. ij. coquatur ſuccus cum oleis, adde gummi Ammon. diſſol. in Aceto forti, fiat linimentum; Inungat ſcrophulas, ante cataplaſmatis applicationem.

6. Ad ſudores mouendos: ℞. ligni Gaiaci ℥. j. ß. Salſafras ℥. j. rad. Liquiritiæ ℥. ß. ſtent in infuſione in menſ. 3. Aquæ, poſtea decoquantur lento igne, ad conſumptionem tertiæ partis, adde Sacch. ℥. j. arom. Cinamom. ʒ. j. Capiat noctu cubitum itura, præcedente, horis quatuor ante, leui cœnâ, ℥. iiij. & diluat eodem decocto Vinum.

15. Fluxerunt menſes, iuſsi vt eo tempore quieſceret.

20. Iuſsi laminam plumbeam tenuiſſimam, ſupra ſcrophulas ligare.

21. Cùm de ventriculi dolore cõquereretur: ℞. conſer. Roſ. ℥. j. conſer. Maior. conditi Citri & Zingib. an. ℥. ß. Cinamom. ʒ. j. Piperis gran. vj. Gariophyl. ℈ j. cum ſyrupo Roſ. rub. fiat electuarium: De

quo capiat manè, postquam ex decocto Gaiaci sudarit.

23. Fortius adhuc emplastrum præscripsi: ℞. sem. Sinapis, Vrticæ, Spumæ maris, rad. Aristolo: rot. & Pyrethri an. ʒ. ß. Scillæ præpar. pulpæ Colocynthid. an. ℈. j. Sulphuris viui ʒ. j. puluerisat. diligenter, adde gummi Ammon. Bdellij diss. in Aceto fortis. an. ℥. ß. cum pauca Cera & oleo Liliorum, fiat emplastrum, quod extensum supra corium scrophulis applicetur.

1. Iunij: ℞. lap. Spongiæ ʒ. j. Spongiæ combustæ ʒ. ß. Coralli vtriusq; ʒ. j. ossis Sepiæ, rad. Pimpinellæ an. ʒ. ß. Cinam. ʒ. j. Zing. Garioph. an. ℈. j. Sacch. ros. tab. ℥. ij. ß. fiat puluis: Vtatur manè, nam scrophulas absumit.

Fomententur quoq; ante applicationem duræ glandulæ sub mento: ℞. fol. Caulium rec. rubr. fol. Hyosquyami & Chelidoniæ, Vrticæ mortuæ, fol. Pimpinellæ an. M. j. radic. Raphani ℥. j. rad. Aristol. rot. ℥. ß. incidantur omnia, & decoquantur cum Aceto rosaceo: Et foueatur pars affecta.

8. Vt corpus denuò euacuaretur, sic purgaui: ℞. syrup. de Stœch. ℥. j. syr. Ros. sol. cum infus. Agar. & fol. Sennæ ℥. j. ß. aquæ Fœniculi, Maioranæ an. ℥. ij. misce: Capiat manè.

13. Quia maiore expurgatione opus habere videbatur: ℞. pil. Cocciarum, Aurearum an. ʒ. ß. cum aqua Cinam. fiant pillulæ 9. Capiat summo manè.

17. Defluxione nouâ in dentes & malum & collum subortâ, tertiò purgationem institui: ℞. pilul. Sine quibus, Aggregat. an. ʒ. j. Aurearum, Cocci. an. ʒ. ß. cum syr. Ros. sol. cum infus. fiat massa: Capiat ʒ. ß. tertio semper die.

Item ad exiccationem cap. ℞. s. Coriandri ʒ. iiij. Nigellæ ʒ. j. rad. Ireos ven. ʒ. iij. Mastiches ʒ. ij. Ros. rub. Maior. Nucis mos. an. ʒ. ß. misce, Pro cucupha.

Pro

Pro suffumigatione cubiculi & integumentorum capitis: ℞. Storacis calam. ℥.ß. Benzoini ʒ.ij. Mastiches ʒ.j. Succini ʒ.ß. f. Nigellæ, Ros.rubr. ana ℈.j. fiat puluis, Pro suffumigio.

Emplastrum de Ruptura malaxatum oleo Mastichino, vtrinque temporibus applicet, ad intercipiendum defluxum catharri.

Cessante defluxione, scrophulæ quoq; euanuerunt, vnâ solâ remanente, profundâ tamen, quæ vix & nisi contactu cognoscebatur; Persistebat in vsu emplastri, 23. ordinati, quod continuò gestabat.

Dein & puluere adhuc vtebatur 1. Iunij ordin. quo absumpto alium Iulij 18. præscripsi: ℞. lapid. Spongiæ, Spongiæ combustæ, Coralli vtriusq; an. ʒ.ß. ossis Sepiæ, radic. Pimpin. ℈.j. Cinam. ʒ.j. Zing. Gariophyl. an. ℈.j. pulu. Ros. nou. ℈.j.ß. Sacch. ℥.iij. fiat puluis: Capiat ʒ.ij. pro vice.

1. Augusti, vt & quæ remanserat scrophula tolleretur, iussi reiterare cataplasma vt priùs 17. Aprilis præscriptum, addendo Sulphuris viui ℥.ß. Aquę vitæ ʒ. ij. Euphorbij ʒ.ß. ol. Liliorum ℥.j. fiat cataplasma.

Item ℞. tab. rec. dispens. Dianthos ℥.ij.ß. Capiat matutino tempore vnam.

Post cibum sumat de hac confectione: ℞. conser. Ros. cort. Citri cond. conser. Maioranæ, Stœchados an. ʒ.ij. pulu. Diacyton. sine speciebus ʒ. j. seminis Fœniculi, Coriandri an. ʒ. j. ß. Maioranæ siccæ ʒ. ß. Cinamom. ʒ.j. Sacchari ros. tabul. q.s. fiat mixtura.

Septembr. 6. vt ante hyemem corpus purgaretur, hoc ordine illam purgaui. Primò: ℞. pilul. Aggregat. sine Quibus an. ℈.j. cum aqua Saluiæ fiat pilulæ 7. Capiat.

7. Ad præparandum humorem: ℞. Mellis rof. ſyrup. de Byzantijs an.℥.j.ſyr.de Stœch. ℥.ij. aquæ Capill.ven.Fœnicul. Hyſſopi, Anthos an.℥.ij.ß.fiat Iulep.arom. Cinam.& Zingib. an.ʒ.ß. Capiat ℥.iiij. aliquot matutinis.

Finito præparante 12.℞.conſeru.Maior.Anthos an ʒ.j.Capiat.

18. Vt per vices purgaretur, ordinaui ſyrupum longum: ℞.rad.Ireos,Enulę,Petroſ.Gramin.Aſparagi, an. ℥.ij. herb. Meliſſæ, Scrophulariæ,Betonicæ,Capill.ven.Marrubij,Scabioſæ an.M.j.ſe.Petroſel. Aniſi, Seſeleos, Fœniculi, Carui an. ʒ.j. ſemin. Iunip. ʒ.j.ß. Paſſul.℥. j. Polypod. ℥.ij. Sennæ ℥.iiij. fiat decoctio,& in colatura infunde Turbith, rad. Eſulę,macerat.in Lacte an.ʒ.iij. iterum parùm bulliant, colentur, adde Oxymel. ſquill.ſyr.de Stœch. an.℥.iij.Sacchari ℥.ij. fiat ſyr. perfectè coctus,arom. Zingib.ʒ.ij.Capiat ℥.ij.ß.per ſe,vel cum Iuſculis interpoſitis,ſemper duobus diebus.

22. Ad diuertendam materiam, ad partem affectam deſcendentem, applicaui nuchæ Veſicatorium ex Flammula. Et ruptâ veſicâ, humoris maxima copia effluxit, vt totum dorſum commadefaceret, continuauitque fluxus quamdiu aperta retenta fuit, Butyro applicato cum fol. Braſsicæ.

Octobris 4. nondum penitùs ablatâ ſcrophulâ, applicaui Emplaſtrum de Vigo.

6. ℞. conſeru. Maioranæ, Anthos, Stœchados an.℥.j.pul.Dianthos ℈.j.Coralli vtriuſq; ʒ.ß.Spongiæ vſtæ ℈.ij. cum ſyr. de Stœch. fiat electuarium: Quo per vices vtatur.

Atque ita per hyemem, vix dum apparente amplius ſcrophulâ,ab vſu remediorum ceſſauit.

Sequenti anno 1593. veris tempore,ſollicita ne ſcrophulæ denuò naſcerentur,purgari voluit.

Idcirco

Idcirco Aprili menſe die 8. ℞. pilul. Aggregat. ℈.ij.cum aqua Hyſopi, fiant pilulę 9. Sumat.

10. Venam aperuit.

Poſtea præparata fuit materia : ℞. Mellis roſ. ſyr. de Byzantijs an. ℥.j. ſyr. de Stœchade ℥.j. aquarum Fœniculi, Saluiæ, Hyſopi, Maioranæ, Betonicæ an. ℥. iij. fiat Iulep. arom. Zingib. ʒ.j. Cinam. ʒ.ij. Pro quinque doſibus.

Hiſce abſolutis, purgata fuit: ℞. pilul. Cocciarum ℈.ij. cum aqua Cinam. fiant pilulæ 9.

Maio menſe, cùm in patriam Burgundiam abire cogitaret, ſollicita adhuc, ne ſcrophula in illa obſeruaretur, & nimiùm pulchritudini ſtudens, etſi nemo illam poſſet cognoſcere : Tamen cùm vt penitùs deleretur, extrema tentarem remedia, pręcibus & lachrymis rogaret, poſtremam adhibui manum.

7. Decoctum itaque ſequens ordinaui: ℞. Pentaphylli, Liquirit. Spatulæ fœtidæ, Scrophulariæ, Filipendulæ an. ℥.j. Ariſtol. rot. ℥. ß. herb. Pimpinellæ, Piloſellæ, Tanaceti, Caulium rub. an. M.j. ſe. Vrticæ, Petroſel. Apij an. ʒ.j. fl. Geniſtæ, Cicerum rub. an. M.j. Vini generoſi, Menſ. ij. ß. Mellis quartā part. menſ. fiat decoctio, ad conſumpt. medietatis, vt tantùm remaneat. Men. j. ß. coletur, aromat. Cinam. ʒ. ij. Bibat per octiduum, comedēdo ſemper tab. j. Diarrhodon.

Poſtea: ℞. Apozematis quo vtitur ℥.ij. ß. ſyr. Roſ. ſol. cum inf. Rhabarb. ℥.j. miſce. Bibat tribus vicibus hanc potionem.

20. ℞. Spongiæ combuſtæ ʒ. iij. oſsis Sepiæ ʒ.j. lap. Spongiæ ʒ.ij. lap. Specularis ʒ.j. Cinamom. ʒ.ij. Gallarum ʒ.ß. fl. Geniſtæ, ſem. Plantag. ciner. cort. Ouorum, Zingib. Salis gemmæ an. ℈.j. Piperis longi, nigri, Pyrethri an. ℈.ß. Sacchari ad pōdus omniū, fiat puluis. Quo vtatur manè.

Cataplaſma deinde, vt extremum hoc,tumori vix dum apparenti applicaret,ſuaſi:℞.rad.Cucum. aſin.Ireos, Bryoniæ, Cyclaminis an.℥.j.contũdantur parùm & macerentur in Vino albo, poſtea decoque, adde Fimi caprini, Columbini an.℥.j.ß.agitentur in mortario,adde gummi Ammom.Bdellij, Galbani an.℥.ß.Styracis liquidę,ʒ.j. diſſol.in Aceto ſquill.miſce,fiat cataplaſma.

Hiſce non contenta, emplaſtrum pamptades Aetij,conſilio MediciGalli primarij applicauit,ſed mox excoriatione & inflammatione ſecutâ illic, etſi multùm conſtiterit,abiecit.

Reuerſa & faſſa errorem, poſthac ſe nihil mutaturam promittens,ſaltem vt reliquię illæ tollerentur, quæ tamen nullius erant momenti, nec quiſquam cernere aut obſeruare, niſi admonitus, poſſet: Tamen vt morem gererem, omiſsis omnibus alijs, hoc linimento ſemel in die illinere partẽ iuſsi: ℞.ſucci Rutæ,Sabinæ an.℥.j.ß.Aceti ſcill.℥.j.Aquæ vitæ ℥.ß. ol. Lilior.Rutacei an.℥.ij. ol.Caſtorei ℥.ß. decoqua. ad ſuccorum conſumpt. adde Bdellij in Aceto diſſol.℥. ß. Sulphuris viui ʒ. j. lap. Pumicis, Nucis cupreſ.Ariſt. rot. an.ʒ.j.Euphorbij ℈.j.Ceræ q.ſ.fiat linimentum.

Cauterium quoque in nucha applicui, & quia poſt ſeptimanas vulnus coaluerat,repetij.

Poſtea diſcedens, thermarum acidarum potum quoque experiri voluit, quibus vſa in patriam reuerſa,ſe ab hoc incommodo liberatam fuiſſe, poſtea ad me ſcripſit.

Scrophulæ collum vndique occupantes & implentes.

NObili adoleſcenti cuidam Auſtriaco,aliquandiu in Gallijs verſanti, cœperunt ſcrophulæ in am-

in ambitu colli enaſci, nec ſolũ illic, ſed & ſub axillis glandulæ intumeſcere atque indurari, vti & exiguæ in pectore, dorſo, ſub cute ſe pateſacere, augebanturque illæ in collo indies, & licet Medicorum operâ vteretur, nullus tamen inde ſucceſſus ſequebatur. Quare Lugdunum profectus, poſt menſes quindecim, ab origine huius mali, eius loci Medicorum conſilio vſus, admodùm fuit continuatis deiectionibus purgatus, ſudorificis item vehementer inanitus, fotus, emplaſtra varia adhibita, quæ per totam hyemem fuerunt repetita.

Martio menſe Anni 1610. cùm priora parũ profeciſſent, ad fortiora progreſsi, vnguento ex Hydrargyro eum inunxerũt, vnde expuitio frequens, & copioſa ſubſequuta, cœperuntque grandiores ſcrophulæ nonnihil detumeſcere, ſed mox iterum ceſſante ſpuitione, augeri. Emplaſtrum de Vigo fuit appoſitum, additis varijs emollientibus, tandem maioribus & eminentioribus ſtrumis, cataplaſmata, vt ſi fieri poſſet, ſuppurarentur, impoſita fuerunt, diuque hęc, ſed ſine fructu vſurpata. Bonâ interea victus ratione vſus, atque Diætâ vt vocant, cum vſu decocti Guaiaci, ad ſudores mouendos, ad multos dies. Cauterium in vtroque brachio vſtum; Aſſumptis itidem quæ defluxiones cauerent, cerebrum ſiccando, humoreſque aqueos & pituitoſos abſumendo. Cùm nulla ſpes, eum ad thermas ſulphureas, vt eas biberet, in illiſque ſederet, in patriam Auſtriam ablegarunt.

Verùm hûc Baſileam veniens, menſe Iulio, Anni prædicti, meum quoque conſilium audire voluit. Cùm itaque horrendum illum affectum inſpicerem, multaſque glandulas duriſsimas, ab vtraque aure ad thoracem vſque, vniuerſum collum occupaſſe, adeoque impleuiſſe, vt caput veluti collo duplo ampliori, inſertum appareret, prętęr alias glan-

dulas, ſub axillis ſatis magnas, atque paruas quaſdam, ſub cute in thorace hinc inde prominentes, exiguam aut nullam curationis ſpem concipiens, ſuaſi vt in patriam, thermarum illarum ſulphurearum, quas Medici Lugdunenſes ſuaſerant, vtendarum causâ, proficiſceretur. Verùm cùm & apud nos in Heluetia, vicinæ tales haberentur thermæ, maluit illis eo in loco vti: quare eò profectus, & ſeptem ſeptimanarum ſpacio, illic poſtquam manſiſſet, easque bibiſſet, denuò hûc redijt, nihilo meliùs ſe habens, niſi quòd iuxta dextram aurem, tuberculum liuidum ſupra tumorem eruperat, & iuxta ſiniſtram protuberantia magna, tumorque duriſsimus colli anteriora premens, deglutitioni & reſpirationi impedimentum magnum adferebat. Volui vt domum reuerteretur, ſed omnino ſe meis ſolùm remedijs adhuc vſurũ, nec quicquam aliud tentaturum, ſibi propoſuit, malleque ſe hîc quàm alibi mori; quare etſi peſtis apud nos, & in ea platea vbi verſabatur, graſſaretur, recedere tamen noluit.

Itaque miſericordiâ motus, volui quædam experiri ex efficacioribus remedijs, nam ſectionem aut vſtionem, in tam magna mole, locoque nobiliore, ob colli venas maiores, quam & Chirurgi periti ores, quos eum vt inſpicerent conuocaui, improbabant, ſuadere neutiquam potui.

Adhibui itaque emplaſtra ex Cranio vſto, Luto fornacum vſto, Ebore foſsili, additis Gummatis multis & Melle ſquillitico, Sulphure viuo alijsque efficacioribus; Vnde videbatur tumor aliquo in loco leuiter minui, ſed mox iterum increſcere. Tuberculum quoque illud propè aurem dextram, nucis inſtar adauctum, tandem cuticulâ abraſâ, ſanguinem emittebat, & medulloſa materia ex eo prodibat, vnde tamen non ſubſidebat; Hinc inde quoq;

è poris

ė poris apertis mador erupit, rubebatque nonnihil tumor, qui ob pruritum vehementem, detracto emplastro, eum vt scalperet, coëgit. Dein etiam in medio tumoris enascebatur, oblonga caro dura, extuberans, qualis in cancro prodire solet, adeò vt scrophulas aliquas in cancrum degenerasse crediderim.

Hisce peractis, per nouem hebdomadas, cœperunt pedes admodûm tumere, illeque difficultate spirandi & deglutiendi maximè angi, donec 20. Octobris subitò, accedente quadam defluxione, suffocatus sicque extinctus fuerit.

Sectione factâ, per longitudinem colli tribus in locis, trium digitorum profunditate, antequam musculi conspicerētur, latera vulnerum, sicuti porcis in dorso apertis, lardum spissum album, sic & hîc alba spissa crassa, apparuerunt: in quibus vndique toto ductu, glandulæ nunc paruæ, pisi, nunc maiores fabę instar, sed mutuò cohærentes, & totá illam albam mucosam sedem vndique opplentes, deprehensæ fuerunt, quas sanè remedijs absumere vti fuisset impossibile, ita sectione eas eximere, ob mortis periculum, inconsultum.

In Pectore tumor, pugni instar, mollis, cedens, strepitum edens, cui Scrophulæ in collo accedebant.

IVuenis quidam Friburgēsis, annorum supra viginti, scrophulis in collo multis abundans, tumorem insuper in pectoris regione, vbi costæ dehiscunt, habebat instar pugni, mollem, qui compressus cedebat, rursumque inflationis instar remissus, redibat cum strepitu, quem etiam proferebat, quando impetu quodam pectus dilatare conabatur, potuitque quotiescunque volebat, hoc mo-

tu pectoris strepitum, quasi crepitum, atque si vesicam aridam inflatam premeret, excitare, quem stantes audiebant: macilẽtus alioquin & pallidus, lipothymias frequentes patiebatur, & sanguinem interdum sed rarò exscreans. Varia à Gallis & Germanis Medicis in eo fuerunt tentata remedia, sed plerunque sine successu, tandem annis quibusdam elapsis, prædicta nonnihil remiserunt, adeò vt vxorem duxerit, sed miserrimè cõsumptus, breui post vitam cum morte commutauit, alijs superuenientibus insuper morbis.

Glandulæ induratæ & auctæ, ventrem tumidum reddentes.

MVlier quædam circumibat, An. 1557. ventre admodùm turgente, ac si grauida esset, idq; multos annos, quem tractans obseruaui, eum hinc inde, duris & globosis tumoribus inæqualibus, repletum, qui ex profundo emergentes, radicibus altis immersi, interiora ventris spectabant. Ex quo glandulas esse, in omento & mesenterio natas, iudicaui, induratas atq; adauctas, adeò vt foris quoque paterent. Ipsa pallida & debilis, diu adhuc viuens, tandem supremum clausit diem.

Glandulosi tumores in mesenterio, in ventre etiam apparentes.

IN Anatome mesenterium propiùs intuenti, deprehendimus in eo tumores glandulosos albos, duros, nucis magnitudine, hinc inde in diuersis locis intestinorum, mediæ sedi adeò connatos, vt intestina eo in loco sic intumuisse viderentur, atque indurata: quam duritiem, in ventre dum viuebat adhuc æger, prominenté, tactu deprehendere potuit, præsertim quando excrementa dura & sceuala,

uala, in ea ſede, vbi tumores hi anguſtiam in inteſtinis pariebant, diutiùs ſubſiſtebant, atque inteſtina ampliùs in tumorem eleuabant, vnde aluus illi conſtipabatur, colicique dolores illum excruciabant, quibus tandem euictus, occubuit.

Tumor teſtis durus immenſus, ſeu ſcirrhus.

NObilis quidam An. 1596. ex inflammatione, & ſuppuratione facta in ſcroto, durum eo loci ſcirrhum contraxit, qui anſerini oui magnitudine adauctus eſt, indolens, qui tamen impedimentum, præſertim inter equitandum, illi adferebat. Multis vſus eſt remedijs, verùm nullam ſentiebat diminutionem, donec Baſileam veniens, ſequentibus vſus, cœpit admodum imminui atque emolliri, ita vt diſcedens, de impedimento ampliùs minimè conquereretur, tumore ferè penitùs ablato, ſenſuque in illo recuperato.

Fomentare iuſsi primùm hoc fotu, ſingulis noctibus: ℞. rad. Bryoniæ, Ireos recentium an. ℥. iij. rad. Cyclami. ℥. j. ß. ſeminis Naſturtij ʒ. j. ſem. Sinapis ʒ. ij. rad. Ariſtol. rot. ℥. ß. Sulphuris ʒ. iij. decoquantur in Lixiuio & Aqua ferrata, Pro fotu.

Emplaſtrum dein applicet ſequens, dies noctesque geſtando, ſæpiusque renouando: ℞. gummi Ammon. Bdellij an. ℥. j. ß. infundantur in Aceto fortiſsimo per biduum, & diſſoluantur, addendo Sulphuris viui, Spumæ maris an. ʒ. ij. rad. Ariſtol. rot. ſeminum Vrticæ an. ʒ. j. ſem. Sinapis ʒ. j. ß. cum pauco oleo Antiquiſsimo & Cera rubra & Melle fiat emplaſtrum.

Vſus eſt poſtmodum, ſine fotu, quàm diutiſsimè, & cùm emolliri tumor inciperet, bonamque ſpem conciperet, vt meliùs procederet, Cataplaſ.

mate hoc noctu vti iussi, & manè atque interdiu emplastro.

Cataplasma tale erat: ℞. rad. Bryoniæ, Ireos, Liliorum recent: an. ℔.j. decoquantur in Lixiuio, & aqua Ferrata fabrorum, adde gummi Ammon. dissoluti in Aceto fortissimo ℥.j. ß. Sulphuris ℥. j. se. Sinapis ʒ.j. Butyri rec. ℥.iij. misce. Mirè profuit.

Eo absumpto, iussi perseuerare in vsu emplastri. Abeunti ord. vt aliquando suffumigaret, suffimigio ex Marcasita in priori consilio descripto.

Purgatus ab initio fuit, venaq; secta.

Tumor durus in maxilla inferiore.

PVellæ, postquam visus imbecillitate, ob maculam in oculo natam aliquamdiu laborasset, atque curata fuisset, vti in Visus imbecillitate supra demonstratum fuit, glandulæque circa mentum interdum illi intumescerent, tumor mense Nouembri, An. 1609. in sinistra menti regione sensim creuit, qui ex contactu exiguum dolorem inferebat, concolor, admodùm durus & amplus, & maxillæ humiliori regioni firmiter affixus, qui sensim ad pomi magnitudinem augebatur.

Cùm denuò à me opem flagitarent, metuentes ne faciem illius quam decoram esse cupiebat, dedecoraret, vt si fieri posset, discuteretur, sequens emplastrum præscripsi: ℞. Ochræ ʒ.ij. cineris cort. Salicis, sem. Nigellæ, stercoris Canis sicci an. ʒ.j. fiat puluis, excipiatur gummi Ammon. dissolut. in Aceto fortissimo ℥.j. Argenti viui dissoluti & agitati diu cum Resina abiet. ʒ.ß. fiat Emplastri magdaleon.

Applicuit & gestauit, renouando aliquoties, totum ferè mensem, vnde nonnihil diminui tumor videbatur, & certis in locis mollis contactu deprehendi, ita vt vna sede durus, penitùs tactui non cederet

deret, vno & altero loco verò cederet, atque ac si materia quædam cocta subesset, se manifestaret.

Ex quo aperturam faciendam esse censui, adhibuimusque ab initio Fermentum cum Cœpa cocta sub prunis, vnde cœpit summa cutis parùm excoqui, ita vt ichor aliquis transsudaret. Verùm cùm nulla materia spissior, quę inesse contactu colligebatur, prodiret, Cauterium indolēs, in ima tumoris molli sede imposuimus, vnde escharâ factâ, eaque detractâ, erupit materia alba crassa adiposa.

Supra aperturam emplastrum Diachylon fuit impositum. Et quia foramen nimis angustum erat, rad. Gentianæ in turundam scissâ impositâ, dilatatum fuit. Et vt abstergeretur tumor, ab inhærente copiosâ materiâ, vnguentum Ægyptiacum inditum. Foris emplastrum ex Ochra, vt magis emolliret, impositum, prodijtque materia dura, in folliculo contenta, vlcusque ampliùs patuit.

Bibit interea potionem hanc traumaticam quę ℞. fol. Agrimoniæ, Pyrolę, Solidag Sarraceni. Pimpinellæ, Ceterach an. M.j. rad. Consol. mai. ℥. j. ß. Guaiaci rasi quartariū j. Zarsæ parillæ, ℥. j. incidantur & diuidantur in quatuor partes. Cuilibet adde Vini & Aquæ an. M. j. ß. decoquantur ad consump. tertiæ partis, dulcorentur Saccharo; Bibat manè poculum vnum, nonnunquam & serò.

Chirurgus postea adhibitus, vt ex consilio nostro singula administraret, denuò Ægyptiacum imposuit, & cùm dolor suboriretur, id vnguento de Cerusa contemperauit.

Quatriduo postea, materia alba pinguis medullosa, sed subrubra apparuit, quam digito indito, nucis magnitudine exemit. Postea hoc abstersiuo vsus est: ℞. ol. Rosſ. Vini. an. ℥. j. Mellis, succi Apij an. ℥. ß. Tereb. ʒ. j. cum petijs indatur. Superposuit emplastrum de Cerusa.

T

Continuauit hoc pacto curam hisce appositis, & bibendo potionem vulnerariam. Et post dies aliquot, rursum exemit digito & instrumento materiam instar prædictæ copiosissimam, veluti folliculo inclusam, patuitq; vlcus cauum & amplum admodùm, ad maxillæ inferioris os vsq; progrediens.

Vt omnis illuuies prodiret; indidit Vitreolum album, cum petia in Vino albo madefacta; Foris defensiuum ex Cerusa. Biduo post insperſit Vitreolum dissolutum in Vino albo, sed cùm dolor inuaderet, postea ex Vino Melle & ol. Ros. iniectionem fecit. Vnde tandem prodijt penitùs illa materia, & subsecuta est caro rubicunda.

Atque sensim vlcus carne fuit impletum, adeò vt caro etiam luxuriaret, ad eamq; reprimendam, Alumen vstum inspergere oportuerit. Sicque fuit curata.

Atheroma sub mento.

QVidam Oratori regis Hispaniarum apud Heluetios, tumorem passo sub lingua, è quo rupto, aquea effluxit materia, postea alius erupit sub mento, pomi magni instar, durus, concolor & indolens. Verùm cùm grauiora metueret, accersiuit me Lucernam, Anno 1595. mense Septembri, statim atheroma esse iudicaui, nec posse nisi manuali opera curari, quam ille per sectionem fieri nolebat; sed cauterio meo id fieri volebat.

Corpore purgato primùm, præparante hoc postea est vsus: ℞. Mellis ros. colat. Oxymell. an. ℥.j. aquarum Endiuiæ, Betonicæ an. ℥.ij. arom. puluere Triasant. Capiat tribus matutinis.

Quarta die sumpsit hoc purgans: ℞. syrupi Ros. sol. cum inf. Senæ & Agarici, de Cichor. cum Rhabarbaro duplicato an. ℥.j. elect. de succo Ros. ʒ.j.ß. cum aquis Buglossæ & Betonicæ fiat potio. Decumbe-

cumbebat toto manè in lecto, dum purgabatur, hunc Italorum morem esse aiens.

Interea de Cauterio erat quæstio, quod applicui supra tumorem, meum quod sine dolore mortificat, & quia prima vice nō satis operabatur, nam nimis erat fluidum, parùm denuo in cochl.argenteo coxi, & rursum supra priorem crustam applicui, quod postea satis fecit.

Quo facto, folium Brassicæ cum Butyro supra escharā indies fuit applic. Sed quia nihil effluebat, & tumor nonnihil digitis cedebat, hoc modo progressus sum.

Ex Terebinthina & Vitello oui factum emplastrum, cum panno supra escharam applicui.

Postea cum spongiâ fiebat fotus talis: ℞.rad.Liliorum alb.℥.ij.Bryoniæ,Ireos an.℥.j. rad.Mandra. ℥.ß.herb.Altheæ,Maluæ,Maioranæ an.M.j.fl.Chamom.Meliloti, Sambuci an. P.j. sem. Lini ℥.ß.Fœnogr. ʒ.ij. Nigellæ ʒ.j. coquantur in Vino & Lixivio, pro fotu.

Post fomentum emplastrum vniuerso tumori adhibebatur: ℞. gummi Ammon. Bdellij, Oppopan.an.℥.j. dissoluantur in Aceto fortissimo adde Terebinth. q. s. permiscendo Sulphuris viui ʒ.ij. Salis Ammon. Nitri an. ʒ. ß. Cerusæ ʒ.j. fiat emplastrum.

Mutabantur indies bis hæc, atque eschara separabatur. Sicque sensim tumor subsedit, & effluente materiâ, breui temporis spatio omnia euanuerunt, mihiq; re ipsa & scriptis gratias egit.

Tumor in perinæo cum exulceratione in ceruice vesicæ.

VIde in Mictione Lib. III. Puris cum vrina & sine ea per penem, &c.

Ganglion in poplite vtriusque cruris.

HOnesta quædam matrona, aliquot annos in regione genu articuli, sede posteriore seu poplite, in vtroque crure tumorem gerebat, pugni magnitudine in vno, in altero paulò maiorem, cōcolorem, molestiam potiùs quàm dolorem afferentem, flexionem tamen articuli illius, & proin incessum aliquomodo impedientem, innatum tendinibus & ligamentis illius articuli. Quem cùm huc adducta, An. 1604. mens. Aug. inspicerem, Ganglion esse iudicaui.

Plumbarijs thermis, vt eos extirparet, alijsque remedijs sed sine fructu, vsa fuerat. Ad validiora transeundum esse docui. Illique primùm hunc fotum præscripsi: ℞. Lixiuij, Vrinæ & Vini ana æquas portiones, addendo ad mensur. j. huius liquoris, Aquæ vitæ ℥. j. Aquæ seu spiritus Iuniperi ʒ. j. cum Spongia intincta, fomententur tumores in poplite calidè.

Postea apponatur hoc Emplastrum: ℞. rad Bryoniæ, Iridis recent. an. ℔. ß. bulborum Liliorum ℥. ij. coquantur in Aceto fortissimo, & contundantur & pistentur addendo ol. Liliorum ℥. ij. gummi Ammon. dissoluti in Aqua vitæ ℥. iij. pulueris rad. Ireos ʒ. ij. redigantur in formam emplastri seu cataplasmatis.

Continuabat fotum & emplastrum indies, domum reuersa, spatio trium mensium, vnde admodùm imminuti tumores, adeò vt licet adhuc aliquid appareret, tamen nullum ferè impedimentum ampliùs adferrent.

Tumor in genu immenſus, mollis, laxus & diuturnus.

BIennium totum eiuſmodi tumorem mulier ruſtica, Lucernam ad me An. 1584. aduecta, in genu habebat, qui quò minùs rectè ſtare vel incedere poſſet, admodùm illam impediebat. Mecum de ſolutione, ſi curaturum ſe pollicerer, paciſci volentem, ſummâ pecuniæ mediocri oblatâ, quam de curatione dubius, recuſaui, ablegaui, ſequentíque iuſsi vti remedio.

Vt radices Bryoniæ recentes, & rad. Iridis, in talleolos ſectas, vnâ cum bulbis Liliorum & Narciſci vulgaris pratorum, incideret & contunderet, atque in Vino additâ etiam Aquâ vitæ coqueret, deque hoc Cataplaſmate portionem calidam, cum panno Linteo indies tumori imponeret, ligaretq́;, derasâ ſemper priùs remanentiâ, quæ ſiccata tumori adhæreret.

Poſt tres ſeptimanas, cùm in ponte illic cum capitaneis Heluetijs quibuſdam deambularem, accurrit ad me, erecta & benè incedens, niſi quòd nō nihil titubabat, quia pota erat, iocando mihi illudens, quòd conditionē de ſoluenda pecunia, quam libētiſsimè ſi certa de cura fuiſſet, ſoluiſſet, recuſaſſem. Nam ſe perfectè iam ſanam, quod ſaltando & currendo probabat, exiſtere.

Tumor in genu huic ſimilis in alia.

ALia hoc Cataplaſmate adhibito fuit ſanata: ℞. rad. Iridis recentis, inciſæ minutim, decoquantur in Vino, miſcendo farinam Fabarum, atque oleum Liliorum, ſæpeq́ue adhibeatur & renouetur.

Tumor in genu, subsequentibus phly-ctenis, dein crustis, tandem & vlcere.

TVmor in genu indolens & concolor, totum decennium in quodam quinquagenario durauerat, tandem pars incalescere cœpit, phlyctenęque erūpere, illisq; disruptis, crustæ crassæ enasci. Laborabat insuper ventriculi imbecillitate, & pituitam frequenter manè expuebat. Corpore erat repleto, & obeso, atq; otiosus viuebat. Etsi autem doloribus non magnis infestaretur, cupiebat tamen, vt totius corporis haberetur ratio, grauioribusque occurreret accidentibus.

Itaque cùm hîc subsisteret, An. 1583, cura generalis fuit instituta primùm, vt corpus purū & mundum redderetur, rectiusq; sic etiam vitium in genu hoc diuturnum sanari posset.

Purgato itaque corpore, & exhibitis quæ visceribus internis robur adderent, mox ad abstinentiā cibi, & sudorum prouocationem cura instituta, renuisq; diæta iniuncta primū, exhibitumq; sequens decoctum: ℞. rad. Chinæ dissectæ in talleolos ℥.ij. Aquæ fontis ℔. xij. stent in infusione aliquamdiu, postea coquantur lento igne, donec redeant ad ℔. quatuor, hoc est, consumptionem duarum partiū, remanente tertia: De col. bibat manè summo, ad ℥. viij. & si posit superdormiat & sudet. Idem repetatur hora quart. post meridiem, bibēdo & sudando, somnumq;, si posit, capessendo.

Cibum sumat, postquam à sudore & calore se recollegerit, eumq; simplicem & moderatum, & caueat à frigore externo: Bibat loco potus ordinarij in mensa hoc decoctum: ℞. rad. Chinæ incisæ vt prius ℥. j. Aquæ fontis ℔. xij. adde residentiam præscripti

ſcripti decocti, decoquantur vt remaneant ℔.viij. ſeu duæ partes conſumptâ vnâ: Bibat ad placitum.

Supra tumorem in genu, ad cruſtas auferendas, adhibeat hoc vnguentum: ℞. vnguenti Baſiliconis ℥.ij. vnguenti Ægyptiac. ℥.j. Vngantur cruſtæ.

Cùm juberet admodùm genu, ob metũ inflammationis, in circuitu defenſiuum ſeu repulſiuum hoc emplaſtrum fuit admotum: ℞. Boli rub. pul. ℥. quatuor, Sang. drac. ℥.j. cum Album. oui & ol. Roſ. Vngatur in circuitu genu.

Cùm vlcus tandẽ in eo loco ſuperueniret, remotis cruſtis: ℞. ol. Roſ. ℔.j. ſucci Solani & Plantag. an. ℥. quat. coquantur ſimul in duplici vaſe, ad ſuccorũ conſumpt. in fine adde Reſinæ abietis liquidæ lotę aqua Roſ. ʒ.ij. Ceræ albę ℥.iij. Axung. hirci ℥.j.ß. Ceruſſæ lotæ aquâ Roſ. Tuthiæ prep. Litharg. auri tenuiſsimè puluerisati an. ℥.j. Plumbi vſti & loti aquâ Plãtag. & Caprifolij, Lap. calaminaris an. ʒ.v. Minij ʒ.ij. miſce. fiat vnguentum, quod diu in mortario plumbeo agitetur, ſub radijs ſolaribus: Et poſtea ſupra locum affectum applicetur, poſt cruſtarum ablationem & mundificationem.

Vbi vlcus cicatrice obductũ fuerit, formetur Emplaſtrum diachalcitidis, quod diu, vt cicatrix firmetur, geſtet.

Tumor iuxta aures, ſeu Parotis, è qua calculi exempti fuerunt.

NObilis quidam Burgũdus puer, tumorẽ iuxta aurem, oui magni magnitudine, iamdiu habebat, in ambitu durũ, inæqualem, in medio mollem, vbi preſſus cedebat, ex quo cũ hic An. 1600. Maio men. tranſiret, & ad me veniret, materiam quãdam ineſſe deprehendi: dolor alioquin nullus, niſi quòd pruritum interdum ſentiebat. Corpore priùs purgato, vſus eſt ſequentibus.

Fotus fiebat ex deco. rad. Ireos, Bryon. indies bis. Poſtea applicabat ſequens Emplaſtrum: ℞. gummi Ammon. diſſol. in Aceto fortiſsimo, Emplaſtri Diachylon ireati an. ℥. j. Malaxentur.

Quo facto, duodecimo circiter die, ſpontè ſe aperuit tumor, purulentamq; & ſpiſſam admodùm materiam, copiosè totâ ſeptimanâ reddidit multumque ſubſedit.

Reſtabat adhuc in humiliore ſede, exigua durities, cuius causâ cùm Chirurgi maturantia adhiberent, tentaq; imiſsâ vlcus apertũ ſeruarent; tandem tentæ fundo cũ extraheretur, ſabuloſa materia, penitusq; terrea, grani milij maioris inſtar adhærens, apparuit, poſteaq; plus quã triginta eiuſmodi grana terrea, eiuſdem magnitudinis, aliquando etiam maiora prodierunt, ſicq; repurgato vlcere, ceſſanteque duritie, vlcus conſolidatum fuit.

Tumor in ſupercilio vnde Tophus prodijt.

NObilis quidam in ſupercilio aſperitatẽ quandam, milij grani inſtar ſentiens, ea mox in tumorem illius loci excreuit, quo aperto, tophus albus durus piſi magnitudine prodijt.

Durities ſeu ſcirrhus in teſte, à calculo.

POſt mortem cùm ſecaretur, calculus in eo fuit inuentus, quem aſſeruo.

Nodus in pollice Podagricæ, è quo multi tophi exiuerunt.

VIde in Habitus corporis dolore Lib. II. Calculi tophacei in pollice pedis poda. &c.

Clauus in pede. Egerſtenaug.

IN planta pedis callus (quem oculum Picæ vulgus vocat) ex attritu cuidã An. 1595. creuerat, qui in inceſſu, preſſus, pũctoriũ dolorẽ mouebat. Iuſsi illũ cultelli

cultelli acie tam profundè, quàm ferre posset, aperire, quod cùm sensim factum esset, exemit puella, duos exiguos veluti tophos, albos inæquales & tenacissimos, quibus ablatis, etsi callosa adhuc in ambitu esset cutis, sine dolore tamen iterum ambulare ipse potuit. Post annum denuò eiusmodi materia illic collecta, indurataque est, & eodem modo rursum impedimentum hoc ablatum fuit.

Callosa vesica.

VIde in Mictione. Lib. III. Ardens mictio stranguria &c.

Verruca cauterio ablata.

VErrucæ emplastrum imposui, quod tenaciter adhærebat, & in medio perforatum verrucam transmittebat, cui cauterium meum potentiale indolens admoui, alio emplastro imposito, vt retineretur, sicque absumpta & exiccata, cum portione carnis eschara decidente, euulsa est.

IN DEFOEDATIONE Obseruationes.

Elephantiasis, Lepra Arabum.

CVidam præstanti viro, in quo signa elephantiasis iam apparebant, in facie, extremitatibus, tubercula nimirum liuida, insensibilia, atque in oculis rubentibus panniculi, quæ præcipua huius luis sunt indicia, licet de cura desperarem, tamen vt quod fieri posset, malum aliquandiu celaretur, ne si innotuisset, è domo sua relegaretur, quod admodùm metuebat, separatim in ædibus suis se victurum pollicitus, sequenti curâ aliquandiu fuit sustentatus, do-

nec ſuperueniente poſt ſeſquiannum alio morbo, extinctus fuit, quod ante multos annos factum.

Primùm purgatio ſic fuit inſtituta, præmiſsâ præparatione: ℞. ſyr. Bugloſsi vtriuſq;, Nenuphar. an.℥.ij.ſyr. de Fumar. compoſ.℥ iij.aquarum Endiuiæ, Acetoſæ, Scabioſæ, Lupuli an.℥.iij. fiat Iulep. pro quatuor vicibus.

Purgetur deinde hac potione: ℞. Cathol.℥.j. confect. Hamech.ʒ.ij. Elect. de Pſylio ʒ.j. cum aq. Fumariæ, fiat potio.

Vena aperta fuit brachij: Scarificationes factæ circa ſcapulas, & cucurbitulæ admotæ.

Electuario purgante, per vices vtebatur: ℞. Catholici, Trypheræ, Perſicæ an.℥.j.el.de ſucco Roſarum ℥.j.ß. ſyr. de Fumaria, de Epithymo an. ℥.j.ß. Turbith pulueriſati, Rhabarbar. elect. an. ʒ.j. fol. Sennæ ʒ iij. fiat inſtar electuarij: Capiat ʒ.vj. plus minuſúe. Si non operatur, diluat cum decocto fol. Sennæ.

Tabulis ſequentibus vtatur ſucceſsiuè: ℞. conſeru.fl.Nenuphar ʒ.j.ß. pulu. Triaſantali duplicato Rhabarb.ʒ.j.pul. Diatrag.frig.Diarrh.abb.an.ʒ.ß. trochiſc.de Serpentib.℈.j. Sacchari diſſol. in aqua Roſ.℥.vj.fiant tabulæ.

Faciem illinebat ſeq.vnguento: ℞.Vnguenti citrini ℥.iij. Boracis vſti ʒ.ij. Camphor.ʒ.j. miſce, fiat linimentum.

Abluat manè decocto ſummit. Salicum & cort. Fabarum.

Madefaciat quandoque faciem hoc Lacte: ℞. Lactis virginalis, ex Litharg. Aceto & aqua Aluminoſa ℥.iiij.ſucci Limonum ʒ.vj.miſce.

Sedeat interdum in balneo ſeq.℞.rad. Oxylapatij quart.j.Maluæ, Bliti, Bugloſſ.vtriuſq;, Violariæ, Fumariæ, Hederæ, & fol.Lapatij an.M.iiij. Alumin. quart.j.decoq.in aq.Pluuia vel Fluuiatili pro balneo.

Inungat

Inungat partes corporis infectas hoc vnguento: ℞. olei Rosſ.℥.iiij. olei Tartari ℥.j. ſucci Oxylapath. ℥.iij. ſucci Limon.℥.j. rad. Serpent. & Cucum.aſin. an.ʒ.ij. Ceruſæ, Lithargyrij nutriti in Aceto an.℥.ß. Terebinth.q.ſ. Argenti viui extincti & diſſol.in Terebinth.ʒ.ij. axungiæ Serpent. ℥.j. vnguenti Citr. ℥.j ß. miſceantur inſtar nutriti: Quo partes affectæ illinantur.

Leproſi qui non erant, & non leproſi qui erant, malè pronuntiati.

IN ordinarijs examinibus ſeu cenſuris eorum, qui de elephantiaſi vel leprâ Arabum dictâ, ſuſpecti ſunt, errores frequenter graues committuntur, quorum multa exempla, quippe qui 43. annos huic muneri præfui, adferre poſſem. Plerumque verò in eo peccatur, quòd qui Pſorâ peruersâ illâ, vniuerſum corpus defœdante, & licet curata fuerit, remeante, infecti ſunt, quam lepram Græcorum appellant, pro elephantiacis habeantur & pronuntientur, poſteaque à Magiſtratu ab hiſce imperitis edocto, relegentur. Interdum & in eo quoque vulgò erratur, quòd qui verè leproſi ſunt, non tamen tales iudicentur, cùm puſtulas, vlcera cutanea, oculorum panniculos verę elephantiaſis certa indicia, antequam hæc inualeſcant, leuiora eſſe, quàm vt ab elephantiaſi procedant, malè exiſtimatur, ideoque eos leproſos non eſſe, donec naſus collabatur, rauci fiant, atque horrendum aſpectum præbeant, è quo etiam vulgus eos tales eſſe nouit, ineptè iudicatur. Vtriuſq; huius erroris hiſtoriam vnam è pluribus, quas annotaui, deſcribam.

Quidam mercator Colmarienſis, iuuenis adhuc ſed vxoratus, (cuius mater, Anno 1582. examini noſtro Baſileæ ſubiecta, à nobis leproſa vti & poſt-

modum ſoror illius inuenta eſt, ſuſpectus & ipſe de lepra, quia faciem vnâ ſede puſtuloſam habebat, in cenſura Colmarienſium leproſus pronunciatus fuit, quo nomine ab vxore & vrbe relegatus, in ædibus extra vrbem extructis, ne in noſodochio leproſorum habitare cogeretur, triennium ſegregatus vixit. Verùm cùm interea puſtulæ illæ in facie, vti & rubedo euanuiſſent, nihilque ampliùs vel in facie, vel in toto corpore vitij appareret, denuò vt inſpiceretur à chirurgis, qui priùs illum leproſum cenſuerát, à Magiſtratu impetrauit, quo facto, cùm in eadem cenſores perſiſterent ſententia, fortè ne ſe priùs malè iudicaſſe accuſarentur, & licet foris nihil vitioſi ſe proderet, quod tamen ſanguinem infectum eſſe, & vermiculis ſcatere, aliaque nullius momenti, prætenderent, ille denuò in ædes ſeparatas extra vrbem ſeceſsit, totumque adhuc biennium, cum tribus prioribus, quinq; ſic exactis annis, ſolitarius vixit. Quo tempore cùm balneum ſæpè ingreſſus, ſe ſuis nudum demonſtraret, & nec macula quidem nec aliud appareret, conſilio ſuorum, Argentinam profectus, ibique Medicorum cenſuræ ſubiectus, liber à lepra eorum ſententia fuit pronuntiatus.

Quam literis confirmatam, cùm Colmariam attuliſſet, Magiſtratuique demonſtraſſet, interrogati ſuper hac re chirurgi, in priore ſententia perſeuerantes, eum aliquid ſecum geſtare, quòd quò minùs lepræ indicia ſe proderent, proprietate quadam impediret oportere, dixerunt. Magiſtratus ergò illius loci, ancipiti horum iudicio ſuſpenſus, & quid ſtatuendum eſſet ambigens, à noſtro Magiſtratu, vt me Colmariam huius rei dijudicandæ causâ, & à Friburgenſibus, vt lithotomum ſuum mitterent, ſcriptis impetrauit.

Quò cùm Anno 1589. perueniſſemus, 12. Sept. Magi-

Magiſtratus vt tonderetur, & nouis veſtibus indutus ex ſuis ædibus in alias transferretur, ne quid ſecum geſtare, aut moliri poſſet, vti chirurgi perſuaſerant magiſtratui, quæ lepram occultarent, curaruit. In quo diligenter inſpecto, cùm ne minimum quidem ſignum lepræ deprehenderemus, nec leproſum eſſe, nec fuiſſe, iudicauimus, idque præſentib. à Magiſtratu deputatis ſignificauimus. A quibus è veſtigio in vrbem ad vxorem ſuam redire iuſſus, in genua procumbens, Deo nobiſque egit gratias. Hic autem bonus vir, ex hoc periculo liberatus, in grauiſsimum incidit, nam poſt triennium, incendio fortè ſuborto in ſuburbio noctu, ad ſuppetias ferendum, quòd ſtrenuus eſſet & diligẽs, ex vrbe per ponticulum ſubliciũ accurrens, de eo in foſſam cecidit, eoq; caſu vitam finijt.

Altera hiſtoria comitiſſæ eſt, quæ ex Gallia huc ad me venit magno comitatu, ſecumque chirurgum adduxit, atque vt ſe curarem, me rogauit. Quam inſpiciens, primo intuitu in ea lepram confirmatam & inueteratam cùm deprehenderem, meque nihil effecturum cognoſcerem, rem vti erat, chirurgo primùm, mox & illius aulæ magiſtro expoſui, qui cùm multis Medicis, & chirurgo illo minimè infectam eam eſſe, atque in ſanguine & vrina nihil tale ſe inueniſſe dicentibus, illud nollent credere, tandem certis argumentis, ita ſe rem habere, comprobaui, atque vt hoc & crederent ijs perſuaſi. Hoc cùm comitiſſa cognouiſſet, admodùm eo offenſa diſceſsit, quod & hoſpes vbi diuerterat, cùm vehementer fœteret, & ſemiputrida eſſet, ne hoſpitium ſibi diffamaretur, egoque cum illo, facilè ferebamus.

Lepra Græcorum, seu Psora peruersa, quam vulgò elephantiasin esse putant.

Hanc scabiei siccæ & feræ speciem vniuersum corpus turpiter defœdantem, squamisque nunc tenuioribus, nunc crassioribus obducentem, vti & pilosas capitis & superciliorum sedes, perseuerantem, si altiùs radices egerit, aut licet curetur, facilè rursum redeuntem, cùm veram Lepram seu elephantiasim non solùm vulgus, sed & Medici, qui non multos verè leprosos inspexerunt, esse existiment, & proin examini, quod suspectis de lepra destinatum est, subijciantur, cùm iam annos quadraginta tres, quibus Poliatri munus sustineo, præfui, leprosi tamen non sunt. Nam horum aliquos in alijs locis examinatos & pro elephanticis habitos & relegatos, vt ostenderem, etsi fœdissimâ scabie essent infecti, primoque intuitu, vnguium scabritie, & fœtido habitu elephantiacis similes viderentur, eos tamen non esse verâ leprâ infectos, curam multorum felici cum successu aggressus sum & peregi, & licet aliqui sanati, iterum versus hyemem hoc malo corriperentur, repetitâ curâ, eos in integrum restitui.

Obseruationem seu historiam hanc saltem è multis proponam curationis præstitæ, in puero adulto, & binis mulieribus, qui pro leprosis omnino habebantur, cuiusmodi in alijs quoq; præsertim pauperioribus, paucis mutatis perfeci.

In hisce Purgatio talis fuit instituta, vt ad septimanas duas vel tres, aluus indies bis ad minimùm responderet, idque per potionem factam ex decocto fol. Sennæ, Fumariæ, Lupuli in Lacte caprino. In altera muliere cùm nihil operaretur, addidi

addidi ʒ.j. radic. Tithymali cyparissias, quam Ezulam vocant, vt simul cum alijs in mens. j. Lactis incoqueret, vnde vnum saltem haustum sumens, per dies aliquot vehementer purgata fuit.

Balneo vsi sunt indies per horam vnam & semissem, in eo sedendo, in quo decocta fuerunt, radic Bryoniæ, Lapatij vulg. Scabiosa, Malua, &c. additis Gypsi vsti scutellis tribus, Sulphuris pulu. ℔.j. Salis ℔.iij. miscendo simul Lixiuiū atq; aquam Fabrorum extinctionis ferri, & decoctum faciendo in aqua Pluuiali vel fluuiali.

Post tertium balneum, abiecto tunc priore, ob fœda à cute abscedentia, quæ innatare solent, & fœtorē ex nouo parato, Inunctione balneo egressi, vtebantur, cùm cutis vsu balnei aspera tensa & fissa, vt nonnihil leniretur, & simul sanaretur, hoc requireret, quæ sic parabatur: ℞. succi Lapatij, Plantagin. an. ℥.ij. Solani ℥.j.ß. Aceti ℥.j. ol. Rosac. Viol. an. ℥.ij. ß. Butyri ℥. j. Cerusæ ʒ.ij. Lithargyrij ʒ.iij. Sulphuris ʒ.j.ß. Terebinth. q. s. fiat instar nutriti. Huic vnguento si recidiuam patiebantur, addidi interdum Argenti viui, cum Terebinthina exactè dissoluti ʒ.j. tantùm, ne si maiori adderetur quantitate, fauces, vti solet, inflammarentur.

Sicque procedendo paucis diebus sanati sunt, & cùm quædam mulier in corporis sui cura esset negligentior, rursumque circa autumnum, psora hac afficeretur, repetitâ curâ, postea sana ab hac lue mansit.

Intermedijs diebus, cùm balneo vtebantur, iussi interdum rob. Sambucino, vel Mithridato sumpto, balneum siccum ingredi, sudare, se abstergere, & Lixiuio abluere.

Lues venerea, in nouiter nuptis.

PAnni lanei textori cuidam iuueni, cùm doloribus artuum diuexato, verrucæ in podice erumperent, vsus chirurgi operâ, qui aquæ sublimati lotionem illi adhibuit, se restitutum putans, nuptias cũ iuuencula celebrauit. Et vix dum durante, per menses duos aut tres matrimonio, fœmina iisdem doloribus artuũ laborare cœpit, præter quos etiam condylomata in pudendo & ano excreuerunt, herpetesque hincinde iuxta collum, in iuncturis articulorum, prodierunt; Ipseque maritus quoque de nouo iisdem quibus priùs doloribus & condylomatibus in ano diuexari. Ex quibus iam apertum erat, vtrosque lue Venereâ, vxoremque à marito infectam esse.

Curam aggressus in absentibus, per fratrẽ meum Thomã Medicum, Dec. 1. An. 1600. ambo purgati fuerũt, exhibitione confect. Diacyton. purg. 2. die, viro vena aperta fuit. Inde decoctum Gaiaci bibere inceperunt, hoc pacto: Gaiaci ℔. j. coquebatur cũ mensur. 3. (singulis ℔. quat. ponderantibus) Aquę, ad consumpt. tertiæ pertis, Pro aqua sudatoria. Inde remanentia denuò cum mens. aq. 6. ad cõsumpt. duarum mensur. coqueb. Pro potu ordinàrio.

Sudatorium decoctum manè bibebant, & sudabant: Reliquum decoctũ in prandio & cœna parca, vti institui solet. Atq; in defectu potus ordinarij, aliud ex duabus remanentijs, iam semel coctis, vel etiã ℥. iiij. Gaiaci cum radice Petasitidis, Ireos, Enulæ coquebatur.

Vir altero die decoctum purgans bibit, ex Sena, Polypod. Bryonia, &c. idque ter quatérve, vno die sudatorium, altero purgans sumendo, postea verò in sudatorio perrexerunt ambo, & aliquando vesperi ante cœnam potu illo sumpto Lecto se committen-

mittentes,sudabant, curamque sic continuabant.

Dec. 21. denuò purgati fuerunt, Diacydon. purgante, & in decocti sudatorij vsu perrexerunt.

Atq; vnguento sequenti ficus in podice vtriusq; & in mulieris etiam pudẽdo, inungere iussi, quod ℞. Tereb. ℥.j.ß. ol. Nucum ℥.j. agitentur optimè, dendo Minij ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. fiat vnguentum. Et quia mulier magis illis afficiebatur, iussi hunc fumum in sella pertusa inferioribus excipere: ℞. cort. Thuris, Mastich. Ladani an. ℥ ij. Storac. calam. Benzoin. gummi Iuniperi ʒ.j.ß. Myrrhæ ʒ.j. Cinnabar. Auripig rubr. an. ʒ.j. fiat Puluis, excipiatur Tereb. fiant Trochisci. Vratur vnus.

Dec. 25. Cùm condylomata minui inciperent, dolorq; quem priùs inde patiebantur, mitigari, vt penitùs exstirparentur, cùm mulier suffitum ægrè ferret, indeque nonnihil debilitaretur, iussi Tapsi barbat. Scrophular. an. M.j. Baccar. lauri P.j. rad. Bistort. ℥.j. sacculis indita, decoquere in Aq. & Vino, sacculosque expressos calentes locis affectis mulierem apponere, bisq; in die repetere, atq; in vsu vnguenti pergere, maritum verò fumum ex trochiscis prædictis podice excipere.

Dec. 29. Cùm nullus ampliùs sudor post decoct. sudatorium erumperet, in vtrisq;, & marito in vniuerso corpore maculæ ex rubro flauescentes erupissent, nec dũ condylomata penitùs ablata essent & herpetes in muliere, vt remanentiæ omnes tollerẽtur, primùm denuò illis purgatis, vnguento seq. iuncturas in brachijs, axillas, & spinam dorsi, per lumborum saltem regionem, semel in die iuxta fornacem, calidè ambos inungere iussi, & postea linteam. obuolutos in lectum calidũ collocari, sudoremq; elicere. Hoc ℞. Axung. porci ℥.iiij. Tereb. ʒ. ij. Mercur. ℥.j. Agit. optimè, addidi Thuris, Mastich. an. ʒ.j.ß. Litharg. ʒ.ij. Minij ʒ.j. Tartar. vin. alb. Alu-

min.an.ʒ.j.ß. ol.Laurin.℥.j.ß. Aq.vitæ ʒ.ij. Ol.spicæ ℈.ß.fiat vnguentum.

Interea condylomata quę supererát seq.vnguento inunxerunt adhibendo quoq; sacculos prædict. ℞ vng. prædicti ex Mercur. ℥.j.ß. Adde Minij ʒ.ij. Ærug.æris, Vitreol.an.ʒ.ß. ol.Nuc. parùm fiat vng.

Herpetes madefaciát hac aq. ℞.Sublim.ʒ.j.Coq. in aq.Font.℥.iiij.ad consumpt.tertię partis,coletur.

Potu ordin.ex Gaiaco in mensa adhuc cótinuò vsi sint.Postquam ita dies sex inuncti fuerunt,fauces marito nonnihil inflammari cœperunt, multaque exspuitio subsecuta fuit. Quæ in muliere leuiter tantùm apparuerunt. Et gargarismatum vsu mox cessarunt. Inde in stupham ingredientes, postquam sordes lixiuio abstersesunt, sensim aeri se credere benè tamen vestiti ob frigus, & ad Vini, plenioremq; cibi vsum redire cœperunt. Atq; sic Dei gratiâ fuerunt benè curati.

Lues venerea in Coniugibus.

QVidam Burgundus mediæ ætatis, cum sua coniuge huc venit, consilij gratiâ An. 1609. Sept. 1.conquestus de membrorũ dolore, maximè brachiorum,de pustulis in capitis pilosa sede erumpentibus,& maculis latis, circumferentiâ crustosâ in brachio & ceruicis regione, quam nucham vocant,atq; aurium tinnitu, metuens ne lue venereâ infectus esset, vti & erat, & se cũ impura meretrice cómiscuisse fassus est. Dein &,quia vxor illius,similes quoq; pustulas habebat, faucesq; circa tonsillas exulceratas,eam quoq; ab ipso infectam constabat vti & ipse putabat, quæ insuper etiam mensium suppresione se laborare dicebat. Rogabant vt cura breuis institueretur,etsi molesta foret, quæuis se passuros. Itaque trium septimanarum spacio sic fuerunt curati.

Condu-

Conducto conclaui; Diæta simplici & moderatâ instituta, primùm purgati fuerunt. Diacydoniato purg. Postea altero die vena vtrisq; aperta, vnde ipse in deliquium animi incidit.

Interea paratum fuit decoct. Gaiaci, primùm sudatorium, & secundùm quo loco potus consueti vterentur.

Item decoctum purgans, quod ℞. Polypod. ℥. iij. rad. Bryon. ʒ. ß. fol. Sennæ quart. j. cort. Sambuci & Ebuli an. ℥. j. rad. Ireos Cichor. an. ʒ. j. ß. herb. Fumariæ Bugloss. Betonicæ, Chamæpith. an. M. j. sem. Fœnic. Anisi, Coriand. an ʒ. j. decoq. in Aqua & tertia parte Vini, adde Mel, coletur ad vsum.

Ipse bibit sudatorium decoctum media nocte & sudauit. Postea surgens sumpsit purgás decoctum & purgabatur bis vel ter.

Continuabat sic indies & addendo interdū dissolu. in decocti purg. ʒ. ij. el. de succo Ros. ʒ. ij. ita vt sexies & vltra in die deijceret, sicq; perrexit ad dies viginti vsq;. Loco Vini bibit secundum Gaiaci decoctum, multumq; sudauit & deiecit; vno die tantùm ob debilitatem interdum quiescens.

Maculas & pustulas in brachio & collo, iussi inungere ol. Tartari, vnde valde siccabantur, & vt postea, Aquâ decoctâ Sublimati, cum Litharg. & Borace eas madefaceret.

Auribus immittebat circa finē curę, licet tinnit9 ferè cessasset, vt penitus extirparetur, Elixir meum mistum cum Aq. vitæ, sed mox iterū permittebat effluere. Sicq; tertia absolutâ septimanâ discessit.

Vxor postquam semel purgata fuit & venā aperuit, decoct. purgans & sudatorium semel tantùm bibit, nec vlterius eo vti voluit. Itaq; dedi illi Tab. purgantes, & Diacyd. purg. aliquoties, vnde semp multùm deiecit, & simul aliquando vomuit.

Bibit interdum aq. destillatam Gaiaci addendo syr. de Papau. admodumq; sudauit. V 2

Pro faucium vlcere, de quo maximè conquerebatur, vsa fuit gargarismate ex decoct. Plantag. rec. fl. Maluæ autumnalis, Boli, add. Alum. & Melle, vnde sanato vlcere, in latere, aliud se exhibuit: Dedi pro gargaris. Aquam Plantagin. Hyssopi, quia multum spuebat, cum Alumin. & pauco Vitreoli, à quo quoq; sanatum hoc vlcus. Vinũ bibebat, sed benè dilutum.

Cùm euanuissent pustulæ, & iam tantùm quod menstrua suppressa essent, cóquereretur, factũ, cùm antepenultimo die egregiè purgata fuisset, & penultimo ab omni curâ tanquam peractâ, cessasset, abitumq; pararet, sequente die menses adeò impetuosè fluerent, vt in extremam imbecillitatem delapsa sit, & adhuc per biduũ subsistere cogeretur, quo tẽpore refocillata rursum, postea equites, cùm priùs in lecticâ portati aduenissent, discesserunt.

Lues venerea cum Febre Quartana.

IVuenis annos decem & octo natus, studiosus, sub Autumnum An. 1589. quartanâ febri correptus, nihilominus à peruerso sodalitio seductus, ex impuro & illicito congressu, sensit primùm artuum lassitudinem, quam à febre prodijsse existimans, negligebat, verùm mox dolor in nudis tibiæ & humeri sedib. accessit, qui sub noctem vehementer exacerbabatur, colli quoq;, inter deglutiendum maximè dolor, postmodumque pustulæ in capitis pilosa sede, fronte, dorso erumpere cœperunt crustaceæ; vnde sciscitatus super eâ re, illum Lue infectum venereâ dixi.

Cùm vehemẽter sibi metueret, ne hoc parẽtes rescisceret, rogaretq; vt cura talis instituẽretur, ne suspicio aliqua, si inclusus maneret (quod, si per sudores cura iustituẽda esset, fieri necesse erat) apud suos conterraneos, de lue hac oriretur. Per purgatione

tiones itaque præcipuè illum sanaui hoc pacto.

Minoratiuum sumpsit 3. Octob. Postea syrupum digestiuum per duos dies, manè & ante cœnam. Dein purgatus fuit.

Hisce præmissis vsus est decocto purgăte, & decocto Gaiaci hac ratione: ℞. fol. Sennæ Polyp. an. ℥.ij. Agaric. ʒ.ij. ß. Turbith. ʒ.ij. Thymi. Maior. Salu. Hyssopi, Betonic. Endiu. Acetos. Bugl. an. M.j. rad. Enul. rec. ℥.j. se. Anisi ʒ.ij. Fœnic. ʒ.j. Nigell. ʒ.ij. Coriand. ʒ.j. flor. Bugl. Borrag. Viol. Chamom. an. P.j. Zingib. ʒ.j. Infund. decocti Gaiaci ℔.j. calente, decoquantur ad consumpt. & consistentiam syr. aliquam. Accipe de hoc decocto ℥.iij Adde Syrup. rosſ. lax. cum infus. ℥.j. succi rad. Ireos rec. expresſ. ℥. ß. Bibat tepidum.

Postea decoct. Gaiaci paratum fuit tale, fortius. ℞. Gaiaci tornati ℔.j. Aq. fontis mensſ. nostras iiij. decoquantur ad consumpt. medietatis.

Dein secundùm decoctum Gaiaci sic coctū fuit: ℞. Resident. prioris decocti, adde aq. mensſ. 6. decoquantur ad consumpt. duarum.

Hisce sequenti modo vtebatur; Sex dies post generalem purgationem, bibit manè & ante cœnam, nisi quando febris â prandio inuadens illum impediebat, haustum potionis purgantis.

Septem dies postea decoctum primùm Gaiaci bibit, ad ℥. iiij. vel v. manè & vesperi, nisi febris impediret, sudauitque.

Sex dies sequentes iterum potione purgante vti primâ vice vsus.

Ab eo tempore ad 9. Nouembr. vsq; sumpsit decoctum sudatorium manè, nonnunquam & vesperi. Interpolatis vicibus, potionem purgantem. In fine purgatus exactè alia quoq; potione.

Toto tempore loco Vini secundum decoctum Gaiaci bibit, parcè gallinis & pane vsus.

Hisce pustulæ omnes exiccatæ deciderunt, per squamas, maculæ sensim euanuerunt. Remanserat in dorso vna verruca, quæ aquâ Capitellâ tacta, mox aruit & decidit.

Homoplatæ & Scapularum summus dolor, ex lue venerea.

VIr quidam, longo tempore doloribus inarticulorum sedibus laborabat, vt & cephalęa, imprimis verò intolerabiles cruciatus in homoplatæ regione sentiebat. Cùm multis totum ferè annum remedijs esset vsus, atque vnguento ex Argento viuo, pro lue venerea, qua eum infectum esse putabat, sananda paratum, inunctus, sæpeque & admodùm purgatus, nec inde leuamen sentiret, ad me, vt eũ curarem, fuit deductus, aureos montes pollicens.

Primùm itaque, cùm viderem dolores hosce, & imprimis homoplatæ, de quo potissimùm conquerebatur, calidis adhibitis, dolorem alioquin lenientibus, non mitigari, sed potiùs irritari, eosque circa noctem increbescere, Curam lui Venereæ accommodatam in illo sic institui, Anno 1571.

Atque decoctum sudatorium ex Gaiaco, vt sex septimanarum spatio biberet, iniunctâ simul in cibo parsimoniâ, & vt loco Vini secundo ligni illius decocto vteretur, pro potu, præscripsi. Et vt tertio die, purgans aliquot sumeret, qua ratione inueteratam luem hanc, quæ alijs remedijs non cedit, curare soleo.

Quo tempore exacto, etsi in reliquis osium regionibus, dolores remisissent, tamen perseuerabat intollerabilis ille circa homoplatam & scapulas dolor, non remittente interim capitis dolore.

Ob quam causam, sequens emplastrum, vt capiti, homoplatæ & scapulis applicaret, ordinaui, & vt illud dies noctesque gestaret, quod tale erat: ℞. olei Chamomelini, Anethini, Lumbricorum an.ʒ.vj. olei Laurini ℥.j. ol. Spicæ ℥.ß. axung. Porci, medullæ cruris Vituli an.℥.j.ß. Styracis liquidæ ℥.j. Thuris, Euphorbij, Castorei an.ʒ.ß. Argenti viui ℥.j. cum resinæ Abietinæ extinctæ ℥.iij. Ceræ q.s. fiant duo emplastra, vnum pro capite raso, alterum pro scapula & homoplata.

Quotiescunq; detrahebatur emplastrũ, mador suberat copiosus, adeò vt sæpiùs illud abstergere, atq; renouare, necesse esset.

Postquam emplastra aliquandiu gestasset, dolores ita remiserant, vt volentem nolentem licet, ne promissam summam cogeretur exsoluere, se penitùs & exactè sanatum, dissimularet, fateri necessum fuerit. Vixque postea incolumis multos annos, donec pleuritide correptus, cùm tardiùs ad me consilij causâ misisset, tandem è medio est sublatus.

Dolor circa ossa, vagus, per vices affligens multos annos, post non integrè sanatam Luem Veneream.

CONquestus est quidam de dolore quodam acerbo, per superficiem corporis discurrente, partesq; varijs in locis, maximè circa ossa illorumue periostia, quin & alibi, in tibiarum nuda sede, in brachio, cubito, scapulis, homoplata, capite, fronte, facieq; molestáte, sed mox iterum cessante, & certis temporibus, nunc citiùs nunc tardiùs redeunte, & iam multis annis perseuerante.

Hunc autem dolorem illum esse, qui ex cōtagio luis venereę subortus, nondū penitùs sublatus fuit indicio erat, q᷑ ante sexenniū, eos post infectionem ex cōmistione cū impura quadam primùm eodem modo, vti nūc, sentire cœpit, nec dū, etsi duas huic lui accōmodatas curas, vsu Gaiaci atq; Inunction. institutas, adhibuerit, mitigatos, sed potiùs auctos licet alia huius luis indicia, gonorrhœa nempe illa viruléta, quâ simul laborauerat, fuerit sublata, ipseque aliàs in matrimonio viuens, liberosque procreans, rectè se haberet.

Reliquias itaq; huius luis fuisse, ex iam ostensis probari existimaui hancq; adhuc qualitatem malignā auræ instar, neruis insidiari, eorumq; ductum per vniuersum corpus peruadendo, hinc inde per diuersa loce vagari, atq; vbiq; vti & circa periostia, quibus hæc lues maximè inimica, se exeruisse.

Ad eas tollendas extirpandas, atque infringendas, continuatis purgationibus opus esse censui. Vsu pilularum quæ neruoso generi, indeque progressis morbis, maximè conueniunt, tum euacuando, tum vim huius veneni reprimendo. Quibus alternis dieb. vtatur summo manè sumendo à ℈.ij. ad ʒ.j. prout operabūtur, satis erit, si bis vel ter in die deijciat, & pro eo quantitatem harum assumet: perseuerādo si ferre posit, donec quindecies eas assumpserit, vti dictum alternis, vel si debilior fiat, tertio quoq; die. Citra aliam custodiam, quàm vt cum operantur, tamdiu domi se contineat, victuq; moderato & temperato vtatur.

Quando hisce pilulis vtitur, intermedijs vicibus sudores prouocet, hoc pacto: Vbi quater vel quinquies hisce vsus fuerit, tunc noctu cubitum iturus, die quo non sumpsit pilulas, & cùm dolores maximi vrgent, bibat primam potionem Aquæ Theriacalis, huius, quæ ℞. tab. Diacodij tui

ʒ.ß.

℥. ß. aquæ Nicot. ℥.ij. ſpiritus Iuniper. aquæ Theriacal. an. ℥.ij. miſce, eiq́; ſuperdormiat, & cùm ſudor verſus diluculum erumpit, huic ad horam aut vltra, ſi ferre poterit, operam det, mirè enim inde recreabitur, nō enim ſaltem per ſudores euacuando, ſed & veneni vim infringendo illius malitiam & dolores compeſcendo, operabitur.

Hoc facto, vſum pilularum repetat, & cùm tertiò illis vſus fuerit, & ſequenti die quieuerit, dolorq́ue vrgeat, denuò ſub noctem alteram potionem Aquæ theriacalis pręcedenti ſimilem bibat, ſuperdormiendo & ſudando, vti prima vice factum.

Quòd ſi fortè hiſce factis dolor ille ceſſet, vel rariùs accidat, à pilularum vſu & tertiæ potionis ceſſandum, donec ille redeat, quod cùm fit, rurſum à potione tertia aquæ theriacalis inchoandum, pilulæq́; ter quatérve repetendæ erunt, donec menſis ſpacium fuerit elapſum. Quo exacto, per occaſionem, cupiui de ſingulis, quo pacto ſucceſſerint, & de ſingulorum medicamentorum operatione, certior fieri, vt ſi quid prætereà agendum ſit, addere queam.

Dum iam enarratâ curâ vteretur, dixi, experiri eum poſſe, dolore vehementer vrgente, præſertim in tibiæ nuda & excarni regione, an dolor ſequenti illinitione aliquomodo remitteret. Sumat de Balſamo, quod dedi, & penna vel penicillo intincto, madefaciat & illinat locum dolentem tepidè, manè cùm è lecto ſurgit, ſinatq́ue donec exiccetur intactum poſtea, & ſi poſsit repetat, alijsq́ue in locis dolentibus ſimiliter experiatur.

Cauterium quòd attinet, an in brachio ſit inurendum, cùm nulla hîc ſit defluxio auertenda, non videre me neceſsitatem aliquam vrgere; nec tamen ſi hoc fiat, incommodare hoc poſſe, præterquam quòd moleſtiam aliquam ſit exhibiturum. Victus

ratio moderata interea & temperata obseruanda. Basileæ 25.Maij.1613.

Tibiarum in nuda sede dolores & duri tumores, Luis venereæ reliquiæ.

EX Italia Româ huc veniens, An.1609. Canonicus quidam, Britannus gente, æger, hîc aliquâdiu, vt curaretur, substitit. Laborarat cum in Italia esset, Lue venerea, & in ea sananda varijs vsus euacuationib. & curationibus, per diætam & potum decocti Guaiaci, item inunctiones. Vnde quidem grauiora cessarant symptomata, sed restabant dolores adhuc atroces, in nuda tibiarum sede, secundùm ipsarum longitudinem & acutiem anteriorem, præcipuè sub vesperam incipientes, & ad medium noctis vsque perdurantes. Tumores quoque & nodi in ijsdem locis ossium protuberantes, & duri, apparebant.

Hisce visis & ex relatione ipsius cognitis, reliquias huius Luis non integrè sanatas esse dixi, ad quas tollendas, dum adhuc hîc erat, sequentia ordinaui.

Propinaui sub noctem, Mithridati ʒ.j. cum ℈.j. tab. mearum Narcot. dissoluta cum aqua Betonicæ, & pauca Cinamomi, vt grata esset. Dormiuit ea nocte, atque sub diluculum sudores sponte copiosè eruperunt. Vti hoc Antidotis illius narcoticis, præsertim si admistione narcotica ipsorum vis augeatur, exhibitis, euenire solere, theriacamq; & mithridatum opio dempto, sudores minimè mouere, alibi docuimus.

Laudabat successum huius sudatorij, cùm aliàs vix sudare potuerit, & leuamen magnum inde percepit: atque post biduum, remeantibus doloribus, cubitum iturus, denuò Antidoto sumptâ vti prius, eandem operationem sensit. Idque tertiò adhuc amplius,

amplius, cùm eam sumpsisset.

Præterea ad tumores & nodos abigendos, hoc emplastrũ tibiarum longitudini, superinductis tibi alib. applicitũ, dies noctesq; gestabat: ℞. emplastri de ranis Vigonis ℥.ij. empl. Meliloti, Diachylon. ireati an. ℥.j. pul. rad. Hellebori albi ʒ.j. Cinnabaris ʒ.ij malaxentur Oleo irino, fiat magdaleon, extẽdatur supra corium: Ad vsum.

Cùm melius inde haberet, discedenti suasi, vt cum in patriam venisset, si quid vitij restaret, hoc modo depelleret. Primùm vt pilulas de Hermodactylis meis, in Praxi mea descriptis, hebdomadatim vteretur.

Secundò, vt aquam sequentem biberet, summo manè, & horas tres superdormiret, & si sudor erũperet, huic aliquamdiu operam daret, sicque ad septimanas aliquot continuaret. Quæ talis erat: ℞. ligni Guaiaci rasi ℔.j. Corticis eiusdem ℔.ß. ligni Salsafras ℥.ij. rad. Graminis & Asparagi an. ℥.j. rad. Enulæ, Ireos an. ℥.j.ß. rad. Cyclaminis ℥.j. herb. Betonicę, Chamæpytheos, Pulegij, Cardui Ben. Thymi, Acetosæ an. M.j. fl. Buglossi vtriusque. Rosarũ, sum. Rosmar. Chamomil. nobilis an. P.j. bacc. Lauri ʒ vj. Cinamom. ℥.ß. Nucis mosc. ʒ. ij. puluerisatis affunde, Aquæ Lapatij, Acetosæ, Cichoreæ, & Vini generosi an. æquas partes, donec in formam pultis dilutæ redigatur. Eliciatur aqua per alembicum: Bibat pro vice ab ℥.j.ß. ad ℥.ij.

Præscripsi aliud Emplastrũ, pro tibijs, post vsum illius, quod cùm hic esset illi dederam, vt si non penitùs nodi secederent, eo vteretur. Quod ℞. Argenti viui ℥.iij. dissoluti cum Terebinthinæ ℥.j. additâ paucâ Aquâ vitæ, Axung. porci & anseris ana ℥.j. ol. Laurini, Lumbricorum, Chamom. & Liliorum an. ℥. ß. ol. Spicæ vel Tereb. ʒ.ij. Euphorbij, Thuris an. ℥.ß. Styracis liquidæ ʒ.vj pul. Hermo-

dactyli ʒ. ij. Castorei ʒ.j. Ceræ q.s. fiat instar Cerati.

Domum reuersus, sicuti postea intellexi, sanatus, illius loci electus est Episcopus.

Pustulæ crustaceæ, post luem Veneream relictæ.

VIr quidam rusticus, ex congressu cum scorto infecto, luem Veneream contraxit, qui ab Empirico inunctus, nec benè curatus, obijt. Vxorem similiter infectam post se reliquit, quæ doloribus circa ossium nudam sedem admodùm torquebatur, pustulisque latis & eleuatis, in ambitu rubris & crustaceis in facie, fronte, capite, pectore admodùm defœdata erat, adeò vt etiam curę se subijceret Empirici alterius, qui eam vngendo cum vnguento, quod Neapolitanum vocant, eousque curarat, vt dolores illi atroces, qui noctu circa ossa sic infectos molestare solent, remitterent. Verùm cùm adhuc hinc inde pustulis & maculis defœdata, à consortio reliquorum abstinere cogeretur, vt integrè sanaretur, meo consilio, Anno 1613. Feb. men. aliquoties egregiè purgata fuit, & sudatorio semel exhibito, admodùm sudauit, atque interea pustulas madefecit, Lacte Virginali communi ex Lithargyrij cum Aceto infusione, & Aquâ Aluminis facto, addendo ad ℥.iij. Sublimati ʒ.j. Vnde integrè pustulæ eiusmodi siccatæ, euanuerunt.

Pustulæ & Cephalæa ex Lue venerea.

IN Hospita quadam, Anno 1592. Sept. mens. pustulæ in capite, collo, thorace, brachijs, pedibus eruperunt, subrubræ duræ & verrucosæ, noctu caput vehementer dolebat, interdiu mitigabatur: ex quibus eam lue Venerea infectam iudicaui.

Post

Post purgationem leuem, venam aperuit, indeque rursum purgata fuit, postremò data confect. Hamech. ℥. ß. cum aqua Fumariæ.

Hisce præmissis, postea sequenti decocto vsa est: ℞. ligni Gaiaci ℔. ß. Zarsæ parill. ℥. ij. Agarici, Hermodactyl. an. ℥. ß. Fumariæ M. ij. decoquantur in mensur. quatuor Aquæ, ad consumpt. tertiæ partis: Bibat cyathum manè & vesperi, & sudet. Perrexit in vsu illius per dies quatuordecim.

Parcè interim cibo vsa est, bibens loco Vini decoctum sequens: ℞. ligni Gaiaci, fol. Senæ an. ℥. ij. coquantur in mensuris quat. Aquæ ad consumpt. quartæ partis: Vtatur.

Disparuerunt sensim pustulæ, & dolor remisit. Verùm post mẽses aliquot rursum cum marito infecto, & non benè curato, à quo ab initio quoque contagium contraxerat, concumbens, denuò pustulam in facie perniciosam, & quæ in herpeté desinens, ferè nasum cõsumpserat, adepta est, & cum chirurgi tunc, & postmodum carnificis consilio vteretur, illam neglexi.

Vlcera cariosa, horrenda & multa, in quodam iuuene Lue venerea affecto.

CVidam iuueni, cùm iuuenculam vxorem duxisset, primo matrimonij anno, in nasi exterioribus, vlcusculum enatum est, adeò sensim serpens, etsi varia adhiberet chirurgus, ad hoc impediendum, vt subiectas tandem cartilagines vitiarit. Cumque suspicio esset, eum ab vxore, cuius pater lue Venerea infectus fuerat, filiâ ipsi cùm curaretur, ministrante, luem hanc contraxisse, indeq; vlcus hoc profectum, vti & dolores circa ossa quibus simul infestabatur. Chirurgus curationem inun-

ctionibus ex hydrargyro instituit: verùm eâ absolutâ, nihilo meliùs habuit, sed vlcus adeò inualuit, vt tandem vniuersum nasum, totumque illius interstitium, interioresque & exteriores cartilagines depasceret relictâ foueâ amplissimâ, in media facie, cui pugnus poterat inseri, & per quam omnia interiora faucium spectabantur, horrendo intuitu. Præterea etiam sæuissimis doloribus, hinc inde in brachijs, pedibus obortis, miserè cruciabatur, vlceribusque illic vndique, indies de nouo erumpentibus innumeris, infestabatur. Quibus omnibus malis prostratus atque eneruatus, in lecto decumbẽs, adeò erat deformis, vt laruam potiùs & monstrum, quàm hominem referret, clamore continuo propter dolores, vti & vigilijs defatigatus, cùm postremò etiam hydrope correptus, nullum contactum, nec vel leuem linteaminum, perferre posset, assiduè Deum precibus vt se liberaret, implorans, tandem voti huius, cui compos factus, piè exspirauit.

Alia vlcera cacoethe, & sphacelos à lue Venerea.

HOspitem publici diuersorij huius vrbis, à lue venerea non rectè curatum, vlcera & sphacelus adeò pessundederũt, vt ossibus tibiæ in vtroq; pede sponte confractis, non ampliùs curari neque ambulare potuerit.

Alia eiusmodi vlcera.

A Lue venerea, naso vlceribus peruersis exesum, in multis, mulieribus præsertim, vidi, quę cùm iuuenes essent, corpore quæstum fecerant; postea lue infectæ, indéque naso mutilatæ, miserum spectaculum præbuerunt. In alijs quæ raucæ erant, vlcera faucium, palatum & vuulam depascentia, spectaui sæpe.

Ex podice ichoris aquosi effluxus, post Luem veneream.

CVidam post curam Luis venereæ], bis antequam sanaretur, iteratam, hoc vitium remanebat, nempe fluor ichoris è podice albi & tenuis, cum sensu aliquo molesto, citra tamen dolorem aut vlcus aliquod manifestum, quod dilatato podice appareret.

Cum ad me venisset An. 1609. Iussi vt fumum podice exciperet, cum penitiùs in abdita loca penetrare possit, eaque siccare. Parabatur autem ex puluere sequenti, carbonibus iniecto: ℞. Thuris ℥.ß. Picis ℥.j. Cinnabaris ʒ.ij. Minij factitij ʒ.j. Marcasitæ ʒ.ß. fiat puluis.

Dein vt immitteret in anum, & intruderet cum petia lintea hoc vnguentum. ℞. vnguẽti Pompholygos ʒ.vj. Minij ʒ.j. Boli Arm. ʒ.ß. fiat vnguentum.

Reuersus ad me, nam alibi habitabat, narrabat fluorem vsu horum remediorum primùm imminutum, mox etiam cessasse: sed cùm equitare per dies aliquot coactus fuerit, redijsse, nec dubitare se, si fumus rectiùs aluum subintrare potuisset, perfectè se sanandum fuisse. Nam adeò sibi podicem exiccasse, vt cum excrementa deijceret, eaque duriora essent, podex finderetur, vt & sanguis emanaret.

Dixi vt per breuem canalem, fumum in rectum intestinum deriuaret, ne exteriora podicis attingeret. Et Clysterem sequẽtem, paruâ saltem quantitate inijceret. Qui ex decocto rad. Cõsolidę, Bistortæ, cort. Granat. folijs Equiseti, Plantag. in aqua Fabrorum extinctionis ferri parabatur. Cui de sequenti puluere portiunculam quandoque misceret: ℞. Cerussæ ℥.j. lap. Calam. ʒ.ij. Litharg. ʒ.iij.

Boli ℥.ij. Minij ℥.j. Aerug. Aeris ℥.ß. fiat puluis subtilissimus.

Hisce sanitati restitutus, vxorem duxit. liberosque procreauit.

IN CONSVMPTIONE Obseruationes.

Phtisis metus ob sputum sanguinis.

VIde Hæmoptoica passio, &c. Item Sputus sanguinis, &c.

Phtisis à corruptis penitus pulmonibus, & in Empyema conversis.

PVer quidam annos octo natus, de scala, Anno 1574. delapsus, vti postea compertum fuit, sanguinem expuit, sensimque cœpit contabescere, tussi perpetuâ eum molestante, per quam purulentam excreabat materiam: ex pulsu febris deprehendebatur hectica, absque calore magno, appetitu cibi nihilominus persistente. Hisce sic menses aliquot durantibus, ad extremum marcorem redactus, vt sceleti cute saltem obducti formam exprimeret. in thorace ipsius, inter costas distentas & excarnes, cœpit prominentia quædam, in interuallo iuxta septi regionē in latere sinistro sese proferre, tuberculi instar mollis, concoloris, quod pressum in thoracis spatium retrocedebat, remissum redibat, pectore interim admodùm distento, vnde illud pure repletum, ex corruptione pulmonum, post phtisim, quam rupta ex casu vena pepererat, genitum, illicque exitum quærere, vbi tumor se offerebat, iudicauimus, eoque magis, cùm & in dorso talis eminentia inter costas appareret, costæque admo

admodûm ab inuicem essent diductæ. Et cùm nulla alia spes conualescentiæ superesset, extremum remedium sectionem, faciẽdam, esse iudicauimus, cumq; & parentes consentirent, statimque à chirurgo in tumorem, qui in pectore erat, scalpello impresso, inde pus copiosum prosiluit, adeò, vt nisi fuisset inhibitum, peluim chirurgorum impleuisset. Verùm ne vires conciderent, immissâ turundâ, effluxus puris fuit cohibitus, & per vices ad dies aliquot, postea pus emissum. Cæterùm cùm prominentia altera in dorso non subsideret, è medio tantùm thorace pus effluxisse, coniecimus, cùm & tumor ille non in sinistro, sed dextro dorsi latere sese offerret, quâ de causâ illic quoq; eum aperiendum esse, censuimus, quo facto, non minor quam è priore sectione, puris effluxit copia. Tam diu, donec penitùs ferè è thorace repurgato pure, fluxus minueretur, viribus interim vitalibus sensim deficientibus, & remanente nihilominus edendi appetitu in ægro, qui præter alia pyrũ paulò ante mortem, quæ mox secuta est, comedit. Cùm pectus post obitum sectione patefieret, pulmones penitùs ferè putredine absumptos, & in pus conuersos, vasaque cordis, quæ pulmonibus inserta fuerant, simul deperdita, & circa radicem veluti callo obducta occlusaque, succingentemque membranam prætumidam, atque vndique pure veluti pulte oryzeâ subuiridi, conspersam, deprehendimus.

Phtisis à corruptis pulmonibus, pure thoracem & abdomen implente.

ALter quoque diuturno morbo è medio sublatus, cuius vẽter qui in immensum excreuerat, cùm aperiretur, pure cadauerosi odoris in altum

profiliente, aliquot pelues æneas, quibus Chirurgi vtuntur, impleuit, quod & non minori copiâ impetuque è thorace diffecto promanauit, in quo pulmones vnius lateris, vti in alijs phthificis, ferè femper accidere, explicatum fuit, penitùs abfumpti, & in pus conuerfi, non folùm thoracem, fed & vniuerfum abdomen repleuerunt. Quod ex thorace eò profluxiffe, illud maximè, quòd nulla vifcerum corruptio in ventre inferiore deprehendebatur, fed lobi hepatis, inteftina, mufculique epigaftrij cum mefenterio & omento, duntaxat denigrata nonnihil, infectaque cernerentur, fufficienter comprobabat.

Phthifis à pulmone vulnerato, & corruptâ illius portione per vulnus exeunte.

ARcularius quidam ciuis nofter, cùm à famulo in thoracis infima fede vulnus profundũ punctim cultro factum accepiffet, fœtidiſsimum pus, cuius tetro odore tota vicinia inficiebatur, & pulmonum portiunculas aliquot, in quibus afperæ arteriæ rami cartilaginei manifeftè patebãt, per vulnus reddidit. Quibus diu perfeuerantibus, licet penitùs contabefceret, tandem tamen, puris effluxu remittente, vulnus occlufum eft, ipfeque fanitati reftitutus. Tabellarij munus deinceps multos annos obiens, quadraginta annos fuperuixit incolumis, etfi, vti verifimile, magna pulmonum parte in vno latere careret.

Phthifis à pulmone vulnerato.

QVadragenario cuidam, vulnerato, antè decem menfes, in pectore cultro, in pulmones vfque adacto, è vulnere fanguis primũ, mox fanies, tandem

tandem pus fœtidiſsimum, emanarunt, & pulmonum ſubſtantiæ portiones aliquot putridæ, quæ diu poſt cum pure, minori tamen fœtore, quã ab initio, prodierunt. Ipſe tabe admodũ conſumptus, febreque leuiculâ hecticâ laborans, nihilominus benè comedebat, bibebat & deambulabat.

Interrogatus de ea re, An. 1605. Primùm me ſimiles caſus vidiſſe, ſicuti priùs ſimiliter, enarraui, atque ægros euaſiſſe nihilominus, vt animum adderem, expoſui: poſſe enim vlcera pulmonũ etiam ſanari, ſi puri per vulnus detur exitus, & rationibus & experientiâ comprobaui: Atque ſequens conſilium dedi.

Et primùm quod vulnus attinet, ſic eſſe tractandum, vt apertum ſeruetur, nam ſi clauderetur, pure adhuc in pectore retento, mortem ſubſecuturam;

Iniectiones abſtergentes primùm, poſtea ſiccantes & conſolidantes ſucceſsivè, per vulnus ſyringâ infundantur, & poſtea corpus ſic collocetur, vt rurſum poſsint effluere.

Abſtergens ex Sero lactis caprini paret, addẽdo ad Seri ℥.viij. Mellis roſ. ℥.ij. ſucci Chelidoniæ & Apij an. ℥.j. pro iniectione.

Medio abſoluto die, glutinans iniectio ſic fiat: ℞. Lactis caprini, in quo ſilices igniti extincti fuerint ℔.j.ß. diſſolue ſucci Plantag. & rad. Conſolidæ mai. an. ℥.j. Sarcocollæ infuſæ in Lacte & diſſolutæ ʒ j. Terebint. lucidæ diſſolutæ cum Vitello oui ʒ.ij. miſce.

Si multùm puris emanet, abſtergente iniectione frequentiùs, ſin minùs, conſolidante, vtatur.

Bibat interea ad ſanationem, Lac caprinum, & ſi pus ceſſet, ouillum, manè antequam è lecto ſurgit, ad ℥.quatuor, miſcendo ʒ.j.ß. ſequentis pulueris, continuetque omni manè interdum & veſperi: ℞.rad. Conſolidæ ʒ ij. rad. Altheæ ʒ.j. rad. Liquirit.

ʒ. iij. sem. Plantag. ʒ. j. sem. Hyoſciami ʒ. ß. Ocul. cancri ʒ. j. gummi Arab. Tragach. an. ʒ. ß. Sacchari Roſ. tab. ℥. quatuor fiat puluis.

Iulepum tabis & hecticæ causâ, ord. de quo ℥. j. ß. noctu cubitum iturus, præcedenti leui cœnâ bibat: ℞. ſyrupi de Plantag. & Portul. an. q. ſ. & diluatur iſtarum plantarum aquis.

Ex Tereb. cum puluere prædicto, fiat maſſa: Capiat tres pilulas bis in ſeptimana, media nocte.

Caueat ſibi ab aromat. & ſalſis. Vtatur Hordeo mundo & Oryzâ coctâ; Carne rec. Ouis ſorbilib.

Superuixit adhuc per longam tempus, nec an adhuc viuat, ſcio.

Phtiſis à multis annis.

FOemina nobiliſsima quædam, Anno 1595. ex Gallia miſſo nobili conſanguineo ſuo, mihi & ſcriptis & ore per internuntium ſignificauit, ſe octo annos tuſsi laborare, cum ſanguinis expuitione, interdum purulentâ, aliàs etiam aquoſâ. Hisque omnibus iunctam eſſe febriculam, quæ ſe cibo præſertim ſumpto, calore leui, ſed præternaturali, manifeſtet: Corpusque ſuum de die in diem marceſſere, ſummopere auxilium à me efflagitans, cùm iam diu remedijs varijs tentatis, nihilo meliùs habeat.

Expoſui itaque primùm, dubium minimè eſſe, ob ruptam venam in pulmonibus, ab initio huius morbi, pulmonum ſubſecutam aliquam læſionem, à qua illorum exulceratio, ſeu corruptio, in ea ſede ſit ſubſecuta, atque indies aucta, febrémque comitem eſſe hecticam & proin eam phtiſi laborare.

Cauſam verò huius venæ rupturæ, quam reliqui à defluxionibus in pulmones delapſis proficiſci ſtatuunt, me potiùs à vi aliqua externa profectam,

fectam, existimare: non negare tamen, illas quoq;, ob partis affectæ imbecillitatem, in quam se natura exonerare solet, quandoq; eò delabi, tussimque augere, & malum sic geminare.

Curam forè difficillimam addidi, immò ferè impossibilem, cùm post tot præstantissimorum Medicorum consilia, nec tussis, nec exscreatio, nec febris aut marcor, remiserint, sed tot annos durauerint. Interim tamen ad hæc mitiganda, si exstirpari penitùs nequeant, & vitam, quod illa vnicè petebat, prolongandam, Deo prosperante, exquisitiora hæc illi præscripsi remedia, quibus, obseruato quin etiam decenti Vitæ regimine, à Medicis præscripto, sequenti modo vtatur.

Primùm de syrupo hoc singulis matutinis, vel saltem alternis diebus, manè cum è lecto surgit, ad ℥.j. plus minúsve, per se, sensim deglutiendo sumat vel dilutum aquâ Limacum & Portulacæ, iulepi instar bibat. Cuius hæc erat descriptio: ℞. succorum depuratorum Portulacę ℔. ß. Plantag. Buglossi vtriusque an. quart. j. aquæ destillatæ è viuis Limacibus, & Ranis an. ℥. iij, aquarum Scabiosæ, Violarum, Rosarum an. ℥. j. Sacchari purissimi ℔. j. coquantur ad consistentiam syrupi: Vtatur sicuti dictum.

Vt noctu dormitum itura, de Trochiscis vnum, in ore inter buccas & dentes retentum contineret, sicque superdormiret, sponteque eum dissolui sineret, ordinaui: Qui sic parentur: ℞. gummi Tragach. Arabici, Thuris an. ℈. j. Amyli. ʒ. j. medull. sem. Melonum, sem. Papau. albi rec. sem. Hyosciami an. ʒ. ß. Coralli rub. præp. Oculorum cancri an. ℈. ij. Opij dissl. in Vino generoso. gr. 6. mucilag. rad. Altheæ & Consolidæ. q. s. addendo Sacchari Penidiati mediam partem, fiant Trochisci pondere ʒ. ß.

Ad varianda remedia, ne natura vni assuescat,

minusq; sic operetur, loco trochiscorum, vt quandoque de Diacodio sequenti meæ descriptionis sumeret, consilium dedi, & prout hoc illudúe plus iuuabit, eo frequentiùs vtatur. Quod sic descripsi: ℞. Siliquarum Carobe dictarum ℔. ß. confringantur & grana eximantur, adde rad. Liquiritiæ ℥. ij. rad. Consolidæ mai. sicc. rad. Altheæ an. ℥. j. fiat decoctio in Aqua, & in ℔. ij. decoque capitum Papaueris hortensis non plenè maturorum ℥. quat. colaturæ adde Sacchari penid. Sapæ ex musto vini paratæ an. ℥. iij. decoquantur donec inspissentur. Capiat ad ℥. j. augendo minuendóve quantitatem, prout tussis atque excreatio inde minuentur.

Quia Lacte caprino alijsq; vsa fuerat remedijs, in phthisi vsurpari solitis, plura addere nolui: Verùm hoc consilio instructum, domum remisi.

Annis tribus postea, cùm in Lotharingia essem, apud Principem, intellexi ab illius agnato, qui in aulam venerat, viuere adhuc illam, & quod mirum, filium interim peperisse vegetũ, & viuidum, quem etiam lactaret. Quid postea eâ factum, intelligere minimè potui.

Atrophia, Tensiones hypochondriorum, ventris durities, Febris hectica cum tertiana duplici.

QVædã mediæ ętatis, mulier nobilis, in Heluetia, venis varicosis, in cruribus præsertim, quando grauida erat, admodũm tumentibus, laborás, postea vidua facta, illis in locis vlcus diu apertum habuit, è quo humor continuò fluebat. Eo tãdem sanato, cœpit sensim emaciari, ad extremum vsq;, tensiones in hypochondrijs, duritiemq; ventris sentire, cũm appetitu prostrato, mensiumque fluore

fluore remisso, maleque colorato. Quę iam aliquot septimanas perseuerauerant.

Cùm ad eam An. 1599. Iunio mens. vocatus eò me contulissem, ipsamq; visitarem, dixi ab obstructionibus hæc procedere, & viscerum imbecillitate, principiumque tympanitidis esse.

Venam iam priùs aperuerat, & syrupis quibusdam vsa erat aperientibus, sed nihilo meliùs habebat.

Suasi vt Cauterio cruribus adhibito, fluxū, qui per vlcus, dum apertum erat, sibi viam fecerat, rursum eò deriuaret. Quod illa ægrè concedebat.

Vinum sequens pręscripsi, vt primùm eo per triduum vteretur, maneq; post iusculum sumptum biberet, eâ mensurâ, vt inde bis vel ter ad summum deijceret. Inde tertio die repeteret, postea septimanatim. Quod tale fuit: ℞. rad. Aperitiuar. an. ℥. ß. rad. Cichoreæ, Ireos, Rhapontici an. ʒ. vj. Absynthij ℥. ß. Chamædr. Chamæp. an. ʒ ij. summit. Centaur. ʒ. j. fl. Cordial. ʒ. ij. fl. Genistæ ʒ. ij. ß. seminum Fœniculi ʒ. ij Seseleos ʒ. j. ß. Cuscutæ ʒ. j. fol. Sennæ mund. ℥. j. ß. Rhab. el. ℥. ß. Agar. troch. ʒ. iij. Mechoacæ ʒ ij. Zingib. ʒ j. Infund. incisa & confract. in Vini albi tenuis ℔. vj. Stent in infus. ad dies tres, antequam vtatur, seruentur benè obturata, in vinaria caua.

Pilulis sequentibus vtatur loco vini interdum ad ʒ. j. sumendo, vel ʒ. ß. postquam vinum bibit: ℞. Aloës succo Citrin. ʒ. ij. Agar. troch. Rhab. el. an. ʒ. j. Spicæ ℈. ß. gummi Ammon. diss. in Aceto ℈. ij. Limaturæ chalybis subtiliss. puluerisati ʒ. j. Mastiches ℈. j. Cum syrupo de Radicibus, fiat Massa.

Vnguento sequenti ventriculi regionem & hypochondrium vtrinque vngat manè, eo die, quo purgantibus non vtitur: ℞ olei Amygd. am. ℥. j. ol. Nard. de Absynth. an. ℥. ß. succi rad. Apij ℥. j. Aceti

ʒ.j.ß.Coq. ad. ſuccorum conſumpt.adde rad.Aſari pulueriſat. Santal. rubr.an. ʒ.j. Gariophyl. ℈.j. Ceræ q.ſ.fiat vnguentum.

De Electuario hoc manè eadem die,inſtar nucis moſch.ſumat. ℞.conſer.flor. Cichor.ʒ.j.conſ.fl. Bugloſſ.ʒ.vj.conſer. Roſ. Maioran.an. ʒ.ß. ſpecierum Arom.roſ.Diarrh.abb.an.℈.j.troch. de Cappar.ʒ.j. ß.Raſ.eboris ℈.ß. Cũ ſyrupo de Byzant. fiat Elect.

Aquarum ſequentium ſuperbibat ℥.ij. vel iij.℞. aquarũ Centaur. min. Gentian.an.℥.iij.aq.Cichor. Endiuiæ,Bugloſſ.an.℥.j. miſce.

Cùm hiſce vti inciperet,vſu Vini quinquies deiecit, ſed blandè & ſine moleſtiâ, idque repetitis tribus vini vicibus, vnde venter ſubſidere nonnihil cœpit,& emolleſcere.

Vocatus tandem ad eam, quemadmodum deſcripſeram,rem ſic ſe habere,deprehendi,& pręter hæc,febre continuò perſeuerante eam laborare,ex pulſu obſeruaui, cui altero die, alia accedebat cum horrore inuadens, & calore vehementiore, & ſiti per horas aliquot durans,quam tertianam eſſe notaui, quæ tamen poſt paroxyſmos aliquot, ante meum aduentum, poſt vini purgantis vſum remiſit, & vix dum altero die ampliùs notari potuit, perſeuerante aliâ, nec remittente, iam aliquot ſeptimanas, nullis tamen caloris vehementioris indicijs, quam ob id hecticam eſſe iudicaui,confirmantibus idem hiſce indicijs, quòd tàm vehementer cõſummeretur, & arteriæ ac venæ illius,in brachijs macris,adeò calidę,vti ipſa referebat, & tenſę, inſtar chordæ alicuius eſſent, & quod mirum,peritonæum quoq; adeò eſſet aridum, vt ventre preſſo,introrsũ,rurſumq; redeunte, ſonũ ederet,qualẽ veſica arida vẽto plena, cũ premitur,reddere ſolet.

In diuerſis itaq; hiſce caſib.tympanite & hecticâ, cũ difficile ſit, vtriſq; ſimul proſpicere,iuſſi primũ iuſculis

iusculis sæpè,& parùm exhibitis, eam nutrire, Vinum dilutum aquâ chalybeatâ post sumptum cibum bibere. Lac amygdalinum tenue extra hoc tempus sumere.

Cùm aluus adhuc sponte, post postremi Vini vsum deijceret, sumpsit de Electuario præscripto, superbibendo aquas.

Subsistente aluo, dedi ʒ.j. Pilul. præscriptarum, atq; bis inde deiecit. Postea purgaui adhuc semel illam extracto Cydoniato, vnde 6. deiecit, & bis tenacem vomuit pituitam.

Ventri sacculus hic appositus fuit; ℞. sem. Carui, Cimini ana ℥. ß. Bacc. lauri ℥.j. fol. Rutæ M. j. Milij, Furfuris an. P.ij.

Postea etiam empl. de Baccis lauri, ol. Nardino malax. applicatum, alteriusq; vicibus, nunc sacculus, nunc emplastrum adhibitum.

Tandem etiam illud: ℞. Bacc. lauri ℥.ij. f. Cimini ℥.j.ß. sem. Carui ʒ.ij. fol. Rutæ ʒ.j. Sulphuris viui ʒ.j. Thuris ʒ.j.ß. Castor. ʒ.ß. succi Rutę cocti cum Mellis æq. part. q.s. ad excip. fiat Emplastrum.

Hectices causâ, pulsu cito permanente semper & pleno, arterijsque calidis, alteroque die indicijs tertianæ semper adhuc apparentibus, pulsibus & cordis regioni epithema hoc admotum fuit: ℞. aq. Rof. Bugloss. Borrag. an. ℥.ij. Vini alb. ℥. ß. succi. Pom. de Portul. an. ℥.j. misce.

Conseruâ vtebatur Bugloss. Borragin. Benè se habuit, & cœpit rursum habitior fieri. Sed versus autumnum, recidiuam passa, facta est tympanitica, aliorumq; apud suos operâ vsa, expirauit.

Corporis consumptio in Febre continua.

Vide in Febribus Lib. 11. Febris continua putrida &c.

Atrophia in Febribus.

Vide in Febribus Lib. 11. Febris hectica cum tertiana duplici &c.

IN PARTIVM EXCRETIONE Obseruationes.

Abortus frequens.

Generosa Domina, equitis cuiusdam Itali vxor, primo nuptiarum anno concepit, sed citiùs pariens, fœtum viuum enixa est, qui tamen mox extinctus fuit. Altero postea anno, maturum infantem peperit, qui aliquandiu superstes fuit. Ab eo tempore, iam ab annis penè decem, quoties se concepisse suspicatur, mensibus aliquot postea elapsis, abortiuit, in quo abortu, fœtus nonnunquam manifesta apparent indicia. Ipsa interim benè habita & obesa, nulla grauiora patitur accidentia.

Cùm consilij causâ maritus huc venisset, Anno 1601. Iunio mense, explicatis causis primùm diuersis, vnde hæc possent accidere, hoc consilij ei dedi, vt inprimis obseruaretur, an menses fluant vel suppressi sint: pro ratione enim horum, curam esse instituendam.

Cùm enim, quando fluunt decenter, eam nondum cõcepisse certum sit, idcirco eo tempore matrici corroborandæ & expurgandæ, & vt habilis ad conceptum fiat, studendum.

Quod

Quod præstabitur, si mensibus absolutis insessione vtatur, singulis noctibus cubitum itura, idque per dies quatuor vel quinque continuos, sedendo in eam per horam j. antequam lectum ingrediatur: ℞. radic. Liliorum, Valerianæ, Bryoniæ an. ℥.iij. herb. Matricariæ, Calamenthæ, fol. Lauri, Rubi, semin. Iuniperi an. M.j. flor. Lauandulæ, Rosarum, Sambuci an. P.j. Balaust. ℥. ß. baccarum lauri P.j. Coquantur in Aqua pluuiali, addendo mens. j. Vini rubr. & mens. j. Aquæ fabrorum extinctionis ferri. adde Aluminis ℥.j.

Post Insessionē, suffitum excipiat vtero, in sella, qui fiat ex trochiscis Galliæ & Aliptæ moschatæ.

Atque manè tertio die capiat de sequenti confectione, magnitudine nucis mosch. superbibendo parum Vini generosi: ℞. cons. flor. Rosmar. Maioranæ, Scabiosæ, an. ℥.j. specierum Diambræ, Diamoschi an. ℈.j. Ralurae eboris ʒ. ß. Nucis mosch. Cinamom. an. ʒ.j. sem. Sileris mont. ʒ. ß. Excip. syr. de Betonica. fiat mixtura.

Quando verò menses tempore conuenienti non fluunt, suspicioq; est illam concepisse, nihil adhuc agendum, donec altero mense quoq; menses non redijsse certum sit, tuncq; incipiat illis quæ conceptum retinent, & vterum firmant, vti.

Primumq; ceratum sequens, lumborum regioni noctu cubitum itura applicet, illudque tota nocte retineat, idque saltem ab initio tribus noctibus semel, & post mensem quartum, alternis noctibus, & quò magis vterus crescit, postea eò frequentiùs, mutando aliquoties locum, ita vt, quando quater in lumbis gestauit, postea in ventre sub vmbilico totidem noctes ferat: ℞. rad. Bistortæ, s. Coriandr. an. ʒ.ij. Nucum cupress. Santal. rubr. Hypocist. an. ʒ.j. Ladani, Mastich. an. ℥. ß. Thuris, Bdellij an. ʒ.ij. Coralli, Succini an. ʒ.j. puluerisanda puluerisentur.

Excipiátur oleo Maſtichino, addendo Ceræ & Te- rebinth. q. ſ. fiant Cerata quadrata duo vel tria. Ad vſum.

Interea vtatur tabulis, quæ mirè ad abortum præcauendum ſunt vtiles, capiendo vnam alternis vel ternis diebus, manè: ℞. ſem. Coriandr. præpar. ℥ ij. radic. Biſtort. Raſ. Eboris, Coralli rubr. an. ʒ j. Succini, Cryſtalli an. ℈. j. Cocci infect. ℈. ß. Sacchari diſſolu. in aq. Roſ. ℥. iiij. fiat tabulæ pond. ʒ. j.

Lapides Ætites, Lazuli, Iaſpis brahijs alligati proprietate iuuare credũtur. Caueat, cùm vterũ geſtat à nimio motu, tuſsi, ſternutatione, ab aromatibus nimijs & Vino generoſo.

Abortus frequens, in alia.

GAlla quædam mulier, rubicunda, fuſca, octies vel nouies cùm abortiuiſſet, poſtea ſterilis ad multos annos fuit. Curá illius ſuſcipiens, præmiſſis varijs remedijs, ſuaſi vt ſæpiùs ſudaret, exhibito Gaiaci decocto, adhibitâ ſimul victus parſimonia, quod cùm continuaret per menſis ſpacium, menſesq; inſtarent, ſed non fluerent, ſe nimium ſudoribus exhauſtam, eoq; nomine menſes ſuppreſſos queritans, à ſudoribus deinceps abſtinuit. Verùm mox, cum & poſtea inſtante menſium tempore, ij ſuppreſsi manerét, venterq; & mamillę augerentur, ſe grauidam factam, dum decocto ligni vteretur, cognouit. Itaque ne abortiret, Cerato & tabulis in priori conſilio expoſitis, vſa, ad abſolutum tempus vſque, poſtea filium vegetum & viuidum enixa eſt.

Abortus in alia.

IN alia quoque matrona, quæ multoties abortierat, & multis vterum calefacientibus & ſiccantibus

bus vsu erat remediis, cùm nihil profeciſſet, ipſaq́; valdè rubicunda eſſet, totum vitæ regimen, ad frigidum inſtituens, poſtquam concepit, eodem Cerato & tabulis abortum in ipſa impediui, vnde factum, vt filiam poſtea vnicam, pepererit.

Abortus quatuordecies, ob calculum in rene, renisq́ consumptionem.

VIde in Hypochond. dolore. Lib. II. Calculus renum, abortus &c.

Abortus impeditus in ea, quæ ſe grauidam putabat, & largo fluxu menſtruorum laborabat.

VIde in Sanguinea excretione. Lib. III. Menſtruorum fluxus immoderatus &c.

Abortus embryonis non ita pridem concepti.

VXor cuiuſdam Galli iuuencula adhuc, quinquies abortiuit, intra quadriennium, quarto primum à conceptu menſe; Poſtremus abortus, decem ſeptimanas ſaltem grauidæ, vti ex mẽſtruis tamdiu retentis colligebat, ſuperuenit. Reiectum erat, quatuor digitos craſſum, cauum & fungoſum in quo veſicula nucis magnitudine incluſa erat, pellucida, aquaq́; referta cui aliquid innatare videbatur. Eâ diſruptâ, pilula in ea vix trium piſorum minorum magnitudinem ſuperãs, apparebat, fœtus rudimentum album, globuli inſtar rotundum continens. In quo exempto & ſtylo diducto partes corporis maiores licebat cernere, caput primùm,

pisum vnum referens, rotunditate, in quo oculi vtriusque nigricantia puncta, & oris distincti linea, cognoscebantur. A capite corpusculi dorsum subtus circa spinam, chordam testudinis repræsentabat, cordis regio, vti & hepatis, minùs alba, quam reliqua corporis sedes, sed nonnihil liuescens; iuxta hepar, vena vmbilicalis minutissima prominebat. Per cætera embryo ab omni connexu liber, illiusque brachia & pedes à reliquo corpore distincta erant; quæ tamen contactu vel leuissimo, facilè, muci alicuius crassioris instar, dissoluebantur. Secundina, cui fœtus adhærebat, quintuplo maior, quàm hæc vesica, cui embryo includebatur, erat.

Abortus embryonis, hydropici in vtero matris facti.

EMbryonem masculum immaturum, peraborturn quarto vel quinto mense reiectum, hydropicum in vtero matris iam factum esse, deprehendi: cuius cùm interiora examinarem, totius corporis cutis, & capitis quoque pilosa pars, aquâ subter cutem tumebat; Atque è vesicæ ipsius fundo, meatus amplus, vrachi instar, in cauam venam, sub renibus, vniuersam seroso sanguine refertam, desinebat.

Abortus fœtus immaturi & mortui, præcedens partum legitimum viui & maturi fœtus.

SVtoris cuiusdam coniunx grauida, dum ineunte luce, in caua vinaria occupata versatur, eximprouiso fœtum exclusit: quem adhęrentem adhuc, manibus, tamdiu donec obstetrix adueniens eum exciperet, retinuit. Hic autē immaturus adhuc, vix mediæ,

mediæ, vti oportebat, longitudinis, & mortuus: sed rectè interim formatus & integer, fœminei sexus apparebat. Quem obstetrix nondum medium terminum maturitatis compleuisse, cõiecturabat; etsi mater ex supputatione, sese vteri gestationis tempus integrum absoluisse, crederet. Quod dubium, nouus pariendi conatus superueniẽs, secundusque partus, pueri & perfecti & superuiuentis, sub vesperâ eâdem die in lucem editi, dissoluit. Quo partu & secundinam prioris fœtus nondum absoluti, & posterioris integri, simul deiecit.

Abortus fœtus immaturi corrupti & partus viui eodem die.

EAdem ratione, hoc eodem anno 1586. in nostra vrbe mulierem fœtum quoq; immaturum, sed corruptum; & viuum peperisse eâdem die, obstetrix mihi fide digna narrauit.

An ab ictu in clunes grauidæ mulieris factò, ea abortierit, vel fœtus extinctus sit? dubiumm; eumq́; super eâ re iudicium.

MVlier quædam grauida, An. 1604. cùm non procul à tempore partus abesset, stans in hospitio, à rustico, pede in nates percussa, malè statim se habere cœpit, & biduo postea infantem viuum peperit, qui post horæ spatium exspirauit. Cumq; rusticus accusaretur apud Magistratum, quòd causam mortis infanti, ictu quo matrem percusserat, præbuerit; egoq; à Magistratu, vt de hac re iudiciũ meum ferrem, fuissem admonitus, priùs cognitis omnib. circumstantijs, ex relatione illorũ; qui præsentes huic negotio interfuerunt, & inprimis obstetricis, iuramento adstrictorum, in hunc modum respondi.

Cùm pes non in ventrem aut lumbos, ſed clunes ſaltem adactus fuerit, veriſimile videri, non infantem ex eo ictu, adeò læſum fuiſſe, vt morti illius anſam præbuerit, præſertim cùm viuus integer in lucem prodierit, nec veſtigium læſionis aliquod in illo apparuerit. Verùm quod mulier ob hanc percuſsionem, citiùs quàm par erat, pepererit, arguere dixi, tum dolorem, quem mox inde ſenſit, tum etiam terrorem, quo admodùm perculſa, partus ſic promoueri potuerit. Cæterùm nec hunc celeriorem partum abortum fuiſſe, aut cauſam mortis infantis, hæc rurſum teſtari, quod mulier alioquin partui vicina fuerit, facileque pepererit, nec prægreſſa ſint grauia accidentia, & quòd infans abſolutus & viuus natus ſit. Quibus omnibus conſideratis, concluſimus, niſi fortè interius aliquid, quod ex ſignis apertis cognoſcere minimè licuit, latuerit vitij, hunc ictum temerè & impudenter à ruſtico factum, mortem infanti conciliare minimè potuiſſe.

An infans eodem die in lucem editus & mortuus, à matre vti ſuſpicio erat, ſit è medio ſublatus, vel propter abortum aut partum violentum, vel morbum in vtero matris contractum, extinctus.

CVm quædam in agro Baſilienſi infantem viuum peperiſſet, An. 1609. illeq; ſub veſperam expiraſſet, & in corpore ipſius, color liuidus qualis vibicum in percuſsis eſſe ſolet, conſpiceretur, ſuſpicione à matre eum fuiſſe interemptum, obortâ,

tâ, Magistratus, vt eum diligenter inspicerem, singulaq; ponderarem, meumque ea de re iudicium exponerem, mandauit.

Adhibitis igitur etiam alijs, atque de singulis mulieres quæ partui interfuerunt, vti & obstetricem, percontatus, tale Magistratui responsum dedi.

Deprehendisse me, in infante extincto, colorem liuescentem seu subcæruleum, non solùm certis in locis, vti in percussis, liuor illic tantùm, vbi ictum passi sunt, se offert, sed & in totius corporis trunco, manibus pedibusque ipsorumque digitis apparuisse, atque ex eo posse conijci, non vibices aut sugillationes, vel peliomata, quæ Germ. Blauwmähler vocant, esse, & proin non à vi aliqua illata liuorem prodijsse.

Atque idem hoc quoque magis comprobari, quòd eiusmodi totius corporis liuiditas, in demortuis sæpè se offerat, colorque ille pallidus seu luridus, qui extinctis superuenire solet, in liuidum subcæruleum sæpè conuertatur, illis præsertim in sedibus, quæ in corporibus strato duro incumbentes, â reliqua corporis mole premuntur, sæpeque me hoc obseruasse. Postmodum cùm nulla alia signa læsionis alicuius apparuerint, atque quæ cum infante & matre, dum adhuc viueret, versatæ sunt, testarentur, in infante mox vbi in lucem prodijt, morbi indicia, & quòd æger esset, cùm sæpè vomeret, nec sugere vellet, apparuisse, verisimile videri, ob morbum illum, quem dum in vtero erat, vel in partu, si ille violentus, vel per abortum factus sit, contraxerat, non autem ob vim aliam illatam, è medio sulatum fuisse. Quam sententiam senatus approbans, matrem, liberam dimisit.

Fœtus in vtero matris extinctus, sectione exemptus, in duabus.

VIde in Partus defectu. Lib. 1. Partus impeditus &c. Dein iterum. Partus imperf. &c.

Fœtus plures quam naturaliter solent aliàs partu edi, Et gemellorum quorundam forma similis.

AD partium excretionem præter naturalem, referre possemus, plures numero fœtus, quàm consuetum est, vno partu prodeuntes, cùm vix omnes tunc superuiuant. Vidimus in agro Bernatum, ad lacum Thunensem & cognouimus ante multos annos, parochum pagi Sigrißweil/ cuius vxor intra anni spatium, in primo quidem partu quinque, in secundo verò quatuor liberos peperit, qui viui omnes ad baptismum peruenerunt. Frequenter accidit, vt tres vno partu gignantur, frequentiùs gemelli, quorũ aliquos ad extremam ętatem peruenisse obseruaui. Inter quos duo fratres, Pithæi Galli, Anno 1598. nobiscum Basileæ aliquandiu versati, qui Anno 1538. eodem partu septimestri nati, adeò forma corporis similes erant, vt sæpè vnum pro altero affatus sim, etsi optimè mihi noti essent, & sæpè mecum conuersarentur. Sed & naturali quadam inclinatione adeò erant similes, vt sicuti sæpè mihi narrarunt, quod vnus cogitaret, tacitè alteri eodem tempore quoque in mentem veniret, & si vnus ægrotaret, alter similiter doleret, vt & inter absentes, altero in Campania, alio hîc Basileæ existente, & ægrotante id accidit.

IN PARTIVM PROCIDENTIA Obseruationes.

Intestini prolapsus in Scrotum, seu Enterocele.



Filio Cancellarij cuiusdam hernioso, intestinum in scrotum descendebat dextrum, quod & presione reponi poterat, hocque iam per annos duos passus fuerat.

Interrogatus super hac re, An. 1598. hoc consilij dedi, vt in lecto per mensem decumberet, nec nisi presso inguine manu surgeret, & ne elaberetur, tamdiu retineret, donec aluum deiecisset, rursumque in lectum rediret.

Victus ratio temperans & decens ordinata fuit, calida & sicca prohibita, ne fœces exsiccatę, molestiam in deiectione ei parerent, humida & laxantia vt sumeret, indicatum.

Vt foueret inguen dextrum, illic vbi intestinum per peritonæi foramen laxatum, aut ruptum, descendere solebat, iussi, hoc pacto: ℞. rad. Tormentill. Pentaphylli, Bistort. Valerian. Tapsi barbat. an. ℥.ij. cort. Gran. ℥.j. herb. Equiseti, Plantag. Herniar. Hyperici an. M.j. se. Nasturtij ℥.ß. Vitreoli, Aluminis an. ʒ.j. Conquassentur, coquantur in Vino rubro stiptico: Fomentetur locus indies.

Postea sequens in eodem loco applicetur: ℞. cort. Granat. Gallarum, Nucis cupress. an. ℥.ij. Boli armen. ℥.ß. Gypsi vsti ʒ.ij. Thuris ʒ.j. fiat Puluis subtilissimus de quo mensurâ vnius cochlearis, cum album. Oui & Aceto rubro misceatur, instar pultis; Et bombax in eo intinctus admoueatur. Indies post fotum hoc renouãdo, & subligaculo decenti vinciendo.

Bibat manè sequens decoctum: ℞. rad. consol. mai. Bardanæ, Pentaphylli an. ℥. ß. fol. Sanicul. Plantagin. Herniar. Equiseti an. ʒ. ij. misce, fiat Puluis: Capiat ʒ. j. decoquantur in Vini mensur. ß. ad tertiæ partis consumpt. coletur. Bibat matutino tempore ℥ iij.

Cùm per dies quatuordecim curam hanc continuasset, emplastrumq; illud vehementer hæreret, mutaui, atq; emplastrum pro ruptura malaxatum oleo Myrtillorum & supra corium extensum, applicare, alligareq; iussi, nihilominus indies fouendo, decoctumq; exhibendo.

Post mensem, cùm surgenti intestinum remansisset, subligaculo ad tempus adhuc vsus, subiecto emplastro & à vehementioribus motibus sibi cauens, nihil postea ampliùs decidere sensit.

Enterocele in alio.

QVidam tumor in scroto immensus & tensus prominuit, qui propter enterocelen, ex prolapsu intestini natus erat, & vti aliâs sæpè, sic tunc maximè illi accidebat, nec reponi poterat, vnde dolorem immensum sentiebat.

Ex contactu apparebat, non ab excrementis, sed flatibus intestinum adeò intumuisse, cùm tensus esset tumor, & compressus rugitum ederet.

Curam aggressus An. 1601. sumpsit potiunculam purgantem, an fortè sic vnà cum excrementis flatus, inde quoque à natura propellerentur, cùm clysmata inijcere in hernia non sit tutum.

Puluere hoc vtebatur ad flatuum prouentũ impediẽdum: ℞. se. Coriandri saccharo semicooperti ℥. j. sem. Anisi, Fœniculi similiter conditi an. ℥. ß. sem. Carui, sic quoq; præparat. ʒ. ij. pulu. Diacimini ʒ. j. Cinam. ʒ. ij. Sacchar ad pondus omnium: Capiat cohl. j. in fine prandij & cœnæ.

Fomen-

Fomentatio dein sequens tumori fuit adhibita: ℞. radic. Altheæ, Bryoniæ, Ebuli, bulb. Liliorum ad ℔. ß. foliorum Maluæ, Parietariæ, Brancæ vrsin. Caulium rubr. Origani, Calamentæ, Rutæ an. M. j. seminum Lini, Fœnogræc. an. ℥. j. seminum Carui, Cimini an. ℥. ß. florum Chamom. Melilot. Lauandulæ, summitat. Anthos & Absynthij an. P. j. fiat decoctio in duabus partibus Aquæ & duabus Vini & Lixiuij, pro fotu cum spongia.

Dein Cataplasma sequens calidè applicare iussi: ℞. Resident. prædicti fotus & pistatæ ad ℔. j. adde farin. Fabarum & Auenæ an. ℥. iij. farin. Orobi ℥. j. farin. semin. Fœnogr. ℥. j. ß. pulu. rad. Ireos & semin. Cimini an. ʒ. ij. olei Chamomil. Anethini, Rutacei q. s. fiat Cataplasma.

Chirurgus etiam vnguentum Aggrippæ laudabat, atq; aliquando in hoc casu profuisse asserebat. Quapropter eo quoq; tumor inunctus fuit.

Post vsum horum spacio 24. horarum, cùm tumor nonnihil subsideret, iussimus chirurgum eum sensim premendo, corpore vti oportet collocato, tentare, an intestinum reponi posset, sicuti & factum, tumorq; penitùs euanuit, & ne intestinum denuò elaberetur, instrumento idoneo parato & admoto postmodum cautum fuit.

Enterocele & Epiplocele, in quodam cum scroti tumore & mole immensâ & admiranda.

VEnit ad nos Basileam quidam, qui se Sebastianum Rosæũ Herbipolẽsem nominabat, Theologiæ vti aiebat studiosus. Huius scrotum adeò tumebat, vt deorsum pedis vnius cum dimidio longitudine propenderet, & in circumferentia plusquam pedes tres cum dimidio comprehenderet,

totaq; illa moles, quæ admodùm dura tactu deprehendebatur, triginta quatuor libras pondere adæquaret. Quam, propter pondus, mantili inuolutam, colloque appensam, latâ hac fascia gestare cogebatur. Res mira, & inaudita, circumibat ille nihilominus, atque hinc inde vagabatur, opem & viaticum petens. Atque milliare vnum pedes die vno conficiens. Cibum in die semel assumebat, non magnâ copiâ. Potu non nisi calido vtebatur. Vinum admodùm auersabatur, nec nisi aquâ benè dilutum, bibebat. Aluum quinto saltem die exonerabat, tanto cruciatu, vt mortem potiùs adire, quàm aluum deijcere optaret. Vrinam pariter cum dolore, semel in die tantùm reddebat. Narrabat sibi hoc Tiguri in concione accidisse, subitoq; hunc tumorem enatum. Ex quibus conijcere potui, intestina rupto peritonæo pleraq; in scrotum cũ omento prouoluta fuisse, sensimq; dilatato scroto, illic, veluti in alio ventre substitisse, sibiq; sedem parasse. Quod &, cùm venter totus vacuus inanitus & collapsus appareret, comprobabat, accrescente fortè & carnositate aliqua interim in testibus, veluti in sarcocele fieri solet.

Enterocele & Epiplocele in inguine, cum inflammatione & subsequente gangræna.

PAgano cuidam viro alioquin robusto, cum duobus litiganti, & in terram deiecto, aduersariorum alter, pedem in inguinis dextri regionem adeò impetuosè impegit, vt vehementem inde cruciatum mox sentiens, vix iterum potuerit assurgere. Inde in lectum collocato, statim tumor in eo loco amplus apparuit. Chirurgus & Lythotomus vocati, rupturam in peritonæo factam,

ctam, atque procidentiam intestinorum secutam iudicabant, aliquotque dies, in reponendo intestino laborarunt, fomentis, vnctionibus, & manuali operatione adhibitis. Quibus cùm nihil proficeretur, dolorque indies augeretur, & tumor admodùm ruberet, ad nos aduectus, vt consultatio de eo institueretur, fuit.

Cùm verò cognouissem, illum totos octo dies, ex quo læsus fuerat, nihil per aluum deiecisse, vomitumque eâ nocte excrementorum alui secutum, & postmodum omnino intestina procidisse, vti & omenti portionem, tumore in inguine persistente, nec in scrotum descendente, intestina ex læsione inflammata, vti & vicinas partes, asseueraui: & quia tumor mollis, plenus & liuidus erat, sanguinem quoque illic collectum ex læsione, eumque ex diutina retentione corruptum esse, iudicaui.

Quibus consideratis, cùm nulla alia spes salutis esset, & gangrenæ indicia, excitatis iam nigris in inguine pustulis, exsudanteque ichore, apparerent, per sectionem cutis viam patefaciendam, & per rupturam peritonæi tunc conspicuam, intestina reponenda, ægro etiam hoc vnicè petente & rogante, necessarium fuit existimatum.

Itaque chirurgus, cutem tumori instratam attollens digitis, ne dum secaretur, intestina fortè læderet, eam nouacula aliquousque discidit, ægro nullum indè dolorem sentiente, quod emortuæ carnis ex gangræna signum erat, statimque flatus fœtidissimi & corruptus sanguis liuidus, cadauerosi & abominandi odoris, per foramen peritonæi scissum, è vulnere erupit, tantâ copiâ, vt peluim penè ad impleret.

Inde sectionem longo vulnere cõtinuans omen-

tum quod omnino corruptum erat,& prociderat, cum inteſtinis,ab his amplitudine duarum palmarum abrupit, atq; hæc eadem admodùm rubentia cruentaque per rupturam intrudere rurſumque erumpentia retinere ſtuduit, quod dolorem ægro pariebat adeò vehemẽtem, vt animo interdum deficeret. Poſtea pannis duplicatis & inuolutis applicatiſque cum emplaſtro ne erumperent inteſtina, cauit, mortem interim prædicens, vti & ego, cùm pulſus in eo deficeret, extremaque frigerent, quapropter tres tantùm horas, in agone verſatus, exſpirauit. Abdomine ſectione reſerato, inteſtina intrinſecùs liuida aliquouſque, vti & peritonæi inferior ſedes, carnóſaque vicina loca, contuſa apparuerunt, ex quibus ea inflammata gangrenataque fuiſſe, ſatis patuit. Hæc Anno 1611. menſe Iulio contigerunt.

Inteſtini prolapſus ſub cutem abdominis.

MErcatori cuidam, cui taurus impetu facto, cornibus abdomen in latere circa vmbilicũ perfoderat, poſt cõualeſcentiã, exiguus tumor, rupto ſcilicet illic peritonæo, remanſit: quem cum negligeret, tandem, ſenſim è peritonæi cauitate emergentibus inteſtinis, tumor in immenſum excreuit, ipſeq; & febre acutâ & ſtercoris euomitione adeò periculosè & extremè laborare cœpit, vt de illius ſalute penè deſperãtes, ad ſectionem reponendaq; inteſtina, tanquam extremum remedium confugeremus. Quâ, in cute illius loci tentatâ, licet difficulter foramen peritonæi rupti digito inueſtigaretur: eo tamen inuento, ſenſimq; intruſis inteſtinis, mox ſanitati reſtitutus, tumorem poſtea vinculis coërcuit. Hoc circa An. 1578. contigit.

Inteſtini prolapſus in vmbilicum, ſeu Omphalocele.

IN oppidulo Thanenſi, An. 1567. mulierem inſpexi, cui ex hernia omphalocele, vniuerſa penè inteſtinorum mole è peritonæi cavitate procidente, tumor immenſus ac veluti nouus venter, à vero ventre flaccido & depreſſo, & in hunc tanquam ſaccum illi inanito appenſum propendebat, quem & faſciâ circumductâ, vt onus hoc ſubleuaret, collo ſuſpenſum geſtabat.

Omphalocele ab ortu.

PVella modò nata, An. 1588. Nou. menſ. tumorem immenſum ex vmbilico propendentem, ſecum in lucem attulit. Quem cùm vocatus inſpicerem, deprehendi tenuia eſſe inteſtina per vmbilicum prolapſa, globi magni inſtar conuoluta, tenui membranâ pellucidâ, qualis amnion fœtũ inuoluens exiſtit, inueſtita, in quam corda vmbilicalis deſinebat, & veſica ampla, humore plena adhærebat. Infans cætera benè habitus erat. Cùm autem inteſtina premendo reponere ſtuderemus, videbantur nonnihil in abdominis cauum ex parte remeare, mox tamen rurſum cum murmure egredi. Quæſtio erat, an veſica aperienda, digitoque immiſſo, foramen per quod egrediebantur inueſtigandum eſſet, vt per illud inteſtina reponerentur: verùm quia mox poſtea inteſtina inflammata eſſe conſpiciebantur, atque infans ſtercora euomens, admodũ debilis erat, nihil tentare voluimus. Cùm exſpiraſſet, atque abdomen aperiretur, inteſtina quæ exciderant, membranæ amnio quâ ambiebantur, adeò connexa inuenimus, vt nulla ratione ab eo auelli potuerint. An ne verò hoc ſitu in vtero

fœtu exiſtẽte & creſcente, inteſtina collocata ſemper fuerint, vel poſtea antequam naſceretur, prociderint, vel in partu, in dubium vocabatur. Ego procidiſſe diu antequam in lucem ederetur ex eo collegi, quòd dum eum mater vtero geſtabat, ob excrementorum duritiem, conatibus magnis abdomen premere coacta fuerit, & quòd amnios mẽbrana illi adnata fuerit. Potuiſſe autẽ fœtum dum vtero incluſus, calore matris foueretur, citra incommoda, hoc perferre, quæ poſtea, cùm à matre ſepararetur, ſuperuenerunt, eumque è medio ſuſtulerunt, cenſui.

Hernia cum colico dolore.

VIde in Ventris dolore Lib. I I. Colicus dolor in hernioſo.

Hernia in hydrope.

VIde in Extuberantia Lib. I I I. Hydropicus & & hernioſus. Bis.

Vteri procidentia.

VTerus poſt partum mulieri cuidam prociderat, & poſt mẽſes aliquot, illum reponere amplius nequibat. Inſpexi illam, prominebat palmum magnum, ceruix inuerſa, craſſa, albida, tranſuerſis rugis rubris notata, tumebat admodùm, nam vterum intra ſe continebat: cuius infimâ ſede prominebat orificium illius cruentum, tumidum, ſupra quòd, vterus in illius ceruice contentus, facilè tangebatur; cùm ille prodire è ſuâ ceruice & inuerti, vti ceruix, ſicut putatur, nullo modo poſsit. Implebat autem ſaccus ille propendens, circa exortum adeò pudendum, vt vrinarius meatus non poſſet conſpici.

In alijs.

ALiam quoque inſpiciens, eodem modo factam procidentiam illius, ſimiliter vidi. Niſi quod tam procul minimè prodiret, & preſsione facilè reponebatur.

Mulieres quoque, quæ hoc vitio laborant, cùm grauidæ ſunt, eo minimè laborare, nec tunc vterum ampliùs prodire, multoties cognoui.

Vteri prolapſus diu emanens.

MVlieri iuuenculæ, poſtquam maſculum pepererat, vterus inuerſa ceruice, vti ſolet, procidit, adeóq; ceruix illius intumuit, vt ouum ſtruthiocameli magnitudine adæquaret, vterusque in fundo maior conſueto, & durus tactu deprehendebatur, ob quã cauſam reponi nequibat, totumq; biennium ſic propendentem & tumentem ſaccum hunc, in lecto plerumque decumbens, habuit.

Cùm multa priùs fruſtra tentaſſet, tandem ab obſtatrice, apud quam decumbebat, à marito, qui illam faſtidiebat ſeparata, rogatus, vt operâ meâ ſubuenirem, ſuaſi vt inſeſsione vteretur paratâ ex decocto rad. Altheæ, Bryoniæ, Maluæ, ſem. Lini, fl. Chamomil. Meliloti, vt ſic per eam vterus ceruixque illius detumeſcerent. Verùm quia collum hinc inde exulceratum erat, eam ab initio ferre minimè potuit. Itaque prius vnguento Pompholygos loca vlcerata vngere iuſsi: Cuius vſu poſtquàm vlcera ſanata eſſent, inſeſsione per octiduum vſa eſt, vnde admodùm ſaccus ille detumuit, vt media ex parte iam minor eſſet, ſed dodrantem nihilominus oblongus & rubicans nonnihil.

Itaque obſtetrici dixi, vt poſtquam per diem vnum aut alterum balneo adhuc vſa fuiſſet, & pudendum in ambitu ceruicis propendentis, Butyro

recenti, vti & ceruicem ipsam totam aliquoties in-unxisset, vterum reponere tentaret.

Quo facto, cùm obstetrix sola non ausa esset, negotium aggredi, nec artem, eum reponendi nosset, accessi ad illam. Verùm cùm tunc temporis menstruis laboraret, nec liceret eam tractare, aut honestum fuisset, negotium distuli, hoc saltem, vnde menses ex sacco hoc prominente fluerent, quæritans? ad quod, eos ex ima illius sede, per rimam seu orificium vteri, quod patebat, rubicundumq; erat, promanare respondit, quod an verum esset, & an ex vteri fundo interno effluerent, an verò ex ceruicis inuersæ apparentibus illis venis emanaret, ex ea cognoscere non potui, cùm de eo certi nihil pronuntiaret, nec meum esset, vlteriùs hæc inquirere, aut intueri velle.

Absolutis mensibus denuò ad eam accedens, panno duplicato adhibito vteri sedi infimæ, manibus eum sursum pressi, eousque, vt replicatâ ceruice ferè intra corpus repressus sit: verùm cùm de dolore circa lumbos admodùm quereretur, remisi, & vt per biduum adhuc insessione & inunctione vteretur, monui.

Quo peracto, obstetricem instruxi, vt adhibitâ aliâ quadâ matronâ, quam Iuratâ vocant, petacium ex panno lineo aliquoties conuoluto, strictèq; colligato, infimæ vteri sedi appressum, trudendo in ceruicem sursum propelleret, eumque sic, vti lanij intestina, adhibito baculo, solent, inuerteret: quod cùm fecissent, vterus ad interiora propulsus, in ventrem repositus est, & cùm premendo instarent, reliqua ceruicis portio, quæ adhuc prominebat, inuersa quoque, in ventrem intrusa est. Postea ne rursum elaberentur, petacium crassum & breue, vteri externo orificio infixum, atque in ceruicem eousque adactum, vt orificium hoc rursùm formam naturalem,

turalem,

turalem, adipisceretur, nec adeò amplius dilatatũ, sed contractum appareret, & petacij tantùm portiuncula quædam, inde solùm propenderet, quam filo alligatam, vt si opus esset petacium, quod pilæ instar, quâ aliàs vti solent, vterum retinebat, denuò extrahi posset, retinere iussi.

Quarto die petacium sponte prodiens, ablatum fuit, remanente vtero, etsi sederet vel se erigeret. Quietá tamen esse, & fumũ à stercorê Bouino siccato, carbonibus imposito, excipere vtero, iussi.

Cùm post dies aliquot, eam inuiserem, ex orificio colli vteri, adhuc portionem illius prominere, vidi, nec satis ceruicem sursum attractam, & in dextra sede ventris, sub vmbilico vterum magis residere, eoq; se inclinare tactu deprehendi. Iussi Cucurbitulas indies transuersim in regione vmbilici apponere. Et decoctum Gallarum in Aqua ferrata factum, per syringá in vteri ceruicẽ inijcere. Suffumigationem ex stercore continuare. Et vt vterus retineretur, Pilam quam illis dedi ceream, in collum vteri imprimere. Verùm cùm orificium exterius adeò angustum esset, vt eam admittere minimè posset, Pessum ex panno complicato filoque arctè ligato eâ crassitie & longitudine, sicuti communiter fieri solent, intrusum, vt retineret, suasi, eumque in decocto Gallarum antequam inderet, madefaceret, indiesq; illud vti & fumum repeteret, & à motibus vehementioribus abstineret.

Cùm aliquamdiu hoc pessarium gestasset, ceruixque nonnihil, ob illius asperitatem molestaretur, iussi illud seponere, & Pilam ex complicato filo formatam, & in Cera liquefacta immersam obceratamque, eâ magnitudine quam admittere posset, intrudere, quod & successit, sicq: vterũ sine molestia, ne prolaberetur, diu retinuit, tandẽq; ad maritum reuersa grauidaq; facta, liberata fuit.

Vteri procidentia, corruptio & ablatio; mensibus postea per anum se repurgantibus.

MVlier quædam, procidentiâ vteri laborauit, & cùm erubesceret Medico alicui hoc patefacere, consilio mulieris cuiusdam, cineres quàm ferre potuit calidißimos, reposito priùs vtero, in pudendum, intrusit, & postea aquâ frigidâ partem abluit: quo facto, maximum dolorem persensit, totaque illa sedes intus forisque inflammata est: nihilominus persuasa, ab eadem medicâ muliere, idē repetijt, cineresque denuò indidit, vnde non solùm dolor auctus, sed & vterus paulatim procidere cœpit, atque insuper nigrescere, & cadaueroso odore supra modum fœtere. Hinc coacta, chirurgum accersiuit imperitum, qui cùm vterum propendentem manu prehenderet, statim adhærens veluti gluten manibus illius, citra aliam vim, à corpore auulsus est. Perterritus chirurgus, vt vulnus hoc sanaret, causticum tentæ appositum, in sinum colli vteri læsum, intrudere volens, ineptus, in vrinarium meatum intrusit, vnde cùm magnus ardor, & mictio frequens sequeretur, admonitus ab obstetrice astante, de errore, eam denuò extrahens, in sinum vteri adegit, pessi instar, tuncque ampliùs orificium vteri toto ambitu exulcerari cœpit, & post longam curam, exulcerationi debitam, cùm sanaretur, orificium seu introitus ille, penitùs coalescere, adeò vt nullus ampliùs pateret in interiora abdominis, vbi sedes fuerat vteri, introitus. Mensesque deinceps, cùm purgationis tempus instaret, non per sinum illum, sed vicinum anum stato tempore, colore conuenienti, effluerent. Suborto tamen dolore, & tumore aliquo in perinæi regione, sub

ne, sub qua vterus fuerat. Cõsilio Medici, cataplasma appofuit, & decoctum aliquamdiu bibit, quod vulnera interna sanare debebat, ex Agrimonia alijsque. Sanitati restituta diu postea adhuc vixit, non alijs vsa remedijs, quàm quòd cùm menstrua per podicem segniùs fluerent, venam iuxta malleolum quandoque aperiret. Huic casui, & si, cùm hęc agereatur, non interfuerim, tamẽ eò postea cùm peruenissem, ex illis qui hæc tractarunt, vti & ipsamet cognoui, notauique.

Oculi procidentia & tumor.

INfans in cunis ad me deferebatur, An. 1609. cui oculus ex sede sua seu orbita, prominebat, & veluti extra eam penitùs exertus apparebat, oui gallinæ maioris magnitudine, horrendum præbens aspectum: Pupilla admodùm erat dilatata.

Præscripsi illi sequens cataplasma, vt oculo applicaret tepidum: ℞. farinæ Fabarum scutellam j. sem. Fœniculi ℥. ß. fl. Chamom. P. j. puluerisatis hisce duobus, & farinæ, adde Lac, Mel & parũ Butyri recentis, calefiant & misceantur pro Cataplasmate.

Cùm vix octiduum applicasset, reuersa, dicebat oculum imminui & sensim subsidere: Iussi vt in vsu illius pergeret, quod, cùm renouato ter cataplasmate, per mensis spatium fecisset, in naturalem suam sedem & magnitudinem nullo vitio remanente, nec visus aliquâ læsione, rediјt.

IN SPERMATICA EXCRETIONE Obſeruationes.

Gonorrhœa.

QVidam adoleſcens, hypochondriorum dolore, & calore circa lumbos laborans, Gonorrhæam ſimul patiebatur, ſemine inuóluntariè ſine ſenſu, aquoſo, ſæpe fluente, idque ferè ſeptem annorum ſpatio, vnde admodùm conſumebatur, & auxilium petebat, cum quædam quibus vſus fuerat, ei non profuiſſent.

Iuſsi eum ab acribus, aromatizatis & ſalſis cibis, & Vino admodùm corpus inflammante, ſibi temperare.

Vt comederet frequẽter Oryzam coctam cum Lacte chalybeato, in cœna potiſsimùm.

Cùm conſuetum illi eſſet bibere Ceruiſiam, in ea Mentam quandoq; maceraret.

Pedes immergeret in aquam Fabrorum extinctionis ferri.

Renum regionem foueret interdum Aceto roſaceo.

Puluerem præſcripſi valde conuenientẽ in hoc caſu; Qui ℞. Glandium quercus exicc. in furno ʒ. vj. Sacchari roſ. tab. ℥. j. Maſtiches, Thuris an. ʒ. j. ſemin. Coriandri ʒ. j. ß. Succini ʒ. ß. Oculorum cancri ʒ. j. ſem. Viticis, fol. Mentæ an ℈. j. fiat puluis ſubtiliſsimus. Capiat ante ſomnum ʒ. j. cum Lacte vel Vino rubro ſtiptico.

Poſtquam continuaſſet horum vſum, viuidum rurſum habitum corporis & colorem, ceſſante hoc fluxu, adeptus eſt & conualuit.

Gonor-

Gonorrhœa in alio.

EX frequenti supra modum veneris vsu, quidam magni nominis Vir, eò redactus fuit, vt cùm postea sibi temperaret, pollutionibus tamen no-cturnis diurnisque diuexaretur, admodumq; debilitaretur.

Præscripto primùm decenti viuendi regimine, vt omnes venereas cogitationes, & conuersationem cum fœminis refugeret. A cibis multùm nutrientibus, vel aromatibus conditis abstineret: Imprimis Vinum ad tempus vitaret, vel diluto cum aqua Chalybeata vteretur, monui.

Dein vt de sequēti electuario manè ieiunus nucis moscatæ magnitudine sumeret: ℞. Confect. Arom. rof. ℥. j. sem. Viticis ʒ. j. ß. sem. Plantag. ʒ. j. fol. Mentæ ʒ. ß. fol. Rutæ ℈. j. Coralli rub. loti aqua Rof. ʒ. j. ß. rasuræ Eboris ʒ. j. cineris Priapi tauri ʒ. ß. cum syrupo de Limonibus q. s. fiat mixtura.

Superbibat, quando assumit, cochlearia duo Aquæ Plantag. & Portulacæ chalybeatæ.

Postquam cœnauit, de sequenti puluere sumat cochleare vnum: ℞. car. Cydoniorum cond. cū saccharo, ℥. j. ß. cort. Citri cond. ʒ. vj. Coralli rub. vsti & loti aqua rof. ʒ. j. ß. sp. Rosatæ nouel. ʒ. j. sem. Anisi ʒ. ij. sem. Coriandri præp. ʒ. iij. Rof. rub. ʒ. ß. Sachari q. s. fiat puluis.

Vngat futuram in perinæo, in introitu lecti, testes & inguina hoc linimēto: ℞. ol. Mastich. Myrtill. Cydon an. ℥. ij. Santali albi & rub. an. ʒ. j. Cāphoræ ʒ. ß. sem. Viticis ʒ. j ß. Rosm. Stœchados, Hyperici an. ʒ. ß. rad. Ireos ʒ. j. ß. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Si hæc non iuuarent, iussi Cauterium potentiale in vtraque tibia applicare, paulò infra poplitem, partibus internis, quod valde iuuare in casu hoc expofui.

Bracteam plumbi tenuissimam, sed latam, gestet supra renum regionem.

Affectum hunc postea cessasse, indicio fuit, quòd post menses aliquot, vxorem ducens, liberos procrearit, nec de eo amplius sit conquestus.

Seminis non per glandem sed aliud foramen excretio.

Vide in Mictione. Lib. III. Vrinæ per foramen præternaturale, &c.

IN SANGVINEA EXCRETIONE Obseruationes.

Menstruorum immoderatus fluxus, in ea quæ se grauidam putabat, cum dolore Vterino & metu Abortus.

Quædam Burgunda nobilis, annorũ 22. ante decem menses nupta, cùm menses statuto tẽpore habuisset, postea per tres menses illis caruit, ita vt se grauidã esse suspicaretur. Verùm mox inde magno cum fluxu prorũpentes, eam valde exinaniuerunt & debilitarunt. Qui tamen postea iterum per duos menses substiterunt, indeque rursum vehementi superueniente fluxu; eam summopere imbecillem reddiderunt, & dolores contorsiuos, circa vmbilici regionem se offerentes, pepererũt, qui etiam cessantibus mensibus, quotiescunq; se nonnihil exercebat, redierunt.

His ad me relatis, An. 1609. Maio mens. petierũt, vt huic intempestiuo & nimio fluori obuiam irem, & quæ conceptũ iuuare possent, eumq; ne, per abortum excideret, retineret, ordinarem.

Verùm

Verùm ego imprimis, vt hunc nimiũ & inordinatum fluxum compescerem, ante omnia, vt insessione sequéti vteretur, consiliũ dedi, in qua in dies, ad dies aliquot, per sesquihoram sederet. Quæ ex decocto rad. Bistortæ, Pentaphylli, fol. Quercus, Hederæ, Matric. & flor. Rof. & Chamæ. parabatur.

Vinum medicatum præscripsi, ex infuso Nodulo paratum, in quo puluis rad. Bistortæ, Tormentillæ, Acori palustris rad. Consolidæ, fol. Plantag. Rosarum rub. continebatur, vt de eo quandoq; in mensæ principio biberet.

Electuarium item sequens: ℞. rad. Bistortæ ʒ. ij. ossium Dactyl. nu. 4. se. Rof. Plantag. an. ʒ. j. ß. sem. Nasturtij ʒ. ß. Succini ʒ. j. fiat pul. tenuissus, cuius media pars cõmisceatur cum conf. Rof. carne Cyton. q. f. Capiat instar castaneæ, manè, alternis diebus, & de reliquo puluere si fluxus non cesset ʒ. j. cũ Vino rubro, manè, vel postmodum, vti dicetur.

In horum vsu pergat usq; ad tempus, quo menses ordinariè redire solent, & si nõ redeant, atq; ex tumore ventris & augmento mamillarũ, certũ sit eam grauidam, ne fœtus adauctus iam, & copiosiore nutrimẽto, quàm prius cũ exilis esset, indigens, ob penuriam illius marcescat, & per abortũ reijciatur, iussi illam sumere remanentiam pulueris supradicti, etiam ad fœtum cõfirmandũ vtilis, & cũ duabus partibus Sacchari rof. tab. miscere, sicq; per se, vel cum Vino rubro alternis diebus ʒ. j. vel ℈. ij. vsurpare.

Dein vt emplastrum hoc vnâ nocte sub vmbilico, alterâ in lumbis supra os sacrum applicet, quod ℞. emplastri de Mastiche & Matrice æquas partes, malaxatas cum oleo Myrtillorum.

Post annum, cùm quidã eò profectus, eam meo nomine salutaret, puerulum, quem pepererat, in vlnis gestantem, inuenit.

Menstruus fluxus immodicus, & dolor Capitis.

MVlier quædam quadragesimum superans annum, Anno 1598. immoderato profluuio sanguinis menstrui, per dies aliquot iam perseuerante, adeò erat debilitata, coloreqûr pallido, vt morti proxima esse iudicaretur. Accedebatque capitis dolor immensus, cui alioquin erat obnoxia.

Vocatus, 8. Sept. Cucurbiculas sine scarificatione scapulis adhibere iussi, moxque repetere: Vnam quoque maiorem vmbilici regione affigere.

Dein vt Zulapium, hoc tribus vicibus biberet, præscripsi, haustum vnum illicò, alterum ánte cœnam, tertium sequenti die sumendum, qui sic parabatur: ℞ syrupi de Portulaca ℥.j.ß. syrupi de Rosis rub. siccis & Myrtillorum an. ℥.j. syr. de Papau. ʒ vj aquæ Plantag. ℥.iij. aquæ Rosſ. ℥.j. misceantur.

Hisce sic factis, altero die fluor hic penitùs cessauit, qui prius nullis artibus astantium mulierum & obstetricum, sisti poterat.

Restabat capitis dolor, vigiliæ. Dedi itaque sub noctem, Diacodion meum tabul. ad ℈.j. dormiuitque & capitis dolor cessauit, moxque restaurata victus decenti ratione, conualuit.

Menstruus fluxus cum labore, in Sterilitate.

VIde in Cõceptus defectu. Lib. I. Sterilitas, menstruus fluxus. Bis.

Menstruorum per anum effluxus.

VIde in Partium procidẽtia Lib. III. Vteri procidentia, corruptio, &c.

Hæmorrhagia poſt amputatas manus, quo pacto ſubitò ſedata fuerit.

FAmulus Canonici Monſpeſſuli, cùm illic eſſem An. 1554 qui hunc ſuum herum noctu ad ignẽ ſedentem, & perdicem aſſantem, titione percuſſum, & cadentem cultro iugularat & ſpoliarat, omne aurum ſuum quod 200. erat coronatorum ſecum portare ſolitum, ac poſt annum demùm deprehenſus, ſupplicio adiudicatus, cùm antequam in quatuor partes diuideretur, manum vtramq; in platea in qua ędes ſitę erát, vbi ſcel9 hoc cõmiſerat, illi carnifex amputaſſet, ne ex larga hæmorrhagia moreretur, ſed viuus in locũ ſupplicij duct9, illic in quatuor partes diſſecaretur, & proin ſanguinis ille vehemens fluxus impediretur, hac ratione à ſubitanea morte præſeruatus fuit. Carnificis vxor, in cuius ſinu latro curru vectus ſedebat, gallum gallinaceum, viuum, interea cultro à podice verſus illius ſternum ſcindendo, aperiebat & brachium mutilatum, ſtatim poſt ictum, in hanc aperturam intrudebat, poſtea fune circumductâ, alis complicatis arctè ligabat, ſicque ſanguis in altum ſaliens, repreſſus fuit, adeò, vt nihil inde, ſicuti diligenter obſeruaui, poſtea effluxerit, & vltra horam, donec interemptus fuit, nõ debilior factus ex mutilatione vixerit.

Idem remedium in digito præmorſo.

CÙm equus Commendatori cuidam mordicùs digitum abſtuliſſet, ſanguiniſq; fluor, multis fruſtra tentatis, non ſiſteretur, iuſſi, vocatus, eum in pulli gallinacei vulnus, recenter iuxta podicem ſectum, intrudere, & ſic quamdiu caleret retinere, fluorq; ſtatim ſubſtitit.

Sanguinis effluxus ex lingua admorsa, cohibitus.

NObilis quidam, cùm in paroxyſmo epileptico, linguam, illic vbi venę maiores ſub ea nigricare videntur, mordicùs læſiſſet, tanta hæmorrhagia ſubſecuta eſt, vt nulla ratione ſiſti potuerit, & vires, quæ iam priùs ob morbũ grauem deficere incipiebant, tandẽ omnino eſſent labefactatæ, morsque inſtaret. Vocatus chirurgus inſignis, ſocer meus, me iuuenem adhuc medicum, ſecum ducebat, cui remediũ, quod Monſpeſſuli in hæmorrhagia ſiſtenda profuiſſe videram, atq; extremum eſſe exiſtimans, communicabam, quod & ſtatim ſic adhibuit. Pilulam formabat ex lana, eamq́ue in aqua Forti, aurifabrorum intinctam, ſtylo in vulnus & venam illic apertam, penitiùs intruſerat, & paulò poſt, ſanguinis effluxus, qui per biduum durarat, ſubſtitit, omnibus admirantibus, tam ſubitaneum ſucceſſum.

Sanguinis fluxus poſt extractum dentem lethalis.

EX defluxione, faber ferrarius quidam An. 1559. laborabat dentium dolore, atque ſimul capitis, & quia dens cauus erat caninus, eum ſibi extrahi curauit, vnde ſanguis erumpens, compeſci minimè potuit, etſi omnia tentarentur remedia, cum ſaltu quodam exiliebat, ſubtilis, ruber & feruidus, vnde arteriolam lęſam exiſtimabam. Nec deſijt per triduum effluere, donec expiraret, quod an ob largum hunc fluorem factum ſit, an cephalalgiam, cùm parum ante obitum deliraret, dubitabatur.

Sanguinis effluxus ex vena cutanea sponte se aperiente.

Equis hoc consuetum est, vt, presertim æstu feruente, cùm validius aut diutiùs equitando incitantur, vena aliqua cutanea, in collo ipsorum frequentiùs, nec non & alibi, se aperiens, sanguinem profundat, quod spontaneam vulgus equorum phlebotomiam appellat. In hominibus verò hoc rarum. Vidi tamen, nobili cuidam, qui aliquoties venam iuxta pedis malleolū secari curauerat, hoc accidisse, vt eâ sponte post iterū apertâ inter equitandum, ipso inscio, ocrea aliquousq; sanguine impleta fuerit: quod cùm bis terúe ipsi contigisset, tum ocreato equitanti, tum in lecto dormienti, ac totum lectum sanguine sic cōspurcanti, vt incommodo huic occurreret, semper secum fasciam & bombacem, ad venam stringendam, fluxumq; superuenientem compescēdum habebat. Cùm venas illas mihi ostenderet, vidi eas quasi varicosas & admodùm dilatatas, vti hæ quandoq; cùm sæpe sectę sunt, naturâ sanguinem eò deriuante, magis turgidæ ampleq; cernuntur, & suo tempore sanguine exitum quærente, pruritum excitantes eo in loco, vti & hic nobilis sibi accidere, & præludium hoc esse, secuturæ eo in loco mox hæmorrhagiæ, mihi narrrbat.

Sanguinis ex auribus, naribus & oculis effluxus, cum Mictione sanguinis grumosi & puris.

Vide in Mictione. Lib. III. Mictus sanguinis concreti & puris, &c.

In purulenta Excretione Obseruationes.

Purulentæ & mucosæ materiei è pene citra sensum effluxus.



Onquestus est quidam Dominus, huc adueniens An. 1613. quòd iam à decem mensibus, fluorem passus sit materiei albæ, nunc tenuis, nunc mucosæ, citrinæ, è virga, dies noctesque emanante, atque indusium commaculante, eúmque sine ardore mictionis, alióve doloris sensu, aut accidentibus comitibus, qui fluxus post purgationes & sudores sæpè repetitos, & diętam, aliáve remedia, quibus iam septem mensium spatio vsus sit, remissior fiat atque imminuatur; sed mox iterum redeat, augeaturq́;.

Plerique feminis hunc effluxũ, & gonorrhœam virulentam esse existimarunt, eamque non simplicem, sed à lue venerea procedentem. Alij ab vlcere circa parastatas hoc prodijsse. Ego seminis nec puri, nec crudi aut corrupti, fluxum hunc esse inde conieci: Quòd frequens & copiosus fuerit, nec tamen ab eo debilitatus, quod factum foret, si semen fuisset, cuius tãta copia generari nequiuit, & quòd sine sensu voluptatis alicuius processerit. Sed potiùs vlcus sordidum, in penis ductu communi, vrinam & semen deferente, genitum, atque ab eo cõtinuò eiusmodi purulentam materiam, quæ cruda nec acris fuit, vnde nulla irritatio, profluxisse, quod & quia coalescere nequiuit in illis angustijs, & loco humido, adeò fuit diuturnum. Cuius rei argumenta, vti multa fuerunt, sic & illud, quòd dum virgæ hunc ductum presſit, pus mox exstillauerit.

Alue Venerea hoc profectum minimè existimare,

mare me dixi, cùm nulla penitùs illius luis, vel in capillorum defluuio, maculis, pustulis, dolorib. circa ossa, capitis, aut vlceribus, indicia comparuerint. Sed alioqui, ab impuro congressu contractam penis internam exulcerationem, quales & sine hac lue adeò sunt frequentes, & antequam hæc lues ad nos peruenisset, consuetæ fuerunt.

Quòd curam attinet, docui, difficulter hanc procedere, & diu sæpè protrahi, & nisi obuiam eatur, in fistulosa vlcera & hypersarcosin, interdum hæc conuerti.

Eam verò per interiora & exteriora sic instituendam: Adhibito decenti regimine in victu moderato, in quo salsa & acria vitanda, Hordeũ, Oryza sæpè comesta prosunt. Bibat per mensis spatium, pro potu ordinario in mensa Decoctum sequens: ℞. ligni Guaiaci rasi ℔. ß. rad. Chinæ ℥.ij. ligni Salsafras ℥.j. rad. Iridis ʒ.vj. Enulę ʒ.ij. rad. Cons. maior. ℥. ß. cort. Peponum sicc. ℥.j. Ros. rubr. flor. Cord. an. P. j. conquassentur & incidantur, diuidantur, in tres æquales partes, decoquatur vna in aquæ mensuris 7. ad consumptionem mediam; Bibat de hoc decocto colato, in prandio & cœna, non tamen penitùs à vino abstinendo. Atq; vno decocto absumpto, ex alijs portionibus parentur alia, continuando sic aliquandiu. Et si noctu sudor aliquis erumpat, huic operam det.

Ad sanationem huius exulcerationis, vtatur etiam hoc decocto: ℞. ligni Guaiaci lib. j. rad. Consol. ℥.ij. rad. Chinæ ℥.j. rad. Fœniculi ℥.j.ß. rad. Bistortæ, Aristoloch. rot. an. ℥. ß. herbarum aridarum Plantag. Agrimoniæ, Betonicæ, Herniariæ, Equiseti an. ʒ.ij. cortic. Peponum sicc. ʒ.vj. sem. Perfoliatæ, Coriandri an. ʒ.iij. Alkekengi ʒ.j. Incidantur & tundantur, quarta pars decoquatur in mensur. ij. Vini rubri, addendo aquæ Plantagin. Poc. j. donec

mensura vna supersit. Bibat manè chyatum vnum huius Vini ad ℥.v.vel vj. ieiunus, sic pergendo per mensis spatium, & nouum recoquendo, vbi priùs vinum absumptum fuerit.

Alternis diebus sumat de puluere sequenti ʒ.j. noctu cubitum iturus cum Vino: ℞. trohisc. de Succino, Alkekengi sine opio an. ʒ.ij. puluer. Equiseti, seminis Hyperici, Coralli rubr. an. ʒ.j. Sacchari Rof. tabul. ℥.iij. fiat puluis, adde Glandium torrefactarum ʒ.ij.

Interea sequentibus vtatur iniectionibus, primùm abstergente, sic parata: ℞. Seri lactis caprini, & decocti Hordei integri cum cortic. Fabarum an. Poc.j. Mellis, cochl.j. Terebinth. dissolutæ in vitello Oui, instar auellanę: Inijciantur per syringem in canalem virgæ, manè & vesperi.

Post octiduum, aut cùm pus minori copiâ redditur sequens paretur iniectio: ℞. Lac ouillum chalybeatum, adde Trochisc. alborum Rhazis pro poculo vno ʒ.ij. dissolue diligenter, adde infusion. gummi Tragach. factam in aqua Plantagin. parùm, fiat infusio bis in die.

Si perseueràret malum, vtatur tabulis meis in vlceratione renum & vesicæ, in opere practico descriptis, continuando. Atque Thuris & Mastiches carbonibus vnà cum Succino impositorum, fumum per syringem lato initio, ad eam rem parato, in virgam aliquoties immittat.

Si adeò sinuosum esset vlcus, & iuxta podicē in perinęo sibi sinum effecisset, in quo pus contineretur, vti sæpè hoc fieri vidi, sectione obiter hic locus, donec pus efflueret, aperiri posset, tuncq; inditis locus abstergi, quo facto, vlcereque sanato, vulnus per se facilè rursum concrescit: sic post lithotomiam hæc sine labore, citra futuram, aut alia adhibita sponte iterum facilè coalescunt.

Puris

Puris è pene effluxus, Vlcusq́; illius internum externumq́;.

FLuebat è pene, rustico cuidam mediæ ætatis pus, atq; extrinsecùs præputium quoque exulceratum erat; ardoreq́; vrinæ vexabatur & dolore extrinsecùs idque ab impuro coitu.

Præscripsi An. 1592. Maio mense, vt Tabul. meis pro exulceratione vlcerum renũ & vesicę vteretur, cũ Lacte caprino: quib. cùm aliquandiu vsus esset, cœpit meliùs habere; Postea iussi bibere puluerem Glandium & rad. consolidæ, cum Lacte.

Postremò ordinaui etiam hoc decoctum: ℞. rad. Liquir. ℥. ij. rad. Altheę, Consolidæ, Bistortę, Petros. an. ℥. j herb. Plantag. Alchimillæ, fl. Maluæ sicc: an. ʒ. iij. sem. Lini, Citon. an. ad ʒ. ij. Glandium ℥. j. nucl. Persic. ℥. ß. conquassentur, decoq. portionem huius mixturę cum Lacte caprino, (ne si omnia simul coquátur, lac corrumpatur:) Et bibat singulis matutinis: rursum nouam decoquẽdo priori absumptâ.

Vlceri verò applicauit hoc emplastrum: ℞ Cadmiæ foss. Lithargyrij, Tuthię an. ʒ. j. Sulphuris ʒ. ß. Ærug. æris ℈. j. excipiantur pauco ol. Ros. additâ Laticeâ fiat emplastrum.

Sic fuit sanatus.

Similis affectus in alio.

EX pene pus cuidam rustico sine mictione emanans, indusium commaculabat. Ardor in fine mictionis immensus, ex quibus Penis vlcus internum esse cognoui. Quod & foris præputrum occuparat. Ex impuro congressu hoc illi contigerat.

Dedi illi ab initio An. 1592. troch. Alkekẽgi sine opio, vt ʒ. j. continuatis diebus cum Lacte biberet.

Post dies 14. reuerso, cùm nondum cessarent, hoc decoctum ordinaui: ℞. rad. Petosel. ℥. j. Altheæ

℥.j.ß. Liquiritiæ, Consolidæ an.℥.ij. Bistortæ ℥. ß. herb.Plantag.Alchimillæ an. M.j.flor.Maluæ arbores.P.j.seminum Lini, Cydon.an.ʒ.ij.Glandium ℥.j. nucl. Persicorum ℥.j.ß. decoquátur in Vini mens.j. (rectiùs enim sic ad vesicam penetrat vis medicamenti.) Bibat noctu cubitum iturus, præcedenti leui cœnâ.

Manè bibat Lac caprinum vel ouillum, comedat Oryzam, Hordeum.

Vlceri in glande adhibeatur hoc vnguentum; ℞. Cadmiæ fossilis ʒ.j.ß. Sulphuris, Argenti viui an.ʒ.j. cum Terebint. ducátur in formam vnguenti, addendo parùm axungiæ Porci. Et sic restitutus fuit.

Puris è pene sine & cum vrina effluxus.

VIde in Purulenta excretione. Lib. III. Puris cum vrina & sine ea &c. Bis.

Puris è ceruice vteri effluxus.

VIde in Genitalium dolore. Lib. II. Vteri & vesicæ ceruicis vlcera. Bis.

Puris per anum excretio atq; vlcus in clunibus.

VIde in Mictione. Lib. III. Puris cum vrina & postea illius &c.

Puris ex oculo excretio.

VIde in Oculorum dolore. Lib. II. Oculi purulenti & lachrymantes.

Empyema cum Phtisi.

VIde in Consumptione. Lib. III. Phtisis à corruptis penitus &c.

Pus thoracem & abdomen implens cum Phtisi.

VIde in Consumptione Lib. III. Phtisis à pulmone vulnerato &c.

Puris è vulnere pectoris effluxus in Phtisi.

VIde in Consumptione. Lib. III. Phtisis à corruptis pulmonibus &c.

IN AQVOSA EXCRETIONE Obseruationes.

Vterinus fluor, seu Menstrua alba.



PLerunque eo tempore, quo menstrua sanguinis purgatio desinit, fluor vterinus muliebris, in illis quæ huic malo obnoxiæ sunt, succedere solet, Ob quam causam alba vocarũt menstrua. Hoc fluore mulier quædam, Anno 1559. mediæ ætatis laborans diuturno & copioso, sitibunda, pallida, quæ sæpè priùs pepererat, sic curata est: ℞. pill. Assaiereth. Fœtid. ana ℈.j. cum suc. Arthemis. fiant pill. quinque.

℞. pulu. Aromat. rosſ. ʒ.j. ras. Eboris, Cornu cerui an. ℈.j. cort. Citri sicci. Diamarg. cal. an. ʒ. ß. Galang. Cyperi an. ℈.j. cineris Spongiæ combustæ, & lotæ aquâ pecul. Rosſ. ʒ. ß. Sacchar. ℥.j. fiat puluis; Capiat cochl. j. manè ante ingressum balnei.

Balneum tale ordinaui: ℞. rad. Bistort. Lapath. an. ℔. j. Gallar. Malicorij an. M. ij. flor. Cham. Melil. Rosſ. herb. Absynt. an. M. j. Alum. ℥. ij. Salis ℥. j. Tartari P. j. fiat decoct. pro insessione in balneo. Vtatur indies horâ vnâ: dorsum vertendo ad fornacem, in hypocausto calido. Fuit pulchrè sanata.

Vterinus fluor alius.

SEx mensium spatio, menses mulieri cuidam Anno 1565 non fluxerant, tumor ventris aderat, lassitudo corporis. Prescripsi balneum, & inunctionem; & cùm non succederet, pessos tres tribus noctibus supposui, fluxitque magna serosi humoris copia ex vtero, vt totum lectum commodefaceret, & subsedit tumor ventris, mensesque redierunt. Quibus pessis ego etiam postea in fluore vterino alio vsus sum, ad expurgationem illuuiei, quorum hæc est descriptio: ℞. Fellis vaccæ ℥.j. radic. Azari, Agar. Cinamom. an. ʒ.j. suc. Mercurialis ℥.j. coq. cum Melle pauco reliquisq; permistis, fiat instâr vnguenti, ad sacculos implendos.

Menstrua alba cum Vterinis doloribus.

VIde in Ventris dolore. Lib. 11. Vterinus dolor cum menstruis &c.

Fluxus albus muliebris, in sterilitate.

VIde in Cōceptus defectu. Lib. 1. Sterilitas menstruorum difficultas &c.

Lachrymæ in Oculorum & Palpebrarum affectu.

VIde Oculorum dolor &c. Oculorū tumor &c. Oculi purulenti &c. Palpebrarum rubedo &c. Fistula lachrymalis &c.

Catharrus in Febre continua, Ardente, Synocho.

VIde in Febribus Lib. 11. Ter. Febris continua &c. ardens, synochos &c.

Aqua copiosa, magna quantitate ex aure emanans.

PVellæ cuidam annos natæ tredecim, cùm aliquandiu copiosè minxisset, vrina subitò, suppressa est, atq; tunc aqua serosa ex aure dextra adeò affatim cœpit effluere, vt vna vice mensuræ duæ, sæpè emanarint, idque dies aliquot. Huic Medicus quidam diuretica exhibuit, atque simul etiam Terebinthinam, post cuius vsum, plusquam quaterdecies minxit, sed subitò iterum vrina restricta aquaque illa ex aure denuò fluere cœpit, & per interualla pocula duo & tria implere, adeò vt spatio 24. horarum, mensuras aliquot excreuerit. Aqua hæc erat clara, insipida & inodora. Puella interea benè habita, de nullo alio affectu conquerebatur. Cùm capiti applicarent Oxyrhodona, ad reuulsionem, & Lotiones fierent pedum, rursumque Terebinthinam sumpsisset, denuò vrinam reddidit, primùm magnâ copiâ, remittente aurium hoc fluxu, postmodum verò naturaliter nec quicquam inde mali passa est, nec ampliùs in lectum, vti priùs sæpè fecerat, minxit. Hoc etsi factum, antequam ad eam venissem, tamen hoc accidisse pro certo aduenìens, cognoui.

Aquæ ex Scroto, Pedibus, Vmbilico effluxus, in hydrope.

VIde in Extuberantia Lib. III. In Hydrope ascite &c. Bis.

Sudores immodici.

CVm sudoribus immodicis illustris quædam Domina, iam multis mensib. post vsum aqua-

rum acidarum afficeretur. Ad me Nanceum, vbi tunc An. 1601. eram consilij causa venit. Ex qua cum intellexissem illam ob sudores illos non peius habere, aut corpus attenuari, nullo modo eos reprimendos consului, sed causam potiùs auferendam, quâ sublatâ sponte cessaturi essent.

Ad auferendam causam, quæ à copia humoris serosi proficiscitur, vt illius origo impediatur, illaq; per aluum vel vrinas deriuetur, & per sudores, quo natura vergit, penitùs exhauriatur.

Primùm victus ratione tenui & simplici, sudoriferorum & diureticorum vsu, medicamentisque exhibitis, fieri debere consului: Et hoc decoctum, vt sudoris copiosi illius collectio auferatur, præscripsi, quod & cum diureticum sit, si sic operetur, meliùs proderit: ℞. rad. Zarsæ parill. ℥.j.ß. radic. Chinæ, rad. Fœnicul. & ligni Salsafras, quod odorem habet Fœnic. & efficaciam, & per vrinas quoque mouet an. ℥.j. decoq. secund. aut in aq. ℔. 12. vt remanerent ℔. iij. colentur, & seruetur.

Aliud ex remanentia decocti, additis 20. ℔. aq. decoquendo ad consumpt. tertiæ partis, fiat decoctum pro potu ordinario, Saccharo dulcorari potest ad placitum.

Primùm decoctum bibat manè ad ℥. iiij. v. vel vj. sudet per mensem, vel donec sudores desinere incipiant, & non nisi coacti calore prodeant.

Secundum loco Vini in prandio bibat, non penitùs enim Vini vsum interdixi propter vrinas.

Dein vt frequẽter biberet, hoc decoctum ante cœnam ad vrinas mouendas: ℞. Cicerum rubr. P. j. rad. Aspar. ℥. j. iiij. semin. Frigid. Maioran. ʒ. ij. decoquantur in Iure carnis, addito pauco Butyro: Bibat tepide.

Interea corroborabitur remedijs decentibus.

IN

IN EXPVITIONE Obseruationes.

Expuitio sanguinea ex compressione thoracis.



Vuencula quædam mulier, infantem lactans, cùm nuptijs quibusdam interesset, Anno 1604. atque aliquoties choreas duxisset, domum properantem, amplexus quidam nuptialiũ, eam retinere cupiens, ab eo brachijs circa pectus compressa, statim malè habere cœpit, domumq; ægrè reuersa, decubuit, febreque correpta, tussiuit, & sputum cruore tinctum expuit, quintoque die post, delirio superueniente, exspirauit.

Expuitio sanguinis, ex percussione, atque ictu calcibus equi in pectus facto.

RVsticum eques quidam ebrius in campo adortus, An. 1609. in thorace sclopeto percussit, & in terram deiectum, equo calcauit, vnde dolorem protinus in latere sentiens, sanguinemq; excreans, post septimanas aliquot expirauit.

Iudice criminali Medicorum iudicium, an ab hac vi illata mortuus sit, inquirenti, corpore aperto internisque diligenter inspectis atq; examinatis, talis ab illis sententia lata est.

Cùm priùs ante hunc casum, minimè ægrotarit, sed tunc primùm cùm læsus fuit, dolorem vehementem & perseuerantem in illo latere senserit, sanguinemque expuerit, atque post apertionem pectoris intrinsecùs contusionis signa eo in loco

apparuerint, sine dubio, percussionem illam atque ictum ex calce equi, mortis causam fuisse. An verò quòd tardiùs curam adhibuerit, aut eâ perperam administratâ aliquid neglectum fuerit, sicque occasio morti sit data, cùm nihil de eo certi constet, aliquid indubitanter hîc pronuntiari non posse.

Sanguinis expuitio post congressum.

Quædam annos circiter viginti vidua, quadragesimo nono anno ætatis, Anno Christi 1608. nupsit cuidam Heluetio chiliarchæ strenuo, viduo annorum supra quinquaginta.

Prima nocte concubitus, cùm præcedenti saltem die menses, quæ adhuc ea ætate illi ordinariè fluebant, superuenissent, maritusque ebrius eam vehementer exercuisset, manè sanguinem purum expuit, cœperuntque menses minui, sequenti nocte denuò eam aggressus, cùm rursum manè sanguinem excrearet, biduum postea, ab ea abstinuit; sed dein cùm abitum pararet, mediâ nocte, rursum se illi commiscens, causam, vt iterum matutino tempore sanguinem, non tamen magnâ copiâ spueret, præbuit. Quod etiam sequenti biduo, menstruis iam præteritis, manè perseuerauit, præcedente semper hanc expuitionem stertore quodam, in pectore, illiusque angustiâ, mox post coitionem superueniente, maxime si in latus dextrum iaceret.

Redux factus maritus, qui spatio quatuor septimanarum & dierum trium abfuerat, denuò eam compressit, statim post actum stertor eam inuasit, & angustia tanta pectoris cum tussicula, vt erecta sedens, spiritum ducere cogeretur, atque morientis instar, tam diu, donec se rursum recolligeret, stertere, manè sanguinem expuens. Quæ accidentia, quotiescunque ei faciebat maritus, semper

ſemper patiebatur, quieſcente verò illo ab actu, minimè ſuperueniebant.

Quo tempore intermedio, licet menſium tempus inſtaret; illi tamen minimè fluebant, ſed ſuppreſsi erant, adeò vt dubium de conceptione eſſet ſubortū, vel quòd maximè metuebatur, ob actum illum venereum, tempore menſtruo, ab initio tentatum, menſes fortè ſubſtitiſſe, fluxumque illum ſanguinis penitùs ad ſuperiora fuiſſe conuerſum; vnde timendum ne pulmones ſint affecti, vel ſanguis concretus, in illis putreſcat.

Hiſce ad me tranſcriptis, reſpondi, quòd ſanguis ad pulmones potiùs quàm inferiora regurgitaſſet, cauſam eſſe poſſe; quod cùm annos ætatis, quibus menſtrua fluere ſolent, iam ſuperaſſet, fluxus ille menſtruus non ampliùs naturalis, ſed præternaturalis fuerit; & quia vaſa ſeminaria, vteruſque ob coitum, tot annos intermiſſum, & proia inſuetum, commota nimiùm fuerint, ideò naturalem non ſolùm per hæc loca, ſed & ex vena caua in pulmones in hac nimiâ commotione, ſanguinem effudiſſe.

Proſpiciendum proin, ne hanc hæmoptoicam paſsionem vlcus pulmonum, & tabes ſequantur. Ordinaui ergò ſequentia: ℞. Rhabarbari ℈ iiij infunde in aqua Plantagin. adde ſyr. Roſ. ſolut. ſimpl. ℥.j. ß. Fiat hauſtus.

Item: ℞. ſucci Portulac. ℥.iij. ſucci Plantag. Burſæ paſtor. an. ℥.ij. ſucci Roſ. ℥.j. aquæ Roſ. Plantag. q.ſ. Sacchari quart.j.ß. coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi: Vtatur.

Item: ℞. conſeru. Roſar. Carnium cydonior. ſaccharo condi. an. ℥.j.ß. conſer. radic. Conſolid. ℥.j. trochiſc. Alkekengi ʒ.j. cum ſyrupi Myrtil. fiat conditum.

Duobus menſibus exactis, quibus hiſce vſa, me-

liùs habebat, in Aprili mense, de alijs affectibus, quibus infestabatur, ad me scripsit, quos à calculo renum proficisci, ob diu intermissum Veneris exercitium, nunc commoto, seque manifestante, iudicaui, consiliumque pro hoc accidente, quod in Mictione sanguinolenta descriptum, transmisi.

Hæmoptoica passio in Vertigine.

Virgo quædam 40. annorum, à sex circiter annis valetudinaria, 10. Martij Anni 1604. dolorem humeri vtriusque grauantem & ponderosum sentiens, sanguinisque exiguum cum pituita expuens, catarrhi imminentis signa esse autumabat: & quoniam priùs etiam sæpiùs id senserat, neglexit. Sequenti die 11. Martij, adhuc domo egressa, sputum sanguine tinctum, sine aliquo maiori incommodo, reiecit.

Die 12. Martij, absque tussi, frequenter sanguinolenta exscreans, defluxioni totum id attribuit; nec maius periculum animo prospiciens, post cœnam altiori voce legendo, defluxionem mouit, adeò potenter, vt etiam ob raucedinem inde secutam, à lectione desistere coacta fuerit. Circa primam noctis horam, à somno excitata, tussiuit, ac copiosiùs quàm priùs exspuit, lateri dextro verò rursum incumbés, secundâ noctis horâ, ob maximâ copiâ in os & asperam arteriam affluentem sanguinem, denuò fuit expergefacta, de suffocatione repentina periclitabatur, tussi & vomitu quasi, copiosissimum sanguinem exscreauit, existimans, nil aliud, quàm defluxionem salsi humoris esse, lumine verò allato, sanguinem deprehendit: ob metum & propter subitaneam mutationem, in lipothymiam incidit, ideoque aquâ Cinamomi, quæ ad manum erat, paulisper refecta,

horro,

horrore in toto corpore, maximè pedibus & genubus, vti in eiusmodi reiectionibus euenire solet, prehensa, summè fuit debilitata, ac vncijs circiter octo vel decem sanguinis tussi profusis, lipothymia remisit, nihilominus ad diluculum vsque, cum pituita sanguinem exscreans, calore naturali vehementiori fuit molestatá. Accedens summo manè, ex relatis & reiectis, venam pulmonum referatam à fluxione fortè falsâ, quam referebat in ore se sensisse, vel ob plethorá, è qua tanta sanguinis copia prodierit, cognoui.

Quapropter præscripsi ei puluerem sequentem, de quo cum brodio statim cochlear. j. & postmodum cum syrupis portiunculam sumat: Puluis; ℞. Sacchari rosat. tabul. ʒ. ij. Coralli rubri ʒ. ß. Succini, semin. Hyosquyami an. ℈. j. Misce. Fiat puluis tenuissimus.

Item ℞. syrupi de Iuiubis & Myrtillis an. ℥. j. ß. Circa octauam matutinam, me præsente, dum lateri dextro incumbere conabatur, (quod & priùs nocte ei accidebat) sanguinis copiosa profusio, cum tussi, vomitu, horrore, & virium prostratione, eodem planè modo redijt, repræsentabat sanguinem è pulmonibus elapsum, spumosum & rubicundum, vnciarum circà quinque. Postmodum sine tussi exspuebat cruenta, sedem deiecit naturalem. In prandio nihil fermè comedit, circa tertiam exhibui ei iulepum ex syrupis præscriptis cum aquæ Plantaginis & Portulacæ an. q. s. Vesperi horâ quartâ redijt paroxysmus, sicuti priùs. Post cœnam sumpsit Iulepum ex Syrupo de Plantagine, cum aqua Plantaginis, Rosarum parùm & Portulacæ. Gargarisauit priùs os Aceto rosaceo & Aquâ purâ, sicuti & postmodùm frequenter. Loco potus bibit lac Amygdalinum.

Post mediam noctem, horâ secundâ eodem

modo, redijt expuitio, cum tuſsi & conatu vomendi, dixit ſe ſentire ſemper ardorem in gutture præcedere, ſubſequente ſtatim copioſo ſanguine ſalſo, illabente etiam in aſperam arteriam, vnde tuſsis irritamentum, & quoniã fortè inter dormiendum in ſtomachum aliquid illapſum fuit, vel è liene quid tranſiuit, vomitus acceſsit. Sumpſit de puluere 13. Martij præſcripto, ſed nihilominus horis duabus elapſis, quartâ videlicet, redijt cruenta illa exſpuitio, cum horrore & virium proſtratione.

Die 14. Martij, vrina erat tincta, manè ebibit potiunculam ex Syrupi de Plantagine, de Portulaca ana ℥. ß. ſyrupi Myrtillorum ʒ. iij. terræ Lemniæ veræ ʒ. j. aquæ Plantagin. Burſæ paſtoris ana. q. ſ. Poſtea iecori adhibita fuit cucurbita magna, vitrea ſine ſcarificatione, bis reiterata. Dein ſedem deiecit duram paruâ quantitate. Tota die pituitam ſanguine tinctam exſpuit, & veſperi, ſumpto Iulepo ex ſyrupi de Plantagin. de Portulaca, Myrtillorum an. ℥. ß. aqu. Plantagin. & Portulacæ an. q. ſ. paulò altiori voce loquendo, paroxyſmum ita promouit, vt rurſum ad vnc. circiter quatuor, pituitæ ſanguinolentæ, cum tuſsi & horrore exſcrearit, ſine tamen iulepo reiecto.

Ante ſomnum reiterata fuit, in iecoris regione Cucurbita magna, per quadrantem horæ, poſtea bibit potionem ex ſyrupo de Plantagin. Portulac. an. ʒ. ij. Terræ lemniæ veræ ʒ. j. ſyr. de Papau. ʒ. j. ß. Aq. Plantag. Portulac. an. q. ſ. Ea nocte feliciter ſatis dormiuit, nec exſpuitio illa copioſa redijt, ſed grumi ſaltem cum pituita nigri, fuerunt per vices reiecti, mirè medicamentum prædicabat.

Die 15. Martij, manè bibit cochlear. j. pulueris 13. Martij, præſcripti, cum ſyrupis de Plantagine, Portulaca & aquis Plantaginis atque Portulacæ

Reſte.

Reiterata fuit Cucurbita ſine ſcarificatione in regione hepatis. Interdiu ſemper nigros grumos cum muco exſcreauit, non tamen magna quantitate. A prandio horâ tertiâ iterum Iulepum ex ſyrupis & aquis præſcriptis hauſit. Ante ſomnum ſumpſit ſyrupi de Plantagin. de Portulaca an. ℥.ß. ſyrupi de Papauer.ʒ.ij.cum aqua Plantagin. & Portulacæ, Totâ ferè nocte quieuit, nec paroxyſmus rediit.

Die 16. Martij, vt grumi ſanguinis è corpore expurgarentur, & diſſoluerentur, præſcripſi potionem, quæ ℞. Rhabarbari ſubtiliſsimè pulueriſati ʒ.ß. ſyrupi Roſarum ſolutiu. cum infuſ. Rhabarbari & Mannæ ſéleƈt. an. ʒ.vj. cum aqua Plantaginis fiat Potio parua, addendo aquæ Cinamomi ʒ.ij. Et quia nimis erat ſpiſſa, diluimus aquâ Plantaginis & Portulacæ, tepidamq́; exhibuimus. Calorem & ſudorem quaſi inde percepit, nec vomitum ei mouit.

Ter eâ die copiosè deiecit, materiam pituitoſam ſine ſanguine tamen. Sitis quoq; eâ die præter ſolitum infeſtabat. Veſperi parùm adhuc ſanguinis,cum pituita exſcreauit. Noƈtem ſponte ſenſit ſatis tranquillam, nondum tamen ſupra latus dextrum affeƈtum ſcilicet (cui in pulmonum venis reſeratis incumbere non tutum) quieſcere audebat.

Die 17. Martij, vt ſanguis, ſi quis in pulmonibus remanſiſſet, faciliùs exſcreari poſſet, præſcriptum fuit Looch. ℞. ſyrupi de Portulaca ℥. j. de Plantagine ℥.ß. tabularum Diamargarit. frigid. ʒ.j. Terræ ſigill. veræ lemniæ & pulueris 13. Martij præſcripti an. ʒ.ß. fiat Looch. De quo lambat frequenter cum baculo Liquiritiæ. Vrina melior apparuit, nec ita ſputum ampliùs rubuit, aliquando tamen adhuc grumi pituitæ inhærebant. Viƈtu vtebatur tenui moderato, biberat

lac Amygdalinum, comedit Oryzam, Hordeum, panem Martium, pruna de Brinioles, & ipsamet, aliàs diu valetudinaria, temperanter viuere assueuit.

Dein 7. Aprilis, ad quod tempus semper continuabat eclegma præscriptum, viribus recollectis, Venam brachij dextri medianam aperuit.

Postea præscripsi tabulas sequentes, de quibus, singulis noctibus, vnam vel duas in ore, vt sponte diffluerent, continuit: ℞. seminis Hyoscyami albi subtilissimè puluerisati ℈. ij. gummi Arabici ℈. j. Coralli rubri ʒ. ß. Violarum recent. num. x. succi Berberis ʒ. ij. aquæ Rosarum & Plantag. q. s. Sacchari ℥. ij. fiant Tabulæ.

Aliquando etiam vsa est tabulis ex succo Ribes puro præparatis, quæ gratissimæ sunt.

Iam iterum omnino est restituta, nec ab aliquot septimanis quicquam cruenti in sputo apparuit.

Hæmoptoica passio in viro.

Qvidam profusè sanguinem purum aliquot dies cum tussi per os effundebat, idque sequente mox summa imbecillitate, cum vitæ discrimine.

Dedi illi trochiscos de Alkekengi cum opio, vt aliquot noctes cum Lacte caprino dissolutos biberet.

Profuerunt plurimùm, vti postea mihi laudauit, sicq; à mortis imminentis periculo, vel subsequentis phtisis, vti ferè ea sequi solet, & à lethali morbo, sanus euasit.

Hæmo-

Hæmoptoica paßio, metus Phthiſis.

QVædam tuſsiendo excreabat ſanguinem, ſatis copioſè, Catarrho ſimul affecta, aluusque ei conſtipata erat: Valde phtiſim metuebat, quam venam ruptam, in pulmonibus, ſequi ſolere, ex lectione practici cuiuſdam Germani didicerat, adeò vt vix eam conſolari potuerim.

Exhibui ei An. 1598. Mannæ ℥.j.ß. cum Iuſculo, quam & pectori prodeſſe dixi. Excreuit placidè & copioſè.

Sanguinem poſtea detraxi è mediana.

Iuſsi manè & veſperi ſumere tabulas in hæmoptoica paſsione vtiles, ex ſemine hyoſciami.

Deſijt ſanguinis hæc excretio, ſed mox redijt: Iuſsi tabulas repetere, idque factum eſt tertiò: ſed poſt tabularum vſum continuatum, nihil ampliùs cruenti apparuit.

Hæmoptoica paßio, poſt febrem.

FEbre continuâ quædam diu laborauerat, in cuius declinatione ſanguinem tuſsiendo expuere cœpit copioſè, ob tuſsim ſiccam, diu perſeuerantem in febre, ob venam aliquam in pulmonibus ruptam.

Præſcripſi mox, Anno 1598. ℞. Boli Arm. lotę in aqua Roſ. ʒ. ij. ſeminum Portulacæ, Lactucę an. ʒ. ß. ſem. Hyoſquyami ℈.j. gummi Arab. & Tragach. an. ℈.ij. Amyli ʒ. ß. ſeminis Naſturtij torrefacti ʒ. ß. Roſ. rubr. ℈.ij. oſsiũ Myrobal. Citrin. ʒ. ß. Sacchari candi & Sacchari roſ. tab. an. ℥.j. cum ſyrupo Myrtill. fiat paſta, ex qua formentur Morſelli, quos in ore teneat, ſenſim deglutiendo. Poſt cuius vſum cœpit minui excretio illa ſanguinis.

Ad ſanguinem incraſſandum, ſequenti quoque

vsa est electuario: ℞. conser. Ros. antiquæ ℥. iij. conser. Viol. ℥. ß. Boli Arm. Terræ sigill. an. ʒ. ij. cum syr. de Rosis rubris siccis fiat electuarium, De quo capiat in introitu lecti, ad magnitudinem castaneæ.

Dein vtatur hoc syrupo ad sanguinem mundificandum à tenuibus & serosis ichoribus & humoribus: ℞. rad. Liquiritię ℥. j. fol. Buglossi vtriusque, Fumariæ, Lupulorum, Cichorij, Endiuiæ, Agrimoniæ, Plantag. Polytrici an. M. j. summit. Asparagi, Verbenæ, Euphrasiæ an. M. ß. seminum Cucurb. & Melonum. an. ℥. ß. seminum Endiuiæ, Cuscutæ an. ʒ. j. ß. Passul. Prunorum an. P. vj. Polypodij quer. ℥. ij. Agarici in panno ligati ʒ. iij. Zingib. ℈. ß. fol. Senæ ℥. ij. florum Cordial. Cicerum rub. an. P. j. cort. Citri. sicci ℥. ß. fiat decoctio, & in colaturæ ℔. quatuor dis. Sacchari albis. ℔. ß. succi Pomorum redol. ℥. ij. fiat syrupus perfectè coctus, arom. Santalo citrino, & postea infunde in syrupo Rhabarbari el. contusi & in panno ligati ʒ. iij. seruetur ad vsum: Capiat ℥. iij. vel quatuor, prout operabitur singulis 14. diebus.

Caueat interim ab omnibus sanguinem accendentibus; vtatur bonâ victus ratione. Sic restituta fuit, & à periculo phthisis quæ facilè sequitur, liberata.

Sputum sanguinis, Dyspnœa, Tussis & metus Phthisis.

IVreconsultus quidam iuuenis, albus, paulò macilentior solito, An. 1596. Nou. mens. spuit sanguinem, & hoc sibi aliquoties accidisse referebat, spiritum citò ducebat, tussiebat, cum pauca excretione. Iussi sumere tab. Diatragach. frig. & syrupum de Iuiubis & de Tussilagine, quo facto, cessauit expuitio cruenta, alioquin dedissem illi pul. de semine Hyosquyami.

Petebat

Petebat consilium ad præcauendum hæmoptoicam pasſionem & phthiſim, vtque à dyſpnœa & tuſsi liberari poſſet: itaque tale præſcripſi.

Defluxiones auertendæ ſunt, & pulmones ne lædantur, cauendum. E multis quæ reliqui Medici præſcribunt, hæc potiſsimùm obſeruanda.

Comedat moderatè, cœna ſit parca: caueat à nimium aromatizatis, ſalſis, à ciborum varietate: Vtatur hordeo, ouis, & carne recenti.

Exerceat corpus ante cibum.

Caput muniat & pedes, ne refrigerentur. Quas noctu interdum abluat Lixiuio, in quo Saluia, Betonica, & Chamomilla coxerint.

Sudet ſemel aut bis in menſe in ſtupha.

Purget corpus ſemel in menſe: ℞. pilul. Sine quibus, de Agarico an. ℈. j. cum melle Squillitico fiat pilul.

Tabulis utatur frequenter ſequentibus: ℞. pul. Diatrag. frig. ʒ. ij. rad. Conſolidæ. Enulæ an. ʒ. ß. oculorum Cancri, Coralli an. ʒ j. ſem. Hyoſquyami ℈. j. Sulphuris præp. ℈. ß. Sacchari diſſ. in aqua Roſ. ℥. quatuor, fiant tabulæ.

Vinum hoc præſtantiſsimum, ſi manè bibat, ſumpto priùs ouo cocto, vel iuſculo hordei: ℞. rad. Liquiriti. raſæ quart. j. rad. Conſol. mai. ℥. ij. Enulæ ℥. j. ſeminum Aniſi ℥. ij. fol. Tuſsilag. Marrubij aridorum an. ℥. *j*. Paſſul. Ficuum an. ℔. j. Mellis menſur. ß. Vini albi menſur. *ij*. In dolio ſtent in infuſione.

Lactis caprini vſum Maio, ſequentis anni, probarem, manè ſumpto iuſculo hordei vel ouo, bibat cyathum vnum lactis tepentis, continuando per menſis ſpatium, ſed tunc à vino ceſſet.

Aquam ſeu Iulepum, hunc ſæpe bibat, præſertim poſt tabularum vſum: ℞. aquarum Tuſsilag. Violarum, Scabioſæ, Limacum, Betonicæ an. ℥. ij. Iulep. roſ. ℥. j. miſce.

Expuitio frequens, ob lentorem mucosum in ore.

MAtutino tempore, quidam os suum tali materia repletum, continuam expuitionē mouere, conquestus, meo consilio, hoc Vino cùm os colluisset, dentesque simul digito fricasset, ab hoc vitio liberatus fuit. Vinum erat album, potens, in cuius mensura j. in Vitro clauso, imposita erât Absynthij M. j. rad. Enulæ, Iridis an. ℥. j. rad. Angelicæ ℥. ß. sem. Fœniculi, & Coriandri an. ʒ. ij. conquassata priùs.

Expuitio nigra, in Tympani:

VIde in Extuberantia Lib. III. Tympanites expuitio nigra, &c.

IN VOMITIONE Obseruationes.

Vomitus & deiectio sanguinis grumosi & picis instar nigri.

ANte decennium circiter, nobilem quendam Burgundum, Tolosæ cardialgia quædam subitò inuasit, adeò vt animo deficeret; quam secutus est vomitus sanguinis concreti copiosi, & deiectio eiusdem, sed picis instar nigri, vnde valde debilitatus, sed mox ad se rediit. Post triennium idem illi accidit, iter diebus æstiuis calidioribus facienti, nam subitò febrili paroxysmo correptus, in syncopen incidit, sanguinemque supra infraque, vti priùs excreuit. Altero triennio interiecto, eadem sanguinis excretio illum iterum inuasit. Ac postremùm, hoc An. 1611. Iulio mens. quo ad me consilij causâ venit, eundem paro-

paroxyſmum eſt paſſus. Pallebat admodùm, alioquin tunc de nullo alio affectu conqueſtus. Vxorem ante menſem modò duxerat. Vſus erat clyſteribus in paroxyſmis & refocillantibus tantùm, non alijs præſidijs.

Expoſui illi à venis meſeraicis, ob illuuiem in illis contentam, tetri ſanguinis, reſeratis hoc accidere, occurrendumq; maturè, periculoſum enim eſſe, quod aliorum exemplis comprobaui.

Ordinaui vt ſingulis menſibus ſequenti purgatione vteretur: ℞. Rhabar. ℈. quatuor, Myrobal. citrin. ʒ. j. puluer. irroretur Vino rubro, donec molleſcant, poſtea adde ſyrupi Roſ. ſol. ſimp. ℥ j ß. aquę Plantag. q. ſ. fiat potio, diligenter priùs expreſſo Rhabarbaro, & myrobal. cum aqua Plantag.

Vtatur per vices hac miſtura: ℞. conſer. Roſ. rub. ℥. ij. conſer. fl. Cichorij, fl. Tamaricis, Buglosſi, Borrag. cort. Citri cond. an. ℥. j. rad. Cichoreæ cond. ʒ. vj. troch. de Rhabarbaro ʒ. ß. raſ. Eboris ℈. ij. Coralli rub. ʒ j. Cineris pell. Ventriculi & inteſtinorũ Gallinæ ℈. j. ſp. Diatrionſant. ʒ. ß. cum ſyrupo de Radicibus, fiat miſtura. Capiat bolum, ſuperbibendo, aquæ Plantag. & fol. Citri, cum pauco Vino.

Puluere ſequenti vtatur octiduo ſemel, & ſi paroxyſmus ſuperueniat, bis vel ter: ℞. Succini puri ʒ j. Coralli rub. ʒ. j. ß. Balauſt. ʒ. ß. ſem. Hyoſq. albi ʒ. j. ſem. Plantag. ʒ. ß. fiat puluis, adde Sacchari roſ. tab. æqualem portionem: Capiat per ſe, vel cũ Vino rubro, aut Lacte vſtulato.

Ad hæmorrhoidum prouocationem, quam ego vtiliſsimam cenſerem, ad diuerſionem & euacuationem illuuiei illius, in venis meſeraicis, colligi ſolitam, iuſsi vt Sanguiſugas podici, per canalem, vti artis eſt, applicaret, ſperare me, ſi hac ratione hunc fluxum ſibi familiarem redderet, poſſe præternaturales illas ſanguinis excretiones ſic impediri: Vti & factum, ſicuti prædixeram.

Vomitio & Deiectio sanguinis concreti, & picis instar nigri, ac excrementorum nigerrimorum.

IVreconsulto cuidam nostri seculi magni nominis, iam seni, cùm venter admodùm distendi inciperet, metuens sibi à tympanite, quem impendere illi, prædixerá, non contentus meâ operâ, etsi vsu præscriptorũ Clysmatum, ventrẽ nonnihil subsidere animaduerteret ; insignis alicuius chymici empirici consilio, An. 1592. liquorem aliquem ebibit, minimâ quantitate, vnde vix horæ interposito spacio, nigerrima copiosissimè euomere cœpit, vt totius hypocausti pauimentum, veluti atro cruoré picis instar nigredine splendescente, cõspurcaret; idq; non vnâ, sed pluribus vomitionibus: manè etiam subsequẽte diarrhœâ, eiusdem materiei & coloris. Ille interim ad extremum vsq; debilis, vix dũ pluribus restauratus, euasit. Verùm etsi pœniteret ipsum commissi erroris, tamen immemor illius, fatis eum trahentibus, post paucos menses denuò, ab eodem empirico, similem vel eundẽ liquorem assumpsit, quo facto, eædem vomitiones redierunt; ipseq; ad extremũ subitò debilitatus, manib. compositis eleuatis, dorso incumbens, veniam à Deo & nobis, quòd non obtemperasset, submissâ voce petens, mox postea expirauit. Cùm vasculum, è quo liquorem illũ biberat, intueremur propiùs, in fundo puluisculum gryseum, scintillis aureis micantem, qui subsederat, remansisse animaduertimus; de quo cùm nihil certi, quid esset, constaret, varia fuerunt iudicia. Madorem qui in poculo restabat, gustantes, acrem acidulumq; nonnihil esse deprehendimus. Ex quo, vti & quòd præter cruoré concretum tenacem & nigrum, aliàs reijci, in deiectionibus

nibus cruentis solitum, adeò nigra, vt atramentum scriptorium referrent, reddiderat, ex spiritu quodã Vitreoli sumpto, humores sic denigratos fuisse; conieci; quod vitreolũ hoc efficere posse, ex atramenti scriptorij, quod à vitreolo nigredinem accipit, si austeris, vt infusioni gallarũ permisceatur, cõpositione colligere licet. Hunc verò sanguinẽ, vti & excrementa, à venis meseraicis, nimia vi medicamenti, nimiùm reseratis, prodijsse, nimiamque illorum profusionem, mortis causam fuisse, argumentis aliquot declaraui.

Euomitio nigerrima.

INstar atramenti scriptorij, nigram vir quidã materiam admodùm copiosam euomuit, An. 1604. Maio mẽn. idq; repetitis vicibus, summẽ interim debilis, prostratisque viribus.

Sequentem potionem ei exhibui: ℞. Mumiæ ℈. ij. syrupi de Rosis rubris siccis ℥. j. aquæ Plantag. ℥. j. ß. misce; Bibat vna vice.

Iussi vt Oryzam cum iure Gallinæ coctam ederet. Et vt Vinum (quod virium reficiendarum causâ illi concesseram) aquâ Plantag. dilutum biberet.

Sequenti die, similem materiam nigerrimam, secunda vice denuò euomuit, & de cordis dolore admodùm conquerebatur.

Exhibui tunc hanc potionem: ℞. Rhabarbari puluerisati ℈. quatuor syr. Ros. sol. simp. ℥. ij. aquæ Plantag. q. s. fiat potio.

Deiecit ternas sedes æquè nigras. Postea cœpit meliùs habere.

Biduo post sedes naturales redierunt, nec dum ampliùs hæc materia apparebat.

Iussi vt per vices conseruâ Rosarum bonaque victus ratione vteretur.

Vomitio sanguinis, cum suspicione, lienis vel hepatis portionem simul redditam fuisse.

MEdicus quidam nostrâs in primis Praxeos suæ annis, An. 1587. febre continuâ malignâ laborans, atque articulorum simul immenso dolore, sanguinem tantâ copiâ euomuit, vt eo pel luis impleretur. Quem inspicientes, deprehendimus in eo veluti carneam quandam & fibrosam substantiam, lienis substantiæ non ita absimilem, punctis albis veluti granis, hinc inde consperſam. Cùm quid esset consultarent Medici, alijque grumosum sanguinem esse, sicque portionem ipsius concreuisse, iudicarent, ostendi cùm ita cohæreret, vt diuelli facilè non posset, aliud quid esse. Alij lienis portiones esse, quod vti dixi, nonnihil referebat, vulgus hepatis substantiam dissolutam, zerfahren vt vocant, existimabant. Quibus omnibus me opposui, ostendens non posse hæc viscera, nisi extrema & ventriculi & horũ esset corruptio, quod viuente homine fieri nequiret, in ventriculum peruenire. In tanta illa ambiguitate apprehẽsam illam materiam, diligentiùs scrutans, abluens & tractans, puncta illa alba quæ in hærebant, semina esse ficuum cognoui, moxque matrem, an ficus comedisset, interrogaui, quod illa, eo manè factum asseuerabat, & de edulio quodam ex caricis parato, comedisse. Itaque statim pulpam ficuum, cum seminibus adhuc impactis, hanc materiam, quam illi vel sanguinis grumos, vel lienis & hepatis parenchyma putabant, esse ostendi. Quod me cognouisse mirabantur, atque gaudebant, non esse viscerum dictorum substantiam, vnde periculũ mortis certò impendisset. Verùm nec sic liberatus fuit,

fuit, sed mox redeunte vomitu sanguineo, extin-ctus est.

Cholera morbus.

Tertius iam erat dies, ex quo vir quidam ad iram pronus ægrotabat; vrina quam miserat, tincta admodùm erat, de ventriculi oris rosione & torsionibus ventris & dolore circa renes, immensa siti & calore conquerebatur. Vomuit bilem meracissimam; ex quibus choleram morbum esse, cognoui.

6. Aprilis Anno 1592. Clysterem iniiciendum curaui: ℞. rad. Liliorum rec. ℥.j.ß. rad. Altheæ ℥.j. herbarum Maluæ, Betonicæ an. M.j.ß. Chamom. Meliloti, Furfuris ana P. j. seminum Fœnogræ. Lini an. ʒ. iij. sem. Carui ʒ.ij. fol. Senæ, ℥. ß. fiat decoctio, in colatura dissol. Mellis ros. ℥.j. ol. Chamom. & Anethini an. ℥.j. Bened. lax. ʒ.iij. succi Betæ ℥.j. fiat Clyster. Cum hoc reiecto magnam copiam bilis deiecit.

7. Aprilis, quia dolores ventris nôn cessabant: ℞. ol. Amygd. dulc. rec. expressi ℥.ij. Vini maluatici ℥.j. misce: Bibat.

8. Aprilis, ad bilem quæ intestina vrebat expurgandam, licet sponte deijceret, metuens dysenteriā: ℞. Rhabarbari elect. ʒ.j. Spicæ ℈.j. fiat puluis subtiliss. adde syr. Ros. sol. ℥. j. Vini Absynth. q.s. Sumat, deiecit.

Bibit Lac amygdalinum loco vini.

10. Reiteraui enema prius, ex cuius vsu iterum bilem copiosam reddidit, & incœpit mitigari malum.

Verùm restitisse reliquias & obstructiones, ex malo corporis habitu indicio desumpto, & ardore, qui adhuc intestina, & ventriculum vrebat: Ampliùs purgandum & obstructiones soluendas

iudicaui, potionem ideò sequentem per biduum duabus vicibus sumere iussi: ℞.rad. Cichoreæ.℥.j. rad. Fœniculi ℥. ß. rad. Liquiritiæ ʒ. vj. cort. Cappar. ℥. ß. Betonicæ, Polytrici ana M.j. Absynth. M. ß. sem. Anisi ʒ. iij. sem. Fœniculi ʒ. ij. fol. Senæ ℥.j. sem. Carthami cõq. ʒ. vj. fl. Cord. P. j. fiat decoctio in Aquæ & Vini æquis partibus, dissol. in colaturæ ℔. ß. Rhabarbari elect. infus. ʒ. j. ß. fiat expressio, diss. syrupi Diasereos ℥. j. misce, fiat potio, Pro duabus vicibus.

Iussi persistere in bona viuendi ratione, diebusque 13. tota cura perfecta est, ipseque incolumis factus.

Vomitus biliosus, cum colico dolore, & ardore.

VIde in Ventris dolore Lib. II. Colicus dolor & vomitus &c.

Vomitus excrementorum in Dysenteria.

VIde in Deiectione Lib. III. Dysenteria cum vomitu excrementorum, &c.

Vomitus iam amputato capite.

AD supplicium quidam homicida ductus, metu mortis; vel etiam quòd largiùs fortè bibisset, cordis dolore, vti vocant, seu cardialgiâ admodùm angebatur, & se affici, ministro eum comitanti conquerebatur, & cùm in locum supplicij venisset, metuens ne vomens turpiter se coram populo daret, carnificem ad negotium maturandum, hortatus est. Quod cùm carnifex facturus, gladio stricto ictum intentaret, in ipso capi-

tis amputati momento, vomens, erectus adhuc, ex collo truncato, non solùm sanguinem copiosum, sed & quicquid in stomacho continebatur, in altum magno impetu euomuit, quod & ipse vidi, & vt certiùs cognoscerem, postea cùm humi prostratus iaceret, è ventriculo prodijsse, cognoui, ministro insuper mihi narrante, quo pacto de nausea conquestus esset.

IN MICTIONE Obseruationes.

Mictio inuoluntaria, post partum difficilem.

IN partu difficili quædam ex distentione & læsione ceruicis vesicæ vrinam inuoluntariè & cum dolore reddere cogebatur, quod sæpe contingere solet.

Ordinaui vt insesione vteretur, ad sanandum & stringendum orificium colli vesicæ, ex decocto rad. Consolidæ, fol. Quercus & Hederæ, Gypsi vsti & Boli tertia parte, paucoque Vitreolo, idque singulis diebus horæ spatio, continuando ad mensem.

Et aliquando fumum reciperet ex puluere Picis, Thuris, Mastiches, carbonibus incensis inspersо.

Deque hoc puluere cochleare vnum, in Lacte caprino biberet: ℞. Glandium excorticatarum ℥.j. ß. troch. de Charabe ʒ.ij. Boli præp. ʒ.iij. Sacchari ℥.j. fiat puluis.

Sicque curata fuit, Anno 1610.

Mictio inuoluntaria, ob ceruicis vesicæ scißionem.

EX partu difficili & primo, cuidam iuuenculæ rusticæ, orificiũ vesicæ adeò scissum est, vt longa illic & hiante rima, vesica aperta cerneretur: sicuti ipse bis intuitus sum, & stylo adhibito, sic se habere, deprehendi. Ob quam læsionem, vrina cõtinuò illi inuoluntariè profluit, & vicinas partes erosit atque inflammauit; nisi adhibitis emplastis, Lactis cremore & Mucilaginibus partes hasce præmuniret.

Mictio inuoluntaria ardens cum Tußi.

VIde in Respiratione Praua Lib. I. Tussis, Mictiô inuoluntaria, &c.

Mictio ardens & stranguria.

ARdore vrinæ & stillicidio meiendi laborabat rusticus senex, Anno 1598. Dedi illi puluerem meum pro calculo, vt ʒ. ß. cum Lacte noctu cubitum iturus biberet & Tab. narcoticam mox postea sumeret.

Statim inde leuamen sensit, & cum tertiò vsus fuisset, conualuit.

Mictio ardens purulenta, cum calculo.

NObilis quidam vir, minister verbi diuini, Gallus, prouectæ iam ætatis, post peregrinationem, quam equitando perfecerat, conquestus mihi est, se molestiam quandam circa podicem sentire, ponderi alicui ei incumbenti similem, vrinamque difficulter se reddere, eamque sæpe turbidam cum albo sedimento, hisceque se toto itinere impedi-

peditum fuisse, existimareque se ex concussione harum sedium, inter equitandum, equo duriter incedente, sibi euenisse.

Ego verò calculum in vesicam, motu nimio è renibus propulsum, illicque substitisse, illamque molestiam præbere, conijciens, ei explicaui, sequent. exhibui potionē: ℞. resinæ Laricea, quâ loco tereb. vtuntur, ℥. j. ß. dissol. cū Vitello oui, addendo Sacchari candi ʒ. vj. syrupi de Liquiritia ℥. j. Vini ℥. iij. fiat potio.

Ex vsu huius lactei liquoris (talis enim euadit, & Lac admodûm repræsentat) septies aluus copiosè deiecit, sequentique die vrinam reddens, calculum vnà eminxit, omnique molestia subitò liberatus est.

Hic bonus vir, post tempus aliquod, ardore vrinæ grauissimè diuexari cœpit, purulentam reddens vrinam, vnde vesicæ ceruicem vlceratam esse, conijciebamus, multis vsus remedijs, atque inter hæc narcoticis, toto ferè anni spatio, tandem liberatus, aliquandiu & obambulare & equitare potuit, donec peripneumoniâ correptus, piè animam Deo reddidit.

Mictio purulenta cum ardore, & stranguria.

DE hac Anno 1596. mense Septem. consilium cuidam Italo, in sequentem sententiam dedi. Generosus quidem Dominus, laborat stranguria seu stillicidio vrinæ cum ardoris & doloris sensu, in fine mictionis, cogiturque sæpissimè vrinam reddere. In vrina apparet purulētum quid, in principio turbidam vrinam reddens, mox verò in fundo subsidens. Hisq; malis iam biennium affligitur, multisq; remedijs sine successu vsus est.

Consideratis omnibus, comperio exulceratum & erosum esse meatum vrinarium, illic vbi in vesica coarctata incipit, sicuti illic potissimû vlcera nasci solent. Cuius causâ, vel ex leui vrinæ in vesica collectione, locus hic illius summè sensilis atque erosus, offensus ab vrinę acrimonia, mox ad eiectionem & emictionem illius sollicitatur, & inter mingendum, in transitu per illum meatum, in fine præsertim, quando meatus iterum stringitur, dolorem & ardorem parit.

Curatur autem hic affectus, frequens alioquin, non facilè, cùm illa excoriatio continuô ab vrina humectata atque molestata, exiccari, quod tamen in vlceris curatione necesse est, & proin consolidari, non facilè possit.

Si tamen, vt vrina quantùm fieri potest, acris minimè & salsa sit, procuremus, atq; ea quę vias erosas leniunt, & siccando citra morsum, vlcus sanare possunt, exhibeamus, de curatione, si in illis persistat, spes, præsertim hac ætate, adhuc aliqua, affulget.

Caueat inprimis à salsis, acribus & calidis cibis; vtatur simplici victu, alimentoso potiùs quàm medicamentoso. Bibat vinû dilutum, frequenter oryzam edat coctam.

Tabulis meis pro exulceratione vesicæ & renû capiendo ʒ. j. singulis noctibus cubitum iturus, tribus horis ad minimum post cœnam; superbibendo haustum Lactis caprini, in quo rad. Consolidæ nonnûquam bullierint. Et quia nunc, non eas habet, interea trochisc. Gordonij pro renum exulceratione, ab illo præscriptis, vtatur: Vel trochiscis de Halicacabo sine opio. Atque in horum vsu tamdiu perseueret, donec sentiat emolumentum, & prout malum remittit vel redit, ad illorum vsum redeat, vel aliquandiu ab eo cesset.

In itinere donec domum reuertatur, ad doloris mitiga-

mitigationem, vtatur sequent. ℞. Diacodij simpl. ℥.j. Compos. cum Siliq. ℥.j.ß. aquę Papau. domestici ℥.j. misce: Capiat cubitum iturus cochl.j. vel duo, prout successum experietur.

Iniectiones in vesicam cùm respuat, præsertim cùm ægrè ad locum affectum proueniant, non vrgeo.

Suffitus verò, qui omnia peruadere solet, vtilissimus erit, per canalem, ad id conuenientem paratum, in virgæ foramen intromissus, semel in die: ℞. Thuris ʒ. ij. Myrrhæ, Benzoin. an. ʒ.j. Succini ʒ. ß. Picis ʒ. j. fiat puluis & cum resinâ Laricea fiant trochisc. Pro fumo.

Insessionem in decocto Maluæ, Consolidæ, addito Lacte, probarem alternis diebus semel factá.

Quæ omnia profutura non dubito.

Eadem accidentia, cum cachexia.

PRimarius vir, strenuus potator, vrinam purulentam magna difficultate & cum ardoris sensu reddebat, accedebat dyspnœa, pedumq; sub vesperam tumor: faciesque discolorata erat: Cachexiam itaq; adesse & renes exulceratos esse iudicaui.

Cùm multis remedijs sine successu vsus esset, pro vlcere renum puluerem hunc præscripsi. ℞. trochiscorum Gordonij, pro exulceratione renum ℥.ß. rad. Liquiritiæ ʒ. ij. seminum Cydonior ʒ. j. ß. sem. Anisi ʒ.j. sem. Alkekengi ʒ.ß. Glandiũ excort. ʒ.ij. Sacchari penidi: & candi an. ℥.j. fiat puluis subtilissimus, Capiat ʒ.ij. cubitum iturus, tribus horis post cœnam cum vino.

Vino aperiente hoc postea vti iussi. ℞. rad. Cichorij ℥.ij rad. Fœnic. Petros. an. ℥.j. rad. Rhapont. ℥. ß. Absynth. Chamæd. Chamæpith. Eupatorij veriana M.j. sem. Anisi ʒ.ij. sem. Apij ueri, Leuistici

an. ʒ.j. sem. Coriandri ʒ. ß. conquassentur, & in mẽsuris tribus vini infundantur, addendo pul. troch. Soldanellæ ʒ.ij. Agarici, Rhabarbari an. ℥. ß. Zingib. ʒ.j. ligantur in nodulo, & suspendantur in eodem vino, in vase occluso; Post octiduum, incipiat bibere, duabus horis ante prandium haustum, aliquot diebus continuis; postea alternis.

Ardens mictio, Stranguria, Purulenta mictio, ab vlcere vesicæ, cum Calculis, & Callis in uesica.

EX nobili familia quidam medię ætatis vir, multis peregrinationibus clarus, An. 1608. mense Iunio, difficultatem aliquam inter mingendum maximeque in fine mictionis, ardorem summum, sensit, Vrinamque turbulentam, purulentam & mucosam, squamulisque refertam, reddidit. Quæ cùm spatio sexdecim dierum durassent, tandem remiserunt, sed post semiannum redierunt, & ab eo tempore veluti per paroxysmos illum inuaserũt, & postquam illum miserè, nunc per septimanas, nunc menses aliquot excruciarunt, iterum vel ex parte vel omnino remiserunt. Quibus inducijs à morbo concessis, munia sua obire, in loca etiam distantia equitando, & imprimis in aulam ad suum Principem se conferre non desistebat.

Verùm cùm per bienniũ & vltra, sic certis temporibus cruciatus, varijs vsus esset remedijs, præsertim emulsionibus seminum Frigidorum quatuor, alijsque acrimoniam vrinæ lenientibus, additis etiam Narcoticis, necessitate vrgente, nec affectus inde tolleretur, consilij causâ ad nos venit, tuncq; consultatione habitâ, exvlcerationem vesicæ esse iudicauimus, de calculo dubitatum, & vt an

an adesset, innotesceret, cathetere in vesicam intruso, nihil fuit deprehensum. Postea etiam vt melius exploraremus, digito in podicem immisso, durities circa vesicæ regionem, scirrhi alicuius instar, deprehensa fuit, quæ durities postea repetito cathetere, quoque obseruabatur. Vnde conclusum, callum aliquem vesicæ adnatum, qualis & aliàs in vesica, eâ læsâ vel exulceratâ, post mortem sectione factâ, deprehenditur.

Cura itaque potissimùm exulcerationi vesicæ fuit accommodata, & vt ardor ille mitigaretur, instituta, etsi sanitatis recuperandę spes esset exigua, præsertim calculo vti suspicio erat præsente, qui etsi cathetere vel digito non deprehenderetur, sæpè tamen fieri, si vesicæ adnatus, in ea suspensus hęreat, vt sic contactum hunc effugiat, dicebam.

Vtebatur tũc ex consilio nostro, post varia prius tentata vti dictum, remedia, Lacteo diluto, viginti dierum spatio semel, vnde multa ramenta, mingendo excernebat, aluusque aliquoties deijciebat, nonnunquam & pituitam vomebat: ℞. resinæ illius quam Terebinthinam vocant ʒ. vj. Mellis ℥. j. Vini Maluat. ℥. iiij. Vitellum vnius oui, diluantur & seruentur ad vsum: Capiat ʒ. vj. pro vice.

Tabulis sequentibus etiam vtebatur, quarum vsu maximum sensit commodum, adeò vt sæuus ille cruciatus diu emanserit, & quotiescunque vel minimum inter mingendum sentiebat ardoris, horum vsu se mox liberari, postea mihi fassus est: ℞. trochisc. de Alkekengi cum opio ℥. j. rad. Consolidæ, Terebinth. coctione induratæ an. ʒ. ij. Sacchari ℥. v. cum inf. Gummi tragach. fiát tabulæ vel trochisci ℈. ij. ponderis.

Quadriennio ab inuasione huius mali, An. 1612. cùm recrudesceret malum, denuò ad me, vt opem ferrem, venit, atq; inter cætera narrabat, sobolem

sibi interea natam, mirabaturq; cùm tā miser esset, quomodo hoc fieri potuerit, cui scrupulum hunc fieri posse demonstrās, exemi & licet suspicaretur cùm tam diu malum perseuerarit, noxam grauem atq; incurabilem in vesica esse, vti in eiusmodi casibus, in alijs quoq; per sectionem deprehēdi, tamen doloris leniendi & ipsius curationem desperantis erigendi causâ, ad exulcerationem saltem palliandam, si non curari posset, sequentia ordinaui.

Quia alui cōstipatio frequens illi erat, eaq; augebat malum, sequens Electuarium illi fuit præscriptum, quo angaritatim bis ad minimùm vteretur, quantitate nucis iuglādis, quod tale erat: ℞. Cassiæ rec. extractæ ℥.ij. Mannæ ℥.j.ß. pulpæ Sebesten & Tamarind. an. ℥.j. mucilag. sem. Psilij ʒ.vj. iiij. sem. frig. Mai. mund. an. ʒ.j. succi Liquirit. ʒ.ij. cum syr. Rosarum sol. fiat mistura instar electuarij.

Dein puluis hic ordinatus fuit: ℞. radic. Liquiritiæ, Consol. mai. Altheæ an. ʒ.iij. semin. iiij. frig. Maior. mundato seminum Hyoscyami an. ʒ.j. fol. Equiseti sicc. ʒ.ß. gummi Arabic. Tragach. Sarcocollæ, Thuris an. ℈.ij. Boli pinguis, Oculorū cancri an. ʒ.j. Succi liquirit. ʒ.ij. fiat puluis. Cuius mediæ quantitati, adde Sacchari penidiati part. mediam.

Reliqua media pars pulueris excipiatur resina Laricea & fiat massa.

Vtebatur hoc puluere alternis diebus, sumendo ʒ.j. cum Lacte caprino.

De massa formabat pilulas, & ʒ.j. pondere deglutiebat, tertio quoque die.

Sicq; in horum vsu perseuerans ferè totius anni spatio, minus rariusq; afficiebatur, adeò vt spem aliquam sanitatis conciperet. Quæ tamen spes illum fefellit, nam irruente graui paroxysmo. Anno sequenti 1613. quinque elapsis, quibus hoc morbo afflictus fuit, annis, morte fuit sublatus.

Extin-

Extinctus, cùm à chirurgo illius loci aperiretur, vesica illius tota spissa, carnosa nigraq; & gangrenata inuenta fuit: calliq; aliquot duri, illic vbi vesica vlcerata erat, ei adnati. Calculus rotundus magnus similiter in media sua sede vesicæ accreuerat. Et foramine amplo vesica patebat, per quod calculus alius, sed minor, elapsus vesicæ incumbebat. Illuuies quædam sex circiter mensuram extra vesicam, circa lunbos collecta erat, purulenta alba, tenax & viscosa, cui ichor aquosus, cæruleo colore præditus, innatabat, cuiusmodi materiam aliquoties dixit æger, se certò scire, vltra centum mensuras per annos illos quinque cum vrina excreuisse. Sicq; bonus ille vir, tam grauia vesicæ vitia, longo tempore in corpore cum calculo gerens, & viuens nihilominus, tandem hisce victus, occubuit.

Purulenta mictio, Vrinæ suppressio, Calculi suspicio, Dolor circa renem dextrum.

CVm Serenissimus Imperat. Romanorum Ferdinandus, An. 1563. Friburgum in Brisgoiam venisset, atque inuitatus à Magistratu nostro, Basileam magno comitatu, magnificè & splendidè exceptus appulisset, inter reliquos, qui in ipsius comitatu erât, fuit quoq; inclytus ille Heros, Lazarus Sweendius qui me accersiuit, atq; hũc affectu, quo à reditu suo ex Vngaria hactenus afflictus esset, exposuit. Dicebat vrinam sibi certis temporibus, circiter biduum vel triduum supprimi, adeò vt nullam reddere posset, tuncq; dolorem & in renibus grauem, & distendentem in vesica sentiret, donec vrina impetu quodá rursum prosiliret, copiosa eaq; turbida, in qua subsidente, vel colatâ per pannum, pus & mucus bona quantitate deprehenderentur.

Multorum Medicorum iam vſus erat conſilio,& imprimis illius ſeculi clariſsimorum Cratonis,Iulij Alexandrini, Mathioli, Imperatorum & Ducum Auſtriæ Archiatrorum, quorum conſilia ſcripta & in vnum volumen compacta, quæ prolixa & multa erant,mihi legenda exhibuit. Qui pleriq; omnes pituitam in renibus contentam, eoque delatam, vel vt quidam inter illos cenſebat, à capite delapſam, obſtructiones haſce in renibus efficere, viasque quò minùs vrina permeare poſſet, occludere, donec ea cum vrina propulſa, à renibus, vnà cum illa, mictione redeunte, excerneretur.

Ego cum hoc Barone, qui præterquam quòd rei militaris eſſet peritiſsimus, doctus etiam & eruditus erat, hac de re conferens, aſſerebam renum & præſertim dextri,in quo latere magis dolebat, aliquam exulcerationem eſſe, à qua pus in renibus coaceruatum, mucumque vrinæ in vreteres influxũ, tam diu impedire, donec loco cederet, & cum vrina elueretur, addens metuere me, ne calculus quoq; aliquis ſubſit, qui in renum ſubſtantia genitus,auctus diuq; retentus, illic ſedem fixerit. Quod multis argumentis probabam, adeò vt etſi nonlibenter hæc audiret, periculum inde ſibi imminere arbitratus, tamen credere rationibus meis cogeretur,eoque magis, quòd conſiſilium meum Crato ei à Barone miſſum,non improbaret,qui tamen ne terrorem ei incuteret,mitigare quædam,dicens ſe de calculo dubitare, ſtudebat.

Poſtmodum me ad ſe in arcem ſuam ſæpè vocato,conſilio & remedijs meis vſus, rariùs & mitiùs hoc affectu laborauit. Inter quæ hæc plerumque profuerunt.

Quando paroxyſmus ille eum inuadebat,Inſeſſione in balneo vtebatur, ex decocto relaxantium & anodynorum ſimplicium parato.

Bibebat

Bibebat de hoc diluto Terebinthinæ, vna vice, ad ℥.j.ß.quod etsi non saperet, quia tamen mictio inde mox sequebatur, obtemperabat. Tale autem erat: ℞. resinæ Laricea vel Abietinæ purissimæ & limpidæ ℥.ß. Vitellum vnius oui, Mellis ℥.j. agitentur probè in mortario marmoreo, donec albescat & dissoluat. lactis cremoris instar, postea adde Vini albi opt. aquæ Parietariæ & fl. Fabar. an. ℥.j.ß. syrupi Limonum vel Acetos. Citri. ℥.j. agitentur denuò, vt ampliùs liquescat, seruetur ad vsum.

Cùm haberet Terebinthinam veram Cypriam, quam Venetijs acceperat, ex ea durâ gummi instar, pilulas parari curaui hoc pacto: ℞. Terebint. veræ Cypriæ ℥.ß. Sacchari candi ʒ. ij. syrupi de Limonibus q.s. fiat massa: De qua capiat ʒ.j. pro vice hebdomadatim. Vel si malit in puluere vti, bibat cum Vino dulci ℥.j. illius pulueris.

Paroxysmo interdum adueniente, bibit sequens decoctum, vti & alio tempore frequenter: ℞. Cicerum rubr. P.j. maceratorum aliquandiu antequam decoquerentur, in Aqua rad. Fœniculi, Petrosel. & Asparagi recentium, vel turionum illius recentium cum pullularent, &c. parùm fiat decoct. adde Olei amygdal. dulc. recentissimè expressi ʒ.vj. Salis tantillum: Pro vno haustu.

Quando dolor immensus erat, & nulla esset quies, egoque vocatus adessem, ad narcotica progressus, quibus priùs non erat vsus, cùm & somnus obreperet, atque leuamen sentiret, mirè laudabat, quæ tamen non nisi necessitate vrgente summâ, illi exhibebam, per pilulas eiusmodi: ℞. pulu. trochisc. Alkekeng. sine Opio ʒ.ij. Opij ʒ.ß. contriti diligentissimè cum ʒ.j. Sacchari candi, cum syrupo de Liquiritia fiat massa. Detur pilula ℈.j. pondere, vel paulò plus prout operabitur.

Hisce potissimùm remedijs, quæ abstergendo

obstructiones soluebát, vrinā promouebant, dolo-rē mulcebát, multos annos subleuatus fuit. Donec Cellenses thermas adire volens, cùm iam itineri accinctus esset, apoplexiâ subitò corrept⁹ expirauit.

Purulenta mictio atq; arenosa, ab vlcere sordido in penis ductu interno.

HOc morbo afflicto cuidam, tale dedi cōsilium: Laborat Clarissimus vir sequent. accidentib: Arenulas rufas cum vrina excernit, interdum inuicem cōpactas, aliquando etiam in calculum concretas, nunc pus vnà cum vrina quandoq; mingit, præsertim in principio mictionis, quod vrinæ ab initio confusum, mox subsidet, tenax & glutinosum, matulæ adhærens, inæquale, punctis, ramentis, quādoq; notatū. In mingendo impedimentum aliquod sentit, & ardorem sub finem mictionis, quibus accidentibus iam diu conflictatur.

Ex quibus certò deprehendere possumus, arenosam renum constitutionem arenulis gignendis aptam, & vlcus quoddam sordidum cauum, in ductu sub pene, à vesicæ ceruice ad glandis foramen vsq; desinens, adesse, ac proin totam curam in eo versari, vt quantum fieri posit, arenularum prouentus impediatur, & ne concrescant, caueatur, vlcus abstergatur & sanetur.

Quod quidem fieri posse, diligenti adhibitâ victus ratione, & medicamentorum vsu, dixi me sperare, nec enim adeò malum inualuisse me credere, vt periculū aliquod vesicę imminere videatur, prę-sertim cùm eiusmodi vlcera sordida sinuosa facta, potiùs ad exteriora, vel podicem sibi viam aperiát, quàm quod ad vesicam vsq; serpant, quo tamen facto, cùm remedia tum rectiùs parti affectæ apponi queant, curam eiusmodi faciliùs postmodū perfici.

Primum autē vt & calculo & vlceri remedia accommo-

cōmodētur, victus ratio erit moderata & proba instituēda, in qua præcipuū erit, abstinere ab omnib. salsis, acribus, vti tēperatis, boniq; nutrimenti cibis illisq; coctis seu assis, nō tamen nimiâ cōditurâ medicamētosis nimiùm redditis, aut vt nimiùm calefaciāt, vrinamúe acrē salsamúe reddant, immutatis.

Oryza, hordeum bene cocta cum iure vel lacte sumpta, idq; frequenter, vrinam leniūt, vlcusq; sanant. Cicer. rubr. decoct. in Iusculo, addito Sacch. cando, sæpè bibitum, abstergit à renibus arenulas. Vinum alb. aliquoties Sacch. dulcoratum, bibitum idem facit, facileq; penetrat, si sacchar. Ros. addatur vlcusq; sanat. Lac caprinum sæpè bibat, manè ieiunus, vel etiam noctu cubitum iturus, tepidè, haustum decentem, qui Saccharo ros. dulcoratus sit.

Si in Lacte caprino Silices priùs extinguantur, sicq; bibatur, addito Sacchar. vlcus sanabitur, eoq; magis, si rad. Liquir. Consol. & Altheæ in lact. coq.

Absterso aliquádiu vlcere, si decoct. Gaiaci, loco Vini biberet, non ad sudores mouēdos, sed vrinas, vlceri plurimùm profuturū sperarē, idq; si ad ℥.iij. Gaiaci mēs. iiij. Aq. adijcerētur, vnaq; decoct. absumptâ, reliq. in mensa loco potus ordinarij biberet.

Remedia quod attinet, ad vlceris abstersionē & sanationem trochisc. hosce vel tabul. vt pararētur, ijsq; vteretur, plurimùm laudarē: ℞. Amygd. dulc. mund. Castan. mund. Gland. mund. Oryz. mundatæ an. ℥.j. rad. Alth. Consf. mai. Liquir. an. ʒ.ij. sem. Plant. Portul. Malu. Alkekeng. gum. Arab. Prunor. Ceras. an. ʒ.j. Succin. puri ʒ.j. ß. Boli puriss. Ocul. cancri Spodij ex ebor. vst. an. ʒ.ij. Lariceæ coct. parū, vt pulu. queat. ʒ.iij. Succi liquir. ℥.ß. omnia pulueris. & commixta, excipiantur inf. gummi Trag. fact. in aq. Ros. & Plant. add. Sacch. ad quart. j. Forment. tab. ad. ʒ ij. pond. Vnam pulueris. cum Lacte caprino alternis dieb. ad minim. si biberet, plurimùm pfuturas

experiẽtia me docuit, multa eiusmoui vlcera,& diu turna & sordida, curata fuisse.

Quorum loco si ad manum non sint, etiam trochisci Alkekeng. sine opio & trochisc. Gordon. capite de exulc. ren. præscript. vsurpari possunt, sed hæc compos. est longè vtilior.

Interea iniectiones, indies sunt faciendæ, quæ licet ad vesicã minimè pertingãt, tamen ad locum affect. si aliquandiu post infusion. penis eleuatus retineatur, deferunt, illicque vires exerunt. Eritque sequens vtilissima iniectio: ℞. Lactis caprini, in quo silices igniti extincti sint ad ℔. j. addita Sacchari ros. ℥. j. dissolu. in eo infus. gummi Trag. fact. in aq. Plantag. mucilag. rad. Consol. fact. simili modo, Mellis an. ℥. ß. Laricea dissolu. in vitello oui ʒ. j. Cerus. ʒ. j. ß. Pomphol. alb. ʒ. j. misceantur diligent. triduoque vel quadriduo repetantur, ne lac acescat, aut mucilagines corrumpantur.

Si post aliquem illius vsum, succus Plantag. adijciatur ad ℥. j. efficacissimum erit medicamentum.

Suffitus ex Thure & Asphalto, Mastiche, æqu. partibus, intromissus per directorium in canalem penis, mirabiliter sanat, sed hoc bis aut ter in septimana factum, sufficit.

Sectio eo in loco, vbi calculi è vesica extrahuntur, desperata hæc vlcera patefacit, & vt remedia illis applicari posint, curarique leui negotio occasionem præbet, vltimumq; & extremum est remedium, nisi sponte vlcus sibi, vti dictum est, ad exteriora viam aperiat.

Mictio purulenta.

Vide in Genitalium dolore Lib. 11. Vesicæ illiusque ceruicis vlcera &c.

Mictio purulenta, calculus cum Tussi diuturna.

VIde in Respiratione praua. Lib. I. Tussis diuturna, mictio purulenta &c.

Purulenta mictio, post carunculam in ductu virgæ, atque inde profecto vlcere.

CVidam præstanti viro, annorum quadraginta quatuor in cœlibatu, sed non castè viuenti, caruncula seu carnositas quædam in penis interiori canali nata, vrinæ egressum supra horas quadraginta impediuit, vnde tensiones graues circa perinæum, & conatus irritos sentiens, accersito lithotomo, cathetere intruso, per carnositatem illam, viaque patefactâ, copiosè mingens, meliùs habuit, posteaque immissis cathæreticis, caruncula deleta fuit, adeò vt trium septimanarum spatio, postea nil senserit, donec febriculâ correptus, post paroxysmum illius, sanguinem cum pure mingere cœpit, dein sequentibus diebus, ad decem vsque septimanas, vrinam turbulentam semper reddebat, seri lactis instar, quæ postquam subsedit, in fundo pus mucosum deposuit. Per cætera de nullo alio dolore aut affectu, vti nec de mictione impedita, aut ardente, conquerebatur.

Consilium petebat à me, Anno 1596. cùm, vti scribebat, frustra à Medicis multa adhibita fuissent inter quæ & potiones erant vulnerariæ, & decoctum Zarsæ parillæ, cum ligno Salsafras, quod pro potu ordinario bibebat.

Huic respondi, vlcus sordidum esse, in canali virgæ, qui communis est vrinæ & semini: hoc verò natum esse, ex læsa illa parte, ob pertusam ca-

runculam, & offensam loci illius angusti: dolorem illum non percipere in eo loco, nec ardorem inter mingendum, cùm ob pure oblitum vlcus, transfluens vrina, partem vlceratam & sensilem non attingat, sed superuenturum, nisi vlcus sanetur, quod cùm lateat, & quę sumuntur viribus suis eò vix perueniant, atque iniectiones difficulter ad locum affectum ferantur, nec illic subsistant, ægrè sanari posse.

Præscripsi tamen sequentia remedia. Primùm ad absterſionem purulentæ materiei & consolidationem, vt Resinam lariceam vel abietinam dilutam sumeret, hoc pacto: ℞. Resinæ illius limpidæ ℥. ß. dissoluatur in Vitello oui, vt artis est, addendo Mellis puri ℥.j. Sacchari rof. tab. ℥.ij. Vini generosi ℥.vij misceatur. Bibat de lacteo illo liquore ad ℥.j. alternis diebus, cuius operationem ad vesicam vsque & vltrà pertingere, ex vrinæ violaceo odore deprehendi potest.

Iniectionem dein abstersiuam sequentem, quam per canalem in ductum penis inijceret: ℞. rad. Liquirit. ℥.ij. cort. Fabar. ℥.j. Cicer. rubr. P.j. fol. Plantag. sicc. M.j. fiat decoctio in Aqua, addendo parùm Lixiuij, & in ℔.j. colaturæ diss. Lariceæ diss. in Melle ℥. ij. vnguēti Ægyptiaci tantū quantum ferre poterit. Vtatur ab initio, donec pus minui sentiat, & partem admodùm sensilem fieri; adeò vt ægrè iniectionem illam acrem ferat.

Postea vtatur sequenti iniectione: ℞. ramulorum Equiseti fol. Plantag. femin. Hypericonis an. M.j. radic. Consolidæ, Bistortæ, bulborum Narcissi an. ℥.j. cort. Granat. ℥.iij. decoquantur in ℔.j. Aquę extinctionis ferri Fabr. & in colaturæ ℔. j. dissolu. trochisc. alborum Rhasis sine opio ℥. ß. Boli Arm. ℥.j. succi attriti à lapide Galactite & Hæmatite ℥.j. Pro Iniectione.

Fumum

Fumum vt per canalem breuem in virgam obiter intrusam, per alembicum eò directum, in ductum penis immitteret, suasi, sic ex trochiscis carbonibus impositis suscitato: ℞. Picis naualis ℥.ij. Thuris, Mastiches an. ℥.j. Sandaracæ, gummi Benzoini ana ℥.ß. cum Resina aliqua liquida, fiant trochisci.

Postremò iussi, vt candelam Ceream, tenuem, flexilem & longam, sensim in ductum hunc aliquousq; intruderet, inunctam Balsamo chirurgorum, vel meo, quod illi misi, nonnunquam addendo parùm Vernicis coctæ, quâ pictores tabulata incrustare solent.

Puris cum vrina excretio, postea illius per anum, tandem etiam ex vlcere in clunibus genito, effluxus.

BAro quidam Burgundus, in viridi adhuc senecta, luxuriosè viuens, ex vago concubitu virulentam gonorrhæam aliquandiu passus erat, accedente mingendi interdum difficultate; aliquandò etiam ardoris inter mingendum sensu. Verè proximo, Anno 1592. ob citam equitationem, per postam vt vocant, compresâ nimium sede illâ, quę inter podicem, & virgæ radicē est, iam priùs affectâ, inflammatio, illic suborta est, cum summo dolore, & calore illius loci; ex qua etiam colis intumuit, & vrina suppressa est, cuius prouocandæ causâ, catherere in vesicam intruso, sanguinem minxit. Cessante autem & sedatâ inflammatione, pus deinceps continuò, vrinæ primùm confusum, mox verò in fundo subsidens, copiosè minxit, illudq; etiam extra mictionis tempus, præsertim corpus mouenti aut membrum comprimenti separatim effluebat. Ardor inter mingendum

aliquis, non tamen adeò intensus, qui tamen aromatum vsu exacerbabatur, & cathartico sumpto vehementer augebatur, penisq; intumescebat. Dolor pręcipuus, & sine intermissione, in infima lumborũ regione circà coccygem, ita vt sedere omnino nõ posset, sed perpetuò decumbere cogeretur, ipsum affligebat. Hisce per totam æstatem afflictus, emaciatus, pallidus & cachecticus, cõsilio diu Medicorum dissentiẽtium, cùm vnus vlcus renum, alter vesicæ, tertius neutrum esse diceret, vsus, non ab his adiutus tamen, tandem thermis Spachensibus vti, eòq; proficisci, consilio quorundam cogitauit. Scriptis autem primùm meum consilium expetens, illas disuasi, & cùm obiter meum iudicium de hoc affectu illi significarem, commotus eo, & ab aliquibus, quos ego in casu non admodùm absimili curaueram, persuasus, ante hyemem lecticâ huc ad me Vesuntio se adduci curauit.

Cui primùm, morbum hũc exulcerationem esse, ductus illius, cuius principium vesicæ ceruix est, & qui toto penis ductui, à podice ad extimam illius sedem vsq; subtensus est, causasq; illius, & quid sperandum esset, curationemq; firmissimis argumentis, sicuti postea prolixè explicabuntur, exposui.

Aggressus itaque curam 22. Octobris, victus rationem primò decentem institui, cuius in fine mentionem obiter faciam.

Vt abstergeretur vlcus illud sordidum, cùm ab initio iniectionem per catetherem admittere nollet, dilutum Lariceæ, cuius vires ad vesicam vsque penetrare experientia edoctus, 22. Octobr. illi primùm propinaui: ℞. Lariceę ℥.ij. Mellis ℥.j. Vitellum oui minoris num.j. dissoluantur cum Hydromelite Maluat. odoris; Et bibat mediam partem. Alteram seq. die: Cuius vsu per aluum copiosè multoties deiecit, & per vrinam ramenta varia reddidit.

Permisi

Permiſi vt ſe recolligeret per biduum, nam ex magna deiectione nõnihil erat debilitatus: Poſtea 27. vt meliùs purgaretur vlcus, denuò Laricea cum prædictis, ſed mediam tantùm partem, & cum Iulepo Roſaceo & Violaceo diſſolutam, vt ardor ſimul mitigaretur, exhibui.

Et cùm poſt horum vſum vlcus nonnihil deterſum eſſet, ipſeque bonam ſpem conciperet, quia puris reiectionem imminui videbat, & ne remediorum copiâ nimiùm ſe vrgerem, rogaret, triduo poſteà, 30. Octobris die, puluerem ſequentem ad initium faciendum ſanationis vlceris, vt biberet iuſsi: ℞. Lapillorum in capite Cancrorum inuentorum ʒ.j.ß.rad. Conſolidæ ʒ j.Sacchar.candi ʒ.iij. fiat puluis tenuiſsimus. Bibat cum Lacte caprino.

Nouemb. 10. Tabulis meis, tantopere in exulcerationibus renum & veſicæ commendatis, & quarum causâ, ab alijs de illorũ efficacia edoctus, præcipuè ad me venerat, primùm vti cępit, vnamq; ponderis circiter ʒ.j.cum Lacte caprino diſſolut. bibit. In quarum vſu poſtea, alternis dieb. eas nunc cum Lacte, nunc cum Hydromelite ventriculi causâ, ſumendo, ad finem huius anni vſque, ſicuti poſtea dicetur, perſtitit, ita vt non ſit neceſſe ſingulos dies annotare, ſicuti verò mutationes factas & remedia quibus præterea vſi ſumus.

Aquâ ſtillatitiâ interdum quoq; vſus eſt, eamq; cum Hydromellite permixtam manè, ea die, quâ tabulis non vtebatur, bibit, quæ hoc modo parata erat: ℞. aquarum Equiſeti & Plantag. & Roſarum an.℥.j.Hydromell. malu.℥.ß.miſce.

3. Nou. cùm iam de nullo adeò atque de dolore circa os ſacrũ conquereretur, præſcripſi inunctionem illius regionis, ex oleo Chamomel. Anethino & Liliorum.

Et quia conſtipatus erat, vnde etiá dolor in lum.

bis augebatur, Clysterem communem ex emollientibus & Casiâ parari curaui; quem cùm inijcere vellemus, intruso canaliculo in podicem, pus ex eo adeò copiosè effluxit, vt subiecto poculo illud, ne totum lectum commacularet, exceperimus.

Quod cùm altero iterato clysmate denuò fieret, vlcus circa vesicæ initium rectum intestinum perforasse, deprehendere potui, eoq; magis, quòd iam per penem non ampliùs media prioris efflueret portio.

Itaque ad vlceris in recto intestino curationem, aliam iniectionem 6. Nou. per sequentē Clysterem institui: ℞. Hordei integ. P.j. rad. Liquir. Consolidæ an. ℥.ij. cort. Fabar. ℥.ß. fiat decoctio in Sero lactis, & in ℔.j. colaturæ dis. Mellis ℥.ij. Sacchari rub. ℥.j. Lariceæ dissol. cum Vitello oui ʒ.ij. succi Paludapij ℥.ß. Casiæ ʒ.ij. misce.

Repetij 7. Nouemb. hoc enema, additâ ℥.ß. succi Mercurialis, à quo plurimùm deiecit.

9. Nou. quia nimiam deiectionem metuebat, mitius Clysma abstersiuum dedi: Ex sero Lactis, in quo Vitellos ouor. Mel. & Laricæam dissolui.

Persistebat interea nihilominus, vti dictū, in vsu Tabul. exulcerationibus vesicæ, dicatar. cùm & in recti intestini vlcere hæ conuenire potuerint.

Et quia obstructionibus quoq; viscerum laborabat, appetitusque prostratus erat, maloque corporis habitu, ne hydrops, quod metuebam, sequeretur, persuasi, vt purgans sumeret, quod tamen ægrè admittebat, dicens, se, cùm consilio chirurgi domi suæ tabul. Diacarthami sumpsisset, nouam inflammationem, in penis ductu sensisse. Idcirco leue hoc præscripsi.

11. Nouembr. ℞. Rhabarbari ʒ.j. infundatur in Vino albo & in expresione dis. syr. Ros. sol. & Viol. an. ℥.j. Bibit, & biliosam deiecit materiam.

Cùm profuisset illi hæc expurgatio, alteram sumere minimè recusauit, quàm 13. sic exhibui: ℞. Rhabarbari el. ʒ.j. Sennæ ʒ.ij. infundantur in Vino Absynthite, per noctem, Expressionē leuem bibat. Deiecit, sed intumuit illi virga.

Ob quam causam postea Clysteribus alternis diebus, ad vlceris absterſionem, cùm adhuc pus per aluum efflueret, & vt aluus responderet, vsus sum.

Dein vt vlcus consolidaretur, vnguento sequenti canalem cauum perforatum implere iussi, eumque in podicem intrudere, pistilloque canali indito, vnguentum expellere, quod ℞. vnguenti Pompholygos ℥. j. ſucci Plantag. ℥. ß. Laricеæ q.s. misce.

Quibus aliquoties factis, vlcus sanatum esse, in recto intestino, ex eò colligere potui, quòd pus nullum ampliùs efflueret, nec intruso canali aliquid illi adhærere deprehenderetur, & quòd pus iam iterum per penem magnâ copiâ emanaret, & quando penem premebat, pus in altum veluti per canalem prosiliebat.

Itaque cùm instarent, vt iniectione in penem vteretur, sic enim illic quoque vlcus sanari, atque operationem tabularum, quibus continuò adhuc vtebatur iuuari posse, tandem consensit. Primùm itaque Serum lactis in quo Mel dissolutum erat 27. Nouemb. ad detersionem vlceris infundere bis terúe in die incœpit.

Postea 29. Nouembr. ad curationem vlceris sequenti vti cœpit: ℞. Lithargyr. ℥. ß. radic. Consol. ℥.j. rad. Liquirit. ℥. ß. aquæ Equiseti & Plantag. ana ℥. iij. seri Lactis q.s. fiat decoctio & in ℔. j. dissolue Mellis ros. ℥. ij. Sachari rub. ℥. j. Terebinth. dissol. in Melle ʒ. j. fiat iniectio.

Cùm per triduum in vsu illius perstitisset, tabulasq; interim sumpsisset, vrinæ clariores iam factæ, non tantâ puris copiâ turbabâtur, nec pus per penem tantâ quantitate ampliùs fluebat. Sed nouum superuenit accidēs, dolor & tumor cum rubore, in clunibus, vtrinq; illic vbi priùs circa os sacrum dolor illum molestauerat. Iussi itaque in ambitu locum affectum vnguento albo Camphorato inungere, postea cataplasma sequens adhibui: ℞. radic. Liliorum rec. ℥.iiij. radic. Altheæ, Bryoniæ an. ℥.iij. Maluæ, Violariæ an. M.j. fl. Chamom. Melilot. Sambuci an. M.j. s. Fœnogr. ℥.j. s. Carui ʒ.ij. baccar. Lauri ℥.j. fiat decoctio in Lacte, pistentur, adde Micę panis ℔.j. farinæ s. Lini & Fœnogr. an. ℥.iiij. far. Hordei ℥.ij. ol. Chamom. Anethini an. ℥.iiij. Vitelli ouorum num. iij. fiat cataplasma.

Hoc indies bis renouatum, ad 6. Decembris vsque, quo die cùm abscessum genitum, certis indicijs, ex eo quod ad compressionem refugeret pus, eaque omissâ, rursum rediret, cognoscerem, sectione vtrinque in clunibus factâ, tanta puris fœtidi effluxit quantitas, vt peluim penè repleret, ab eoq; tempore minùs adhuc, quàm priùs per penem vel sponte, vel cum vrina, per podicem verò nihil, puris emanauit.

Cæterum profundorum horum vlcerum in clunibus curam chirurgo ipsius, quem secum adduxerat, reliqui.

Circa medium Decembris, cùm iam omnia in melius tendere videret, & curam quæ supererat, quòd tam festinanter ad finem perduci minimè poterat, domi se absoluere posse, cogitaret, ne hyeme impeditus, diutiùs hîc subsistere cogeretur, abitum parans, me, vt morbum suum illiusq; causas describerem, quò meam hac de re alijs quoque Medicis sententiam, ostendere posset, & quid porrò

porrò facto opus esset, scripto complecterer, rouit. Quod eo modo, sicuti sequitur, illi discedenti exhibui.

Morbum hunc diuturnum & grauem, nos vlcus communis ductus penis, semen & vrinam deferentis, cauum sinuosum & sordidum fuisse, certis indicijs deprehẽdimus. His nimirum, quòd pus continuò illi è pene, etiam citra mictionem, vel presso membro, sponte, & in principio mictionis effluat, ibíque primùm vrinæ permisceatur, eamque turbidam reddat, sed mox iterum in ea, vbi aliquantulum steterit, subsideat.

Hanc autem viam exulceratam, cùm vesicæ ceruix, in profundo iuxta podicem ambiat, eamque constituat, illique penis duo corpora, iuxta anum quoque prodeuntia adnata sint, facilè conijcimus, non tantùm simplicem membraneum hunc canalem, sed & vesicę ceruicem, & penem illi adnatum, non solùm circa exortum, sed & reliquo ductu aliquousque, ad exteriora, vlcus hoc serpendo atque exedendo, occupasse.

Cùm affectus hic iam diuturnus sit, & puris immensa copia iam diu effluxerit, illudq́, sordidum, interdum quoque fœtens & acre redditum sit.

Sed & vlcus hoc, circa radicem penis & vesicæ ceruicem potissimum latens, serpendo versus posteriora, illic quoque sibi viam & cuniculum fecisse, atque sub sphinctere podicis, à quo musculi duo penis præcipui oriuntur, in anum vsque desijsse, hoc ostendit, quòd immissâ in podicem fistulâ, aliquando pus purum, nullis excrementis perfusum, redditum sit; tale omnino, quale è pene nondum vrinæ confusum, solet effluere.

Hisce indicijs veris & infallibilibus, hoc quoque accedit, quòd musculorum os coccygis & sacri ossis inferiorem sedem occupantium, perpetuus ad-

fuerit dolor, cum leui quadam inflammatione & tumore vicinarum partiũ, in ambitu nimirum podicis & perinæi regione, locum affectum manifestò denotantia. Quod sanè non mirum est euenisse, doloremque diu in locis dictis substitisse, cùm & vesicæ ceruix & podex, osis sacri inferiori sedi, & osi coccygis incumbant, à quo etiam sustentantur, & penis ipse ab ossibus pubis & coxendicis, quæ osi sacro committuntur, illic originem trahat, ligamentisque valde vinciatur, ipsumque penem circa radicem ambientes musculi, & ab ossibus illis, & ab ipso podice, cuius sphincteri, vti dictum, penitùs continuantur, prodeant.

Quibus firmissimis rationibus, ex veris Anatomicis obseruationibus petitis, moti, statuimus húc affectum, vlcus fuisse cauum, sinuosum, fistulosum, & vesicæ ceruicem & penis ductum occupans, nó tantùm in ea penis media sede, quæ à podice in perineo sub testibus, corpori adhuc adnata est, sed & ad eam quoque sedem, quæ extra corpus educitur, aliquo modo penetrasse, & postremò ad podicem vsque peruenisse.

Cæterùm an vesicæ quoque corpus affectum sit, atque vlcus eousque pertingat, dubium est, vix enim fieri posse videtur, vt tam diu vlcus in vicinis partibus, citra læsionem aliquam illius substiterit. Verùm cùm pus ipsum continuò per virgam effluxerit, & ad anteriora & inferiora potiùs subsidere soleat, quàm sursum repere; Cumque videamus, pus ante mictionem emanare, & nisi pure commaculetur & turbetur, dum per canalem hunc pure inquinatum & pure semper refertum mingitur, claram & puram alioquin, nisi à frigore corrumpatur, reddi; Existimamus vesicæ corpus non adeò læsum, aut si quæ illius fuerit læsio, eam iam sanatam, atque vlcus hoc, extra vesicæ corpus, in

locis

locis iam enarratis duntaxat subſtitiſſe.

Quò & facit, quòd ſtillicidium vrinæ, in exulceratione veſicæ perpetuum, cum immenſo meiendi ardore (idque quia veſica vlcerata diutiùs vrinam, à qua ſtatim irritatur, retinere nequeat, ſed quicquid in eam influxerit, guttatim profundere cogatur) affectum hunc minimè comitetur, leuisque ille ardor duntaxat, qui interdum in mictione ſentitur, hunc tantùm,cùm vrina penis canalem meiendo pertranſit, partesque illic vlceratas pungit & vellicat, quod vehementiùs vlcere deterſo, minùs vlcere pure obducto, accidit, aliquomodo moleſtet. Vnde veſicam intrinſecùs,in ſuo corpore minimè exulceratam, certis hiſce argumentis perſuaſi, conijcimus. Vti neque renum hîc impuritatem aliquam, aut arenulas hæc accidentia,ſed exulcerationem eam,quę tota extra abdominis cauitatem, potiſsimùm in locis enarratis conſiſtit,concludimus,peperiſſe.

Cæterùm, cùm eiuſmodi internæ penis exulcerationes, aliquando contagioſum Luis venereæ morbum comitentur, aliàs verò ſine eo quoq; poſſint accidere,vti & externæ prępntij & glandis exulcerationes,quas vulgus Cancros vocat,& Bubones venerei & Gonorrheæ virulentę, luis huius interdum quoque ſunt ſymptomata, aliàs verò ſine ea per ſe infeſtare poſſunt; dubium aliud,an à contagioſo illo morbo, vel ab alijs cauſis, hic affectus prodierit: diſcutiendum oritur.

Ego verò obſeruatis ſingulis, cùm alias luis Venereæ indicia nulla poſsim deprehendere,ſed tantùm obſtructiones & cachexiam aliquã, ex morbi diuturnitate, & ex bilis prouentu cõtracta,corpus hoc quoq; diſcoloratum,imbecille languidumque reddidiſſe, appetentiamq; deijeciſſe, videam,non poſſum illum hac lue infectum, pronuntiare.

Præſertim cũ ex vehemẽti & celeri equitatione,

hoc malum ab initio originem sumpserit, aliquandoque inflammationes harum partium processerint, quas abscessus & vlcera sequi solent. Cumque vrinæ suppresio, ab eadem inflammatione, & sordibus meatum obturantibus, interdum eum infestarint, & leui adhuc ex causâ, vrina, vel à medicamento acri catharctico, vel calido accensa, dum vias hasce inflammat atque irritat, mox tumor & calor penis & vrinæ suppresio sequantur: Omitto immoderatum concubitum, à quo etiam citra infectionem, penis exulcerationes frequentissimè prodire indies videmus. Quibus de causis luem Veneream hunc affectum minimè comitari, arbitror.

Cæterùm morbo illiusque causâ explicatis, vt quid deinceps sperandum, prognostico curationi præmisso explicemus, confidimus diuinâ fauente clementiâ, hoc vlcus, quod tam altas radices egerat, tamque latè sese extenderat, vt cura illius deplorata plerisque visa sit, cùm nunc eousque sanatum sit, vt ferè nihil restet, si adhuc aliquamdiu, in cura sequenti perrexerit, posse illum pristinæ sanitati restitui.

Quæ hoc modo deinceps instituí debet. Primùm decentem viuendi seruabit rationem, quo nomine Frigus vitabit, & præsertim ne pedes, aut partes illæ inferiores, ab aëre, aut sessione in loco frigido, refrigerentur, cùm frigidum vlceribus sit mordax & aduersum, cauebit.

Victus ratio sit decens & moderata, præsertim tunc, cùm appetitus redierit, solent enim post longas inedias fieri famelici. Tẽperata ea sit, ad humiditatẽ tamen & frigiditatem aliquã, seu potiùs tẽperiem inclinans, idque ne vrina acris inde reddatur: quo nomine omnia aromata, salsa, acria, acida damnantur; probãtur apoia, dulcia & alimentosa.

Vinum dilutum concedimus, quod tamen non adeò forte aut efficax ſit, qualia antiqua & dulcia eſſe ſolent, ſed vinoſo ſapore præditum, non tamen acido.

Somnus moderatus, & quantùm fieri poterit, rariùs diurnus; Exercitium, vbi dolor lumborum penitùs ceſſauerit, valde erit conueniens, tum ad appetitum excitandum, tum puris excretionem promouendum.

Hiſce rectè obſeruatis, quæ Medicus pro temporis morbique decurſu moderari poterit, remedijs hactenus adminiſtratis, deinceps ſic vtatur.

Iniectiones in exulceratum locum, ſingulis diebus, bis adhuc ad minimùm, vel ampliùs infundat, illasque ſenſim, prout vlcus ſanabitur, imminuendo.

Cæterum, ſi de nouo, quód abſit, recrudeſceret malum, iterumque pus copiosè proflueret, remedia quoque mutanda erunt, vlcusque denuò per vices & abſtergendum & ſiccandum conſolidandumque. Quod fiet, ſi vno die abſtergēte, ſequenti verò ſiccante iniectione vtatur.

Iniectio autem abſtergens hæc ſit: ℞. rad. Liquiritiæ ℥. j. cort. Fabrum ℥. ß. Hordei, Cicerum rubr. an. P. j. fiat decoctio in Sero lactis caprini, ad colaturæ ℔. j. adde aquæ Plantag. ℥. iij. Equiſeti ℥. j. Lixiuij ſi ferre poteſt, ſed ex ſimplici infuſione cinerum facti ℥. ij. diſſolue Mellis ℥. ij. Sacchari rub. ℥. j. Lariceæ claræ ʒ. ij. diſſolutæ cum Melle & Vitello oui miſce: Pro iniectione. Alia iniectio vlcus ſanans: ℞. trochiſcorum alborum Rhazis ſine opio ʒ. iij. lapidis Calaminaris, id eſt, cadm. foſsilis, Tuthiæ præp. an. ʒ. ij. Plumbi vſti & loti aqua Plantag. boli Armenæ puriſsimæ an. ℥. ß. fiat puluis ſubtiliſsimus inſtar alkool, cuius ʒ. j. miſceatur, cum decocto ſequente & inijciatur, addendo ʒ. j. mucilag.

gummi Tragach. factę cum aqua Plantag. ℞. Equiseti, fol. Plantaginis fol. an. M. j. rad. Consolidæ ℥. ij. Ros. rubr. P. j. cort. Granat. ʒ. ij. conquas. decoquantur in aqua Chalybeata.

Tertia Iniectio, si vlcus ægrè sanetur, admodùm laudata talis fiet: ℞. Consolidæ rad. ℔. j. rad. Bistortæ, Tormentillæ an. ℥. ij. Narcisci bulbos num. x. fol. Equiseti, Plantag. Ceterach. an. M. j. Ros. rub. fl. Maluæ autumnalis, Hypericonis an. P. j. Aluminis ℥. j. Album ouorum & Vitellorum num. xx. Macerentur omnia, nam arida esse debent in aquæ Plantag. q. s. vt superemineat digitum vnum, hisce conquassatis, vel ℔. quatuor, destillentur in Balneo Mariæ; Et aqua inijciatur, cui puluis præscriptus quoque addi potest.

Verùm hisce non opus futurum, mihi omnino persuadeo. Atque illud quod reliquum est, posse continuato tabularum mearum vsu, alternis diebus, eas, sicuti iam diu cum successu, & sine alio aliquo incommodo, fecit, sumendo, penitùs sanari.

Reuersus itaque in Burgundiam, in curatione vlcerum, in clunibus restantium, adhuc aliquot septimanas impendit, rariùs, quia puris effluxus è pene cessauerat, iniectionibus vtens, sed tabulas tantùm assumens, sicuti postea à chirurgo ipsius edoctus fui. Qui cum ineunte Vere, in Italiam proficisceretur, primus illum perfectè sanatum, contra omnium spem fuisse, mihi patefecit. Quod & alij postea ad me scripserunt. Quem & dein in Burgundiam profectus, viuum & incolumen inueni, & postea diu adhuc, secundâ vxore, ductâ vixit.

Puris

Puris cum vrina, & sine ea, per penem, vti & ramentorum excretio; Tumor sub scroto; Vrinæ suppressio.

IN viro quinquagenario, pus & ramenta diu & copiosè cum vrina cruenta interdum reddebantur, & sine ea sponte quoq; effluebant: tumorq; in ceruicis vesicæ ea regione, quæ supra podicem est, vbi calculus vesicæ secari solet, prominebat, & cũ vrina frequenter supprimeretur, chirurgus, vt suppetias ferret, eum sectione factâ, in ceruicem vesicæ vsq; penetrante, aperuit, fluxitq; inde quamdiu vulnus apertum mansit, & pus & sanguis, meliusq; tunc se habuit. Recruduit verò vrinæ suppresio, tumorq; iterum eodem in loco renatus est.

Consului insessionem ex decoctione Consolidę, Saniculæ, floribus Chamomil. Meliloti, seminum Lini, in qua sub vesperâ & manè aliquádiu sederet.

Propinaui Lac caprinũ postea Ouillum. In quibus ab initio Consolidam decoquere iussi.

Postea Serum lactis, in quo Ciceres, cor: Fabarũ, Liquiritia, decocta essent, bibendum præbui.

Demùm trochiscos meos pro exulceratione vesicæ & renum, cum Lacte aliquoties exhibui, addendo nonnunquam Saccharum candum.

Quorum vsu, cùm commodum sentiret, non tamen perfectè sanaretur, resque iamdiu producta & veluti desperata esset: Potionem hanc tribus vicibus bibendum exhibui: ℞. Laricеæ ℥.v. Vitelli ou. nu. ij. Mellis ℥.ß. Vini ℥. quatuor. Bibat vt dictum.

Cuius vsu tot ramenta reiecit, vt ad me scriberet, lacerum linteamen ex ipsius vesica prodijsse.

Atque ita sanitati restitutus, An. 1592. & aliquot annos post vixit incolumis.

Puris cum vrina & sine ea per penem effluxus; ab vlcere illius interno sinuoso; Calculi item redditio.

IVreconsultus quidam Burgundus, An.A599.sinuosum vlcus internum in ductu communi vrinæ & seminis habebat. Qui sinus etsi se minimè extrinsecùs aperiret, vti in aliquibus fieri ostẽdimus, & proin nec conspiceretur, tamen contactu fouea iuxta anũ illa deprehendebatur, & ex purulẽta mictione & puris effluxu per penem cognoscebatur, & quòd cùm etiam calculosus esset, calculi interdum è vesica prodeuntes, in eo sinu hærerent, tactuque cognoscerentur. Cùm diu hac molestia, ardoreque simul vrinæ molestatus esset, consilioque meo Vesontij aliorumq; vsus, à lithotomo persuasus, sectionem adhibuisset, eâ nescio an malè peractâ vel gubernatâ, interijt.

Similis ferè casus.

MElius tamen hoc alteri, in nostra vrbe aurigæ cuidam cessit, qui vlcus sordidum in collo vesicæ, & ductu inde emergente, longo tempore, cum ardente mictione, & puris è pene effluxu, cùm haberet, sectione factâ in perinæo eousque pertinente, atque immissis abstergentibus, mox siccantibus vnguentis, quæ præscripseram, sanatus est. An. 1567.

Mictio Lactea sine incommodo diu durans.

COntigit mihi, dum adhuc puer essem, vt frequenter ardor inter meiendum me infestaret, quod tamen, ob pudorem nemini patefacere ausus eram. Postea adultior factus, cùm in Gallia versarer,

farer, rariùs eâ molestiâ diuexabar. In Virili ætate in matrimonio viuenti, aliud accessit: Sub vesperam cùm vrinam reddebam, erat ea, quæ primùm prodibat, valde turbida, & veluti lactea, quæ quiescens nonnihil, materiam albam lactis crassioris instar, in fundo, cochlearis vnius vel duorum mensurâ deponebat, quæ cùm vrinâ agitatâ, confusâ, eam turbidam reddebat, accedente interdum ardore & stranguriâ quadam, inter mingendum: Quod accidens plus quam per viginti annos, citra alium renum aut vesicæ affectum durauit, magisque frigoris tempore, me afficiebat. Dubius qualis hæc esset materia, eam quandoque exiccaui, tuncque Sal quoddam repræsentabat pellucidum, in fibras scissum, & gustui salsum erat. Metuens ego ne calculi essent præludia, cùm in comitijs Imperij, Spiræ essem, Anno 1570. cum primario Imp. Maximil. tunc temporis Medico, Cratone, ea de re contuli, qui calculum renum subsecuturum iudicabat, mihique sano & alacri, atque ad multos Principes praxeos causâ vocato, terrorem incussit. Verùm Dei gratiâ, nihil inde mali secutum, sed iam penè quadraginta ab eo tempore annos, neque hoc accidenti alijsúe renum aut vesicæ morbis, infestor.

Mictio sanguinolenta, ob calculum renum.

MAtrona, quàm sanguinem ob congressum violentum expuisse, in sanguinis expuitione ostendimus, An. 1608. post duos menses alio affectu molestari cœpit. Vrinam turbidá manè mingebat, & tribus vel quatuor horis post prandium, rubram & cruentam, doloremque se in latere dextro, sursum in latus & deorsum in crus vsque protensum sentire, se aiebat.

Cui respondi, ex vrina & scripto adiuncto, dilucidè me intellexisse, calculum in rene dextro latère compactum; iam à multis annis, & concretum ex arenulis, quæ successu temporis renibus adhæserint: dolorem quidem nullum priùs eum intulisse, cùm substantiæ renis insensili impactus fuerit, & iam primùm, cùm in vreterem tendat, dolorem efficere, & proin ex incessu, statione & motu, dolorem illam persentire, quiescentem verò & recumbentem, ab eo leuari; huncque calculum, causam esse, quòd vrina rubra existat, quando ex motu, substantiam renis atterente, sanguine effuso tingitur, qui tandem subsidet & nigrescit, sicuti eum in eius vrina conspexerim, clarescere verò denuò vrinam, remeante calculo in cauum renis, doloremq; tunc etiam cessare. Hoc sic accidere, in multis me obseruasse, in quibus calculus latens, post vehementes motus, tandem se mictio- ctione cruentà & dolore patefecerit. In viduis posse idem euenire, vt qui priùs latebat, postea cùm nubunt, ob commotionem lumborum, primùm se hisce indicijs prodat calculus, potuisseque & in hac matrona, quæ tam diu ab actu hoc abstinuerit, & postea repetierit, idem euenire.

Prædixi, difficulter hunc calculum comminuendum, & si in vreteres propellatur, dolorem intensiorem subsecuturum, cùm ægrè in vesicam sit descensurus.

In omnem tamen euentum, Trochiscos de Alkekengi cum & sine opio, vt successiuè illis vteretur, præscripsi. Frequentiùs sine opio paratas ʒ.j. quantitate, biberetque puluerizatas cum lacte Caprino. Atque si dolor admodùm vrgeret, alias quæ opium recipiunt.

Renumque regionem vnguento Refrigerante Galeni interdum inungeret.

Ther-

Thermas, quibus vti cupiebat, cùm adeo conuenire non possent, dissuasi, donec denuò de successu certior redderer.

Ad hæc viuendi rationem idoneam præscripsi, & præsertim marito, siquidem omnino prohibere non licebat, vt rariùs eam exerceret, suasi.

Adieci postremò, consolationis gratiâ, fieri plerumque, vt ex continua renis affecti hac, à calculo attritione, substantia illius penitùs abradatur, remanente solâ membranâ aliquâ, marsupij instar, loco renis affecti, & tamen altero rene sano, viuere ægram nihilominus posse. Quod & euenit, nam aliquot adhuc annos viuens, in neutro statu, tandem alio morbo superueniente, extincta est.

Mictio cruenta ob calculum renum.

HAc laboranti cuidam, tale consilium dedi. Anno 1572. Clarissimus & doctissimus vir, ex vehementiori motu, imprimis illo, quo lumbi validiùs aguntur, vrinam sanguinolentam reddit, idque iam longo tempore.

De loco affecto dubitatur, an à renibus, vesica, vel pene, læsis, sanguis prodeat? Verùm à pene affecto non emanare illum, hoc ostendit, quòd is vrinæ tantùm permixtus, nec sine illa reddatur. Nec à vesica proficisci, confirmat, quòd nullus circa ipsius regionem, dolor sentiatur, aut inter mingendum ardor aut molestia. Verùm à renibus eum prouenire, dolor obtusus, circa renis dextri regionem, ostendit, & quòd sanguis vrinæ penitùs confusus, cùm mingitur, reddatur. Quod & motus, mictionem cruentam prouocans, declarat, cùm læsi intrinsecus renes, ex leui mo-

tu attriti, cruore quo ſubſtantia ipſorum abundat, commoto, ſerum quòd illos peruadit, lingant, ſicuti & hîc in altero rene euenit.

Cæterùm ab eroſione ſubſtantiæ interioris renis, læſionem hanc illius prodire, ſatis patet, quòd exigua ſanguinis quantitas, & non niſi cùm reni impellitur, reddatur; cùm ſi à vena rupta fluit, copiosè fluere ſoleat, quod hîc non modo non fit, ſed neque renum ſubſtantiam permeantes ſinus rumpi, vti venæ alibi, cùm liberæ, nec parenchymatibus viſcerum immerſæ ſunt, poſſunt; dein & cùm calculos excreuerit, ab illis renem attritum fuiſſe, non eſt dubium. Verùm cùm minimè purulenta adhuc ſit mictio, nondum in vlcus ſordidum, eroſionem hanc deſijſſe, conſtat.

Ad attritionem itaque illam renum ſubſtantiæ, ſeu leuem exulcerationem ſanandam, vt maturè, antequam in vlcus cauum & ſordidum conuertatur, occurratur, ſiccantibus & aſtringentibus, quæ conſolidantia vocant, ſic vtendum, ne nimiùm conſtringendo ſanguinis grumos retineant, ſabulumque continuò in renibus coaceruari ſolitum, ſiſtant, vnde grauiora dein ſequerentur incommoda; ob quam cauſam, nonnihil abſtergentia, & lenientia haſce vias, illis ſunt permiſcenda, hocque modo vſurpanda.

In viuendi ratione, caueat ſibi ab acribus aromatibus, & ſalſis alijsque, quæ vrinam accendunt, accuuntque.

Hordeum, Oryzam, munda beneque cocta, in frequenti vſu habeat; & in fine menſæ indies comedat, quibus ſi Saccharum roſ. tabulatum permiſceatur, vtiliora; Si cũ Lacte aliquando coquantur, efficaciora fient.

Oua recentia ſorbilia, ieiunus frequenter exſorbeat;

ſorbeat, Sacch. loco ſalis addito, vti dictũ, roſaceo.

Lac ouillũ, ſi ventriculus ferat, ieiunus aliquandiu bibat, pariter addito Sacch aro priore, vel cando, aut penidiato.

Fructibus aluum lenientibus, recentibus aſsis, vel ſiccis, in fine menſæ ſæpe vtatur; veluti, Pomis, Prunis, Ceraſis dulcibus, & Pyris quoque coctis & Cydoniato.

Dein vt aluus lubrica fieret, atque vrina minùs bile perfunderetur, vt bolum ſequentẽ bis in menſe aſſumeret, ſuaderem: ℞. Caſsiæ rec. extractæ ʒ. vj. pulpæ Tamarind. & Sebeſten an. ʒ. ij. pulu. rad. Glycyrizæ ℈. j. Sacchari q. ſ. fiat bolus.

Syrupo dein hoc ſingulis matutinis menſura cochlear. ij. per ſe, vel diſſoluto priùs in iuſculo Cicerum, vel Piſorum rubrorum, vtatur, mox ab illius vſu, tabulam vnam Sacchari roſ. tabulati ſumendo; cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. rad. Althæ, Liquiritiæ an. ℥. ij. rad. Conſolidæ mai. ℥. j. ß. rad. Biſtortæ ℥. ß. cort. Cucurbitæ ℥. j. herb. Plantag. M. ij. Agrimoniæ, Burſæ paſtoris, Polygoni, Ceterach. an. M. j. Sebeſten. Iuiubar. an. paria xx. ſeminum Portulacæ, Perfoliatæ, Berberis, Papau. albi an. ʒ. j. ſem. Aniſi ʒ. ij. ſem. Cucurb. ℥. ß. ſem. Melonum ʒ. ij. fl. Cordial. P. j. fiat decoctio in decocto Cicerum rubr. & in col. ℔. ij. diſſolue Sacchari puriſſ. quart. j. Penid. ℥. ij. fiat decoct. ad conſtitentiã ſyrupi: Vtatur, ſicuti iam oſtenſum fuit.

Extrinſecùs renis affecti regionẽ vnguento Refrigerante renes Galeni, vel Roſaceo Meſuei inungendam cenſeo.

Et ſi mictio cruenta permaneat, ſequens adhibendum erit: ℞. ol. Roſ. omphacini ℥. j. ß. ol. Myrtillorum ʒ. j. Aceti roſ. ʒ. ß. ſucci Plantag. ℥ ij. addit. boli Arm. ʒ ij. ſang. Draconis ʒ. ß. Camphoræ ℈. j Ceræ q. ſ. fiat inſtar nutriti.

Hoc consilium cùm exhibuissem Medico cuidam sexagenario, eunucho, à remediorum copiâ abhorrenti, horum vsu restitutus, diu adhuc postea, liber ab hoc affectu, vixit.

Mictio cruenta ob eandem causam.

COnsulis cuiusdã vxor cruentam reddebat vrinam, non alium dolorem quàm grauitatem lumborum sentiens. Prædixi calculum renum, cuius indicia post dies quatuordecim apparuerunt, reiecto tunc uno tereti, sed aspero.

Dedi aquam Plantaginis vt biberet, moxq; vrinæ naturales incruentæ rursum sese manifestarũt.

Mictio sanguinis ob casum mox grumosi tandem & puris: Lumbricorum item inuicem conuolutorum deiectio.

PVer quidam septennis, pallidus, nec ita benè sanus, ex casu ab alto, conquerebatur de summo dolore, in ima ventris regione, circa os pubis: sanguinem mingebat.

Potionem hanc propinaui: ℞. Mumiæ ʒ.j. Cinam. ℈.j. Cubeb. ℈.ß. cum aqua Bursæ past. fiat potio. Excreuit grumosum sanguinem, cum vrinis copiosè, & fœtidam vrinam, quam ego propter mumiam fœtere credebam.

Alteram sequenti die dedi, quæ ℞. trochisc. de Charabe, Mumiæ ana ʒ.ß. cum sero Lactis, misce: Bibat. Denuò concretum & puruleatum eminxit sanguinem.

Verùm non cessabat dolor in perinæo, & quia contusio aliqua illic apparebat, illud inungere iussi sequenti: ℞. vnguenti Dialtheæ & Resump. an. ʒ.ß. sanguinis Draconis ʒ.j. pul. Absynthij & far. Fabarum

rum an. ʒ.ij. Butyri rec. ℥. ß. fiat linimentum.

Bibit decoctum Gallinæ nigrę cum plumis, addità Bursâ pastoris recenti.

Cessarat purulenta & cruenta mictio, dolorque circa pubem. Sed torsiones in ventriculi regione sentiebat, & conuulsionum quædam præludia; suspicatus sum lumbricis illum infestari.

Dedi itaque sequentem potum: ℞. Rhabarbari ℈.j. sem. Contra vermes ʒ.ß. Cum decocto Gallinæ bibat. Deiecit nouem lumbricos, inuicem conuolutos, ita vt rotundum globum efficerent. Ab eo, nihil mali ampliùs passus, colorem viuidum, cùm prius longo rempore, etiam ante casum, pallidus fuisset, rursùm recuperauit, sanusq; factus est. Anno primo Praxeos meæ 1557.

Mictus sanguinis concreti & puris, ob casum, ob quem & sanguis ex naribus, auribus & oculis fluebat.

PVer quidam per fenestram ex supremo ædium conclaui, in vestibulum latis saxis stratum, in caput Anno 1574. decidit, vnde totus attonitus erat, nihilque sentiebat, sanguisq; ex naribus, auribus & oculis effluebat, mox tamē ad se reuersus, cessantibusque illis hæmorrhagijs, sanguinis grumos tandemq; pus mingere cœpit.

Dedi illi ante omnia, ad sanguinis grumos, si qui superessent, dissoluendos hanc potionem: ℞. rad. Rubiæ mai. Rhabarbari an. ʒ. ß. Mumiæ ℈. j. Cubebarum ℈. ß. fiat puluis: Bibat cum aqua Plantaginis.

Dein decoctum quo in casibus eiusmodi vtor exhibui. Quod paratur, ex Gallina nigra euiscerata, cocta cum plumis, addito P. j. fol. Bursæ pastoris: Colaturam bibit aliquoties.

Cæterùm quia ſanguinis grumi vrinam retinebant, iniectio ſequens per ſyringem in veſicam facta eſt: ℞. decocti Gallinæ vt ſupra, Seri lactis, ana poculum ß. diſſolue trochiſc. Alkekengi & Albarum Rhazis an. ʒ.j. miſce; Vtatur ſæpe.

Poſtea, quia ex puris effluxu copioſo, vlcus ſordidum eſſe cognoui, in ceruice veſicę, hac iniectione vſus ſum: ℞. trochiſc. Alkekengi ʒ.j. vnguenti Diapompholyg. ℥. ß. Litharg. cocti in aqua Roſ. ʒ. ß. aquæ Plantag. & decoctionis Gallinæ an. quart. j. album Ouorum nu. iij. miſce.

Cùm melius ſic ſe haberet, remaneret tamen ardor vrinæ, & parùm mingeret, iuſsi manè aliquandiu bibere Serum lactis, cum aqua Albuminis oui conquaſſati illi permixta, & Saccharo, idemque in veſicam infundere.

Poſt octiduũ ſanitati reſtitutus eſt, fluebant tamẽ ex aure altera, guttulæ adhuc aliquando ſanguinis, ſine tamen auditus impedimento, qui fluxus ſponte iterum ceſſauit.

Vrinæ per foramen aliud à naturali in glande, vti & ſeminis redditio.

NObilis quidam capitaneus, præter foramen in glandis media anteriore ſede, ſecundùm naturam formatum, aliud quoque ſubtus circa glandis radicem, & præputij exortum, ab ortu habuit, per quod micturus, vrina deorſum ferebatur, ita vt, niſi caueret, ſe commacularet, atq; vti mihi fatebatur, ſemen quoque emittebatur. Vxorem ducturo, an hoc impedimentum adferre poſſet, cùm ex me quæreret: Reſpondi, ad actum quidem obeundum, non multum, vti ipſe expertus teſtabatur, ſed quò minus vxor concipere poſſet, cùm foramen, per quod ſemen profundebat, orificio vteri interiori non reſponderet, obſtaculo fore.

fore. Dediq; consilium, vt sectione per hoc præternaturale foramen factâ, abrasis vtrinque foraminis huius labijs, tanquam vulnus sanaretur, vt sic foramine hoc occluso, semen per anterius foramen vti & vrina rectà antrorsum emitteretur.

Verùm cùm non obtemperasset, & nhilominus vxorem duxisset, id quod futurum prædixeram, accidit, vt nulla secuta sit conceptio, & quia fortè vxori nō satisfaciebat, indignatio, quod ex eo colligere potui, cùm in militiā profectus, alibi potiùs quàm cum vxore vitam transigere maluerit.

Vrinæ per foramen aliud à naturali, in membro virili, emictio.

POst sectionem factam, sub penis prominentis è corpore media longitudine, in Barone quodam adolescente in canali communi vrinam, & semen deferenti, pro eximendo calculo, qui illic substiterat, cùm vulnus diu apertum illic permansisset, in fistulam desijt, per quam vrina mingenti, effluebat, nisi immisso cathetere amplo in foramen naturale glandis, atq; infra aliud foramen adacto, antequam vrinam redderet, effluxum eò dirigeret, quod cōsuetim facere solebat, ne se vrina alioquin deorsum fluente, madefaceret, continuabatq; hoc ad annum ætatis vsque vigesimum, sicque hunc meatum ampliarat, vt citra difficultatem catheterem intruderet. Consultus super ea re, suasi, vt sectione forfice labia vulneris abscinderentur, postea vt vulnus sanaretur, verùm auocato eo, cura hæc neglecta fuit. Post duos annos reuersus, me inscio chirurgum accersiuit lithotomum, qui forfice in fistulam intrusâ, eam in longum dissecuit, vulnusque duorum digitorum latitudine aperuit, quod cùm iterum, claudendum fueret, mox disruptis ne-

xibus, labia vulneris diducta, & nouâ cuticulâ obducta, aperta manserunt, ac postea longè amplìore & longiore aperturâ, canalis ille patens vrinam, nisi canali immisso, eam ad anteriora deriuaret, profudit, vti & sine dubio semen, quod etsi ille ob modestiam tacuerit, tamen ex eo licuit coniicere, quod de matrimonio contrahendo, hic defectus & parentes, & ipsum sollicitos reddebat. Ego de nouo vulnus refricandum suaseram, atque emplastro, quod firmiter hæreret, non suturâ labia iungendum. Verùm quid in patriam reuocato interea factum sit, nescio.

Vrinæ per fistulam in perinæo effluxus.

EX vlcere sub pene, vbi primùm à corpore emergens prodit, fistulosum foramen remásisse, longoq; tempore perseuerasse, vrinamq; profudisse, in nobili quodam vidi, quod sectione illic factâ, quale lithotomi pro calculo è vesica, eo in loco extrahendo moliri solent, derasisq; labijs in fistula, facili negotio postea tanquam vulnus simplex sanatum fuit, sicuti & vulnera à lithotomis ibi facta, nulla adhibitâ suturâ, interdũ & nullis emplastris, spontè iterum coalescunt.

Vrinæ per simile vlcus in eadem sede effluxus, per quod & pus & calculi prodierunt.

MVltos annos quidam ephippiarius, in perinæo supra podicem, vlcus habuit fistulosum, per quod vrina effluebat, cum pure copioso vrinæ permisto, in qua subsidebat, eratq; album tenax & fœtidissimum; hoc serpebat, locumque interdum

muta-

mutabat. Atq; anni elapso spacio, cùm acidas aquas bibisset, per illud foramen calculi albi, quàplurimi, friabiles, nunc parui, nunc maiores, auellanam magnitudine adæquantes, & nonnunquam superantes, per aliquot menses prodierunt. Ardorq; meiendi præcipuè illi molestus erat. Tandem peste sublatus, expirauit.

Vrinæ effluxus, per vlcuscula seu foramina, inter testes & anum occurrentia.

QVidam, cùm aliquandiu pus è ductu penis promanans, ob exulcerationem intrinsecùs in eo loco factam, indusium commacularet, tumor in perinæo, ea sede, quæ est inter anum & testes, iuxta suturam Raphe dictam, obortus est, quem cùm tangerem, de vlcusculis subsequuturis, sicuti hoc priùs accidisse sæpè in alijs obseruaueram, prædixi.

Ad eum tamen emolliendum, Emplastrum de Meliloto adhibui, & postea Cataplasma paratum ex rad. Altheæ, Liliorum, Maluæ, Violariæ, Solano, Tapso barbato, flor. Chamomil. Ficubus, decoctis & tusis, cum farina Fabacea & Hordeacea, Oleo & Butyro: quorum vsu tumor emollitus, discussusque tandem euanuit.

Verùm mox vlcuscula quædam exigua, per quę vrina emanabat, propè anum, vbi vesicæ ceruix, in penis canalem desinit, vti prædixeram, proruperunt, ad quæ sananda, cùm chirurgi extrinsecùs adhibuissent, experiundi gratià, an per assumpta interna sanari possent, sequés decoctum matutino tempore aliquot dies bibendum præscripsi: ℞. rad. Consolidæ mai. Fœnic. an. ℥. j. ß. rad. Aristol. ℥. ß. herb. Saniculæ, Consolid. Sarracen. Perfoliatæ,

Matris ſyluæ, Betonicæ an. M.j. Hyſſopi M. ß. fol. Alkekengi P. j. fiat decoctio in Aquæ & Vini ana ℔.j. addendo Sacchari penid. vt dulce fiat, clarificetur: Bibat.

Poſtmodum de ſequenti puluere ſumpſit, continuatis vicibus, vno die bibendo decoctum, altero ſumendo puluerem: ℞. trochiſc. Alkekengi ʒ.j. Diapenid. ʒ.ij. ſem. Maluæ & Lini an. ʒ.ß. Sacchari penid. ℥.j. fiat puluis: Capiat ʒ.j. pro vice.

Ita ſenſim interna exulceratione ſanata, externa illa foraminula etiã coaluerunt, & ſic præter ſpem, ab hiſce vlceribus, quæ in alijs quibuſdam in fiſtulam conuerſa, incurabilia eſſe ſæpiùs obſeruaui, fuit Anno 1611. liberatus.

Alius ſimilis caſus.

MIles quidam, eiuſmodi fiſtuloſa exigua foraminula, in eadem perinęi ſede, longo tempore, habuit, quæ cùm à chirurgo ſanari non poſſent, etſi per ea vrina tranſudaret, tandem neglexit, atq; intemperanter viuens, morte præuentus, alia curâ minimè vſus eſt.

Alius itidem ſimilis ſed deterior affectus.

HOſpiti cuidam ab interiore penis canalis exulceratione diu perſeuerante, cùm puris ſpontaneo effluxu, tandem vlcuſcula ſimilia, vnde & pus & vrina prodibant, in ea ſede interfœminei enata ſunt, quæ, quia vlcus internum, per veſicæ collum ad veſicam vſque repſerat, & veſicæ exulcerationem ſimul pepererat, morte ſubſecutâ, vlcera incurata manſerunt.

Vrinæ

Vrinæ ex inguinum regione, per fistulam ex vulnere relictam, iam multos annos effluxus.

PIscatori cuidam Basiliensi, sarcite laboranti in teste dextro, cùm subitò vrina penitùs suppressa esset, nec vllis remedijs, vel immisso quoquè cathetere promoueri posset, adeoq; ventris distentione conatuque mingendi assiduo angeretur, & ad extremum vsque periculum peruenerit, consilio nostro, ad sectionem sarcitis, quam aliqua ratione causam huius suppressionis esse, certis coniecturis statueramus, & quæ alioquin, cùm mole nimiâ in immensum excreuisset, auferenda erat, deuentum fuit. Ibi cùm sectio in inguine, (vt moris est) primùm fieret, lithotomusque in separanda carnositate, quæ eousque excreuerat, laboraret, casu vesicam illic quoque nimiâ distentione ampliatam productamque vulnerauit, atq; vrina maximo impetu in altum prosilijt, subitòque æger omni molestia liberatus est. Postea verò teste illius lateris execto, sarcitem successiuè mensis ferè spacio amputauit, vrinâ interim continuò, vnâ cum frequenti arenularum copia, per vulnus emanante, nec per penem, nisi guttatim exstillante. Tandem vulnere sanato, fistula in inguinis regione remansit, per quam immisso cathetere breui, quem cōtinuò gestabat, vrinam totum biennium, incolumis alioquin reddidit, neq; per penem ampliùs eminxit. Postea sensim ampliato foramine, ad vrinam dies noctesq; retinendam, turunda coniformis ex panno formata, intrusa, quam iam supra viginti annos, nihilominus obambulans, sanus alioquin, & iam ferè decrepitus gestat. Mirum sanè quomodo vesica, quæ aliàs in abdominis cauitate, sub ossibus pubis latet, extrorsum ad inguen vsq; vbi vulnerata fuit, peruenire potuerit.

Hoc ego inde factũ existimo, quòd ruptura prò cessus peritonęi, in inguine, vti in enterocele solet, simul adfuerit, erat enim immensus tumor, sarcites verò exectus paruus, & proin hic tumor ab intestinis & omento in scrotum etiam descendentib. auctus fuit, simulq; vesica admodùm distenta, ad inguen, vbi sectio hæc facta, quoq; porrecta fuit, illicque cùm vulnus chirurgus pro teste eximendo, vti solent, induceret, vesicam tetigit læsitque.

Vrinæ è lumborum regione per vulnus effluxus.

IN Gallia Narbonensi cùm essem, accidit dũ spectacula ederentur, atq; inter reliqua taurus cum leone certaret, vt cum tauro fugienti Heluetius Tigurinus quidam, regis Nauarręi satelles se opponeret, ab eo cornib. petitus, altero in pectine circa regionem vesicę intruso, penitùs transuersim, perfoderetur, atq; vrina in lumborum regione emanaret. Hic tamẽ chirurgi Monspessulensis operâ sanatus, sine omni incõmodo, diu postea superuixit. Quo exemplo, vti & alijs edocti, ea vesicę vulnera, quæ in carnosa illius parte accidunt, vel alia quoq; vbi caro illi contigua est, quâ accrescẽte, occludi & callo obduci possunt, eadem ratione sanari posse, vt de intestinorum vulneribus dictum est, non nunquam statuimus, & proin non omnia vesicæ vulnera incurabilia. Quod & in vacca, in prædio nostro accidere vidimus, quæ diu antequam mactaretur, pedibus in glacie, distentis, cùm ex casu in glacie cruribus, in ventrem corruisset, & ab eo tempore inuoluntariè minxisset, tãdem in eâ mactatâ, vesicam confractam, ex hoc casu fuisse, & callo illic adnato maximo pugni magnitudinis instar, denuò obliteratam, illicque vicinis locis adnatam, lanio demonstrante, deprehendimus.

IN

IN DEIECTIONE Obſeruationes.

Diarrhœa ob Vinum dulce hauſtum.

CVm 6.Decemb. Anno 1597.in conuiuiò quodam, vinum Creticum dulce, paulò largiùs bibiſſem, noctu ardorem ſtomachi (qui mihi familiaris eſt, poſt cibos acres, ſalſos aut corruptioni obnoxios ingeſtos) ſenſi, caloremq; aliquem præternaturalem, cum dolore capitis. Et quia ſomno, vti aliàs fit, hæc non diſcutiebantur, nàm mediâ nocte, ægrotæ cuiuſdam morientis causâ excitatus fueram, totâ die ſtomachus nonnihil offenſus erat, & ſitibundus.

In cœna & paulò ante illam, denuò vini Cretici, ſed parùm admodùm & dilutum Vino cõmuni bibi. Tota nocte conatum quendam deijciendi ſenſi, ſed ſomno obrutus, aluum retinui.

Manè copioſam excreui, per aluũ materiam, vti & nocte, dieq; altero, & rurſum nocte ſeq. ſedibus ad minimùm triginta, ſingulis bis terúe egerendo, idq; interdum ſine moleſtia, aliàs cum torminibus ardoreq; podicis. Bilioſa lutea materia copioſa permixta erat excrementis, interdum & ſubuiridis, & nõnihil atra: Muci item maxima copia tenacis, qui fibras quales in ſanguine in aquam calidã per phlebotomiam emiſſo, ſpectantur, nõnihil exprimebat. Guttæ aliquæ fibræque aderant cruentæ. Corpus admodùm erat deiectũ, horror, calor, ſitis appetit⁹ proſtratus. Ventriculi dolor & ructus aſsidui.

Tertio & quarto die, noctu quater, totieſque interdiu ferè deijciebam, ſed ſolos tantùm humores prauos, bilioſos, mucoſos, ſemelq; æruginis inſtar æris, ſubatræ nonnihil portiunculam.

Vẽter admodùm offenſus, qui vix contactũ ferebat, & quia cruoris puncta ſemper cõſpiciebantur, de dyſenteria, ne ſuperueniret, eram ſollicitus.

Quinto die, hæc nonnihil remittere cœperunt; viresque se recolligere, præsertim sexto die, quo & appetitus quoq; redire cœpit, sedesque iterum ad excrementorum naturam accedere, fluidæ tamen adhuc, sed paucæ.

Quia naturæ opus hunc casum esse videbam, & illuuiem diu collectam, cùm nullis alioquin vtar purgationibus, vti nec venæ sectione, sic illius beneficio expurgari, sistere hunc fluxum non erat consultum, idq; præsertim, cùm non adeò immoderatus esset, aut vires obrueret, quod saltem præcauendum erat, vti & ne intestina exulcerarentur, vel inflammarentur, quod bonâ viuendi ratione præstiti.

In calore me continuò continebam, ventrem puluinis calidis contegebam, pedes calefaciebam. Et cùm decubitus in latus sinistrum, tormina & sedes promouere viderentur, in dorso quieui, vel erectus sedi.

Iusculis gallinæ vtebar, item oryza & hordeo; benè in iure dicto coctis, quibus potissimùm intestina, ne promptè afficerentur, muniebam. Rariùs auenato; permiscui interdum sed rariùs Aceti rosac. tantillum, idque propter sitim, & bilis acrimoniam infringendam.

Bibi lac Amygdal. coctâ priùs benè aquâ. Nonnunquam, & Vinum, quod sapiebat.

Tandem redeunte appetitu, oryzam cum lacte comedi: Panis talleolos ouo conquassat. intinctos, & frixos. Item de gallina, perdice tantillum, & ad Vini consueti vsum redij.

Perseuerarunt flatus, sedesq; nondũ naturales; sed bilioso humore oblitæ, cruciatum adhuc mouentes, sed rariùs excretæ, ad nonum vsq; principij diarrhϾ diem. Tumq; ad deiectiones naturales, tempore consueto matutino, natura redijt.

Diarrhœa

Diarrhœa ex potu Vini noui.

NImio potu Vini noui nondum defœcati, nobilis quidam senex, An. 1596. Nouembr. mens. in diarrhœam incidit, ita vt singulis horis decies & ampliùs deijceret materiam aqueam, fœtidam, noctesq; insomnes duceret.

Biduo post 9. Nouembr. Anno 1596. vocatus, cùm de rosione & ardore ventriculi conquereretur, admodumque sitiret: Præscripsi primùm, vt Vinum in quo Absynthium & Maiorana infusa erant, in principio mensæ biberet.

Ante prandium cõditum Cydoniorum, & cort. Citri sumpsit, atq; ante cœnam similiter.

Oryzam coctam cum Iure carnium, vt in prandio & cœna sumeret, consului.

Ventriculi regioni emplastrum pro stomacho, in ol. Nardino malaxatum, & puluere Gariophyl. Nucis mosch. & Rosac. conspersο, formâ scuti adhibui.

Sub noctem pedes in Lixiuio, & Vino, incoctâ Saluiâ, lauare calidè iussi.

Cùm nondum remitterent sedes, sequenti die repetere iussi.

Item Oryzam cum Amylo decoquere, & aspersâ nuce Moschatâ, parùm tostâ, ita sumere.

Assis tantùm est vsus, & Vinum vetus bibit, moxq; est restitutus.

Diarrhœa, dolor ventriculi & dorsi.

QVædam fœmina ob morbum mariti, mœrore & vigilijs debilitata, alioquin pallido colore, in diarrhœam incidit, dolores ventriculi & dorsi simul patiebatur: quib. perseuerantibus, admodùm imbecillis, meo consilio 4. Decembr. Anno 1601. vsa est sequentibus.

Primùm hoc electuarium præscripsi: ℞. conseruæ Rosarum ℥.j. Maioranæ, Carnium cydoniorum condit. an. ℥.ß. Cinamomi crassi, radic. Bistortæ ana ʒ.ß. syr. Cydoniorum q.s. fiat electuarium. Verùm cùm quicquid sumeret, statim eam ad deiectionem sollicitaret, seu cibus aut potus esset; ita neque ex illius medicamenti vsu, licet stipticum esset, alui deiectio minui, sed quoties sumebat, moueri potiùs cœpit.

Itaque altera die Cataplasma ventris & ventriculi regioni apponendum, bisq; aut ter renouandum, tale præscripsi: ℞. Cydoniorum (quæ tunc inueniebatur) coctorum in Vino ℥.vj. Panis laminarum parùm tostarum ℥.ij. Contundatur, addendo Masticlies puluerisati ℥.j. Balaustior. ʒ.ij. Rosar. rubrarum, Absynth. an. ʒ.j. adde olei Nardini, Mastichini an. ℥.j. fiat Cataplasma.

Vsa quoq; fuit Vino hoc Hippocratico: ℞. Vini rubri optimi mens. ß. adde pulueris Cinamom. ʒ.vj. radicis Tormentillæ, Bistortæ an. ʒ.j. Nucis mosch. ʒ.ß. Sacchari ℔. ß. Passentur per manicam donec clarum & efficax fiat.

Pedes in decocto sequenti immergere iussi, manè & vesperi: ℞. radic. Bistortæ ℥.ij. Saluiæ, Agrimoniæ an. M.ij. flor. Chamom. Sambuci an. P.j. coquantur in Vino & Lixiuio.

Oryzam comedit cum iure carnium: Oua sorbilia ebibit, sicque subitò emolumentum sensit & conualuit.

Diarrhœa in grauida vehemens, citra periculum.

COnsulis cuiusdam vxor, grauida à duob. mensibus, febre laborauit continuâ, non tamen adeò acutâ: Accessit diarrhœa tam vehemens, vt ferè integrum mensem singulis sæpè horis decies vel duodé-

duodecies deijceret, nec tamen abortiuit, sed conualescẽs, cùm iam constaret illam vterum gestare, tempore decẽti, puerum enixa est viuidum, quem postea ex sacro fonte excepi.

Lienteria & Cœliaca affectio in infante.

PVer quidam Princeps, Marchio, annum natus, post ablactationem, mense vno, cùm dentire inciperet, alui fluore, die Iouis, qui 24. Maij erat, cœpit corripi. Deijciebat quater vel quinquies in die, materiam pultis instar, huic quâ pasci solebat, ex farina & lacte coctæ, non admodùm dissimilem, & veluti chylosam, bile tamen tinctam, admodumque acrem & fœtidum odorem spirantem. Cùm non cessaret hic fluxus, diebus tribus sequentibus, sed augeretur potiùs, infansque nonnihil calere & sitire inciperet, appetitusque ex parte minui, sitis verò augeri, absentibus patre & matre, Principib. marchicis, qui mihi liberos commendarant, vocatùs die Pentecostes, Anno 1599. vitio ventriculi hoc accidere, quòd singultus diu perseuerans sæpè comprobabat, & quandam lienteriam cum cœliaco morbo subesse iudicaui, dolore tamen ventris minimè torquebatur, nisi quòd murmura quædam, quando deijciebat, & flatus simul erumpere audiebantur.

Primùm syrupum Cydoniorum cum cochleari exhibui, cui interdum puluerem Corallorum rubrorum, & tantillum pulueris radicis Tormentillæ permiscui.

Eundemq; syrupum cum aq. Rosarum recenter exstillata alioquin propinaui.

Ventriculi & ventris regionem ol. Mastichino indies bis inungere iussi.

Terque tantùm in die pultem exhibere, cuius portioni interdum Corallos miscui.

Aquam quam bibebat, priùs in vitro decoquere, posteaq; Panem tostum huic indere, eamque, sed si fieri posset, rariùs exhibere.

Martis die, cùm non cessante fluxu, præcedenti die octies deiecisset, sed sine omni dolore ventris, alacrisque nihilominus esset infans, minùs tamen more solito benè habitus, iussi Oryzam cum Lacte decoquere, verùm cùm respueret, pultem cum Lacte, in quo silices albi extincti essent, coquere iussi.

Lac amygdalinum interdum loco aquæ propinaui, & cùm admodùm manè singultiret, syrupum Cydon. quo delectabatur, exhibui, statimque singultus cessauit.

Cataplasma ex illis quæ ad manum habere poteram sic paraui: ℞. Cydonia & Pyra sicca, vti incisa asseruari & siccari solent P. ij. Panis tosti priùs parùm, ablatâ circumferentiâ nimiùm vstâ, laminas duas, decoquantur in Vino rubro, donec mollescant, contundantur, addendo pulueris Rosac. rubr. Absynth. ana ℥.j. Mastiches, Boli armen. ana ℥. ij. ol. Mastiches ℥.j. Misceantur & extendantur supra pannum, & ventriculi regioni ac ventris apponantur; Repetanturq; ter in die, quando ad dormiendum fascijs inuoluitur.

Repetitum altera die fuit, additis ol. Mastiches ℥.j. Cydon. Nardini an. ℥. ß. pulueris Mastiches ℥.j.

Sicque mox postea expurgatâ omni illuuie, malum cessauit.

Cœliaca affectio cum Lienteria.

IN præcedenti Historia descripta fuit.

Purgatio

Purgatio per aluum violenta & cruenta, ob colocynthidis sinistrum vsum.

MEdicus quidam iunior, Principi cuidam pilulas purgãtes exhibuit, quæ cùm non operarentur, sequenti die rursum similes propinauit; illisq; vt validiores essent, colocynthidis pulpam, saltem puluerisatã obiter, nec alio modo præparatam commiscuit, quarum vsu, princeps propter infinitas deiectiones, easq; cruentas, torminibus maximis excruciabatur, cuius minas Medicus metuẽs, ex aula se aliò recepit. Postmodùm cum Principis coniunx mihi hæc narraret, existimaretq; toxicum à Medico quo interficeretur, ab alijs instigatũ, illi propinasse, eo indicio id maximè probans, quòd Medicus cùm pilulis in mortario mixtis, vt non nisi benè mundato eo vterentur, prohibuisset. Ego Medici summi mei amici integritatem cognitam habens, statim conieci, colocynthidem fuisse, cuius amaritudine cùm mortariũ infectum fuisset, ideò Medicũ, vt non nisi eo abluto vterentur, inter dixisse; atq; etiam ex cruentis deiectionib. colocynthidem fuisse, quæ ita, nisi benè pręparetur, intestina adurere soleat, satis potui cõijcere, & proin non intoxicare Principẽ Medico fuisse propositum, sed errore hoc ab ipso factum, ostendi, quod reuera sic factum fuisse, postea certiùs ex ipso cognouimus. Qui deinde post hanc calamitatem, Eslingæ cùm in profluente æstatis tempore nataret, submersus, interijt.

Similis sed lethalis purgatio.

QVidam alius se purgare volens, Vinum in quo colocynthidis pomum siccum, vti habetur,

per noctem maceratum erat, bibere solebat, quod licet sine noxa sæpè fecisset, tandem tamen lethalem inde contraxit dysenteriam.

Deiectio cruenta.

CVidam, qui sanguinem diu per aluum, excreuerat, cum grauibus torsionibus ventris, post varia tentata, nihil magis profuit, quàm suffitus, ex decocto Fabarum excitatus, quem in sella perforata sedens, podice exceperat, quem vt meliùs admittere posset, veluti in conatu fieri solet, exprimebat, nonnihilque inuertebat.

Dysenteria in viro.

PIstor dysenteria laborans, cùm Clysmatum vsum denegaret, hoc modo fuit curatus. Anno 1596. Septembr. mense.

Iulepum pro tribus vicibus manè & vesperi sumendum præscripsi: ℞. syrupi Cydoniorum, de Rosis rubr. sicc. an. ℥.j. ß. syr. Papau. ℥. ß. aquæ Plantag. ℥.iij. misce.

Mixturam dein, de qua sæpè cochleare vnum caperet: ℞ radic. Tormentil. ʒ.j. f. Lapatij acut. rad. Alceæ an. ʒ. ß. sem. Plantag. Acetosæ an. ℈.j. Manus Christi ℥. ß. misce.

Curato, & post tres septimanas, recidiuá passo, magnam sanguinis grumosi portionem deijcienti, extremeq; debili subitò facto, ordinaui: ℞. syr. de Papau. ʒ.iij. trochisc. de Succino ℈.j. aquæ Plantag. ℥. ß. Bibat.

Dysenteria in puero.

PVer quidam annos natus duodecim, excernebat cum conatu & dolore, excrementa cruenta, mucósa, flaua, idq; sæpè in die, bidui spacio: Dysenteriam esse, quæ tunc Anno 1584. popularis erat, prædixi.

Clyste-

Clysterem primò abstergentem inieci: ℞. Hordei integ. Cicerum rubr. an. P. j. fiat decoctio, diss. Mellis ℥. ij. Inijciatur.

Sub vesperam alium qui simul leniret ordinaui: ℞. seri Lactis caprini quartar iij. dissolu. Mellis ℥. ij. Vitellos ouorum num. ij. misce.

Manè repetitus fuit & sub vesperam.

Propinaui eodem die, Lac caprinum, in quo Silices candentes extincti fuerunt.

Tertio die, qui quintus morbi erat, cùm iam nihil cruenti ampliùs excerneret, sed tantùm mucosa, pauca adhuc bile tincta, præscripsi talem Clysterem: ℞. radic. Consolidæ, Liquiritiæ an. ℥. j. Bistortæ, seminum Lini, Cydon. an. ℥. ß. sem. Anisi ʒ. ij. fiat decoctio in Lacte ouillo, & in colatura dissolue Mellis rosʃ. ℥. j. ouorum Vitellos & Album. an. nu. ij. benè conquassata: Inijciat bis.

Lac ouillum, in quo silices extincti fuerunt, propinandum dedi.

Licet autem vix alia sumeret, propinaui tamen sequens: ℞. rad. Tormentillæ ʒ. j. f. Lapatij ʒ. ß. Corallorum rubr. ʒ. ij Margarit. ℈. j. fiat puluis. Detur cum syr. Cydon. & aqua Plantag.

Item bibat iulepum sæpè: ℞. syr. Cydoni. ℥. j. ß. aquæ Plantag. ℥. ij.

Sumat tabulas Sacchari rosʃ. tabulati.

Comedat Oryzam cum Lacte.

Inungatur venter: ℞. ol. Mastichini, Cydoniorum ana ℥. j. Balaust. ʒ. j. Rosʃ. rubr. ʒ. ß. Gariop. ℈. ß. misce cum pauca Cera: Pro inunctione ventriculi & ventris.

Cùm dolor adhuc vrgeret, inter deijciendum, sub noctem dedi ʒ. ij. Diacodij.

Et cùm in reliquis diem vnum & alterum persisteret, sanatus est.

Dysenteria in muliere.

TOrminibus maximis affligebatur quædam, atq; cruentas & mucosas habebat deiectiones multas.

Propinaui, quia dolores vrgebant, & Clysterem nolebat admittere, sequens: ℞. ol. Amygd. dulc. rec. express. ℥.j.ß. syr. de Papau. syr. de Ros. rubris siccis an. ʒ.ij. misce: Capiat tepidum vno haustu.

Conditum hoc dein præscripsi: ℞. cortic. Citri cond. cons. Ros. an. ʒ.j.ß. cons. Maior. ʒ.j. spec. Diacydon. sine spec. ʒ.ß. Sacch. ros. tab. q. s. fiat mixtura auro cooperta; Capiat cochl. j. manè & serò.

Cùm dolores vrgerent altero die, tandem hunc Clysterem admisit: ℞. lactis Vaccini ℥.j.ß. Hordei P.j. rad. Consol. ℥.j. s. Lini ℥.ß. fiat decoctio, dissol. in ℔.j. Sacchari rub. ℥.j. Vitellos ou. nu. ij fiat Clyster.

Valde juuit hic Clyster, ob quam causam, alterum tertio die sumpsit, & dolor cessauit.

Perseuerante nihilominus deiectione crebrâ, ventri hoc ceratum admotum fuit: ℞. ol. Mastichini, Nardini ana ℥.j.ß. Boli armen. ʒ.iij. Cort. granat. ʒ.j. Absynth. Ros. an. ʒ.ß. Garyoph. ℈.j. cum Cera, fiat Ceratum.

Horum vsu restituta mox fuit. An. 1592. Febr. mense.

Dysenteria in grauida.

NObilis quædam mulier grauida, in dysenteriam mense Augusto, An. 1597. incidit.

Quarto Augusti ad me miserunt consilij causâ; Dedi autem sequens.

Lac amygdalinum cum aqua cocta Chalybeata paratum, loco Vini bibat.

Oryzam coctam cū iure gallinæ frequenter comedat. Et pultem (Weinwarm) cum Vino rubro, in quo

in quo aurum extinctum ſit, Ouis & Saccharo coctam.

Electuarium hoc manè & veſperi ſumat, quantitate nucis moſchatæ maioris: ℞.pul.rad.Tormẽtil.ʒ.ij.ſem.Lapatij ʒ.j.Coralli ʒ.j.ß.Conſeruæ Roſ. & carnis Cydon. an. ℥.ß. cum ſyrupo Cydon. fiat electuarium.

Iulepi huius cochlearia duo ſuperbibat, atque circa meridiem totidem ſumat: ℞.ſyr.Cydon.ʒ.j. ſyr.Fragorum, Ceraſorum acidorum, de Papauere (ad ſenſum inteſtinorum nonnihil obtundendũ) an.℥.ß.aquæ Roſarum & Plantag. an. ℥.ij. miſce, fiat Iulepus.

Inungat ventris regionem oleo Abſynthite, Maſtichino & Cydoniorum.

Pedes abluat Vino rubro ſtiptico.

Hiſce reſtituta fuit.

Dyſenteria lethalis.

STudioſus quidam Medicinæ, cùm ad nos, vt gradum ſummum in arte conſequeretur, veniſſet, An.1598. 8. Auguſti, in alui fluxionem incidit, deiecitque copioſas per biduum ſedes, mucoſas, cruoreque permixtas, cum ventris cruciatu & dolore, conatuque deijciendi aſsiduo.

Defluxionem capitis cùm eſſe putaret, ſuo ipſius conſilio manè ſequenti, potionem, ex Diaphœnic. el.de ſucco Roſ. & ſp. Hieræ an. ʒ.ij. compoſitam ſumpſit, eaque die infinitas habuit ſedes, dolorque adauctus eſt. Sub veſperá vocatus, cùm excremẽta ſanguinolenta & purulẽta cernerem, dyſenteriam eſſe pronuntiaui, improbabamque quod tale purgans, & non potius Rhabarbarum ſumpſiſſet: Vt aluum nonnihil ſiſterem, illumque ex purgatione languidum, reficerem, iuſsi Oryzam coctam ſume-

re, & Lac amygdal. bibere, ventrem ol. Mastich. inungere.

Sequenti die sub vesperam, cùm denuò illum inuiserem, nihiloque meliùs haberet, nec deiectio remitteret, sed singulis horis sexies vel decies deijceret, & ampliùs, copiosam materiam bile quoque permixtam, clysterē talem abstersiuum & lenientem sub noctem inijci curaui: ℞. Lactis chalybeati ℔.j. dissolu. vitell. Ouor. nu. ij. Mellis ros. ℥.j.ß. Laricеæ dissol. in his duobus ʒ.ij. fiat Clyster, quo non diu retento, sed reiecto, potionem postea hanc bibit: ℞. syrupi de Rosis rub. siccis ℥.j. syr. de Papau. ℥.ß. aq. Plantag. ℥.j. misce.

Quarto morbi die, cùm non cessarent sedes, & sitiret admodùm, prostratusq́, esset, Amylo cocto refectus fuit, & Lacte amygdal. quod cum aqua Chalyb. parabatur, addito Sacch aro ros. tab. Bibit interdum & haustum Vini rubri stiptici. Clyster adstringens dein talis iniectus fuit, sub vesperam repetitus: ℞. Hordei, Oryzæ an. P.j. fiat decoctio in Lacte pro duob. Clysteribus, Dissolu. in vno vitell. Ouor. nu. ij. Sacchari rubr. axung. Hœdi an. ℥.j. Lariceæ ʒ.j. fiat Clyster: Detur & repetatur sub vesperam.

Puluerem hunc quoq; duabus vicibus sumpsit, cùm Lacte amygd. paulò antequam Clysterem admitteret: ℞. trochisc. de Charabe ʒ.j. rad. Tormentill. ʒ.ß. Sacchari ros. tab. ʒ.ij.

Venter hoc pacto inunctus fuit, & sequentibus diebus Cerati instar applicatū sequens; ℞. ol. Myrtill. ℥.j. Mastiches ℥.j. Boli rubr. ʒ.j. Ros. Santal. an. ʒ.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Quinto die, cùm nondum remitterent accidentia, conseruam hanc præscripsi; ℞. conser. Ros. antiq. & cond. Cydon. an. ℥.j. rad. Tormentill. ʒ.j. misce.

Consilio

Consilio alterius, sumpsit decoctum rad. Bistortæ & Tormentill. in Vino factum, sed mox vomuit.

Clyster deinde astriagens iniectus fuit talis, ℞. rad. Bistort. Tormentill. an. ℥.j. Consolidæ maior. ℥.ij. Equiseti, Plantag. Agrimon. an. M.j. flor. Rof. rub. P.ij. Hordei mundi, Oryzæ an. P.j. sem. Anisi ℥.ß. sem. Acetos. ʒ ij. sem. Plantag. ʒ.j. fiat decoctio in Sero lactis. Dissolu. Sacchari rubr. ℥. j. ß. Mellis rof. col. ℥. ij. mucilag. sem. Cydon. ℥.j.ß. sem. Psylij ℥.j. fiat Clyster.

Sub noctem alius fuit iniectus; ℞. Oryzæ parùm torrefactæ P.j. Gallarum conquass. ℥. ß. Balaust. ℥.j. Rof. rub. P.j. sem. Plantag. ʒ.ij. rad. Bistort. ℥.j.ß. rad. Consol. ℥.ij. fiat decoctio, in aq. Chalybeat. sumatur ℔. j. Dissolu. succi Plantag. ℥.ij. Lap. hæmat. ʒ. ij. Sang. dracon. ʒ j. Sęui seu Axung. Hœdi, Mellis rof. an. ℥.j. fiat Clyster.

Eo reiecto, tab. rubr. Narcot. sumpsit, & bibit lactis Caprini chalybeati calidi haustum, & noctem quietiorem habuit, horæque spacio tantùm bis aut ter deiecerat.

Manè sexto die morbi, cùm sitiret, rursum Lac caprinum chalyb. bibit. Ante prandium Clyster iniectus fuit, postremo loco præscriptus. Postea vsus est hoc suffitu; ℞. rad. Tapsi barbati, Bistort. an. ℥.ij. Gallarum ℥.j. Plantag. M.j. Rof. rubr. flor. Chamom. an. P. j. Coq. in aqu. Fabrorum extinct. ferro. Pro suffitu.

Horâ tertiâ pomeridianâ vocatus fui, cùm admodùm debilis esset, sanguinem excreabat quoque, excrementa cocta nonnihil & communia, sed dolor intensus ventris. Nihil comederat ab hesterna die: sumpsit Amylatum. Bibit parùm Vini rubri; Ordinaui Clysterem dolorem sedantem: ℞. lactis Caprini ℔.j. ß. chalibeetur; sume mediam partem, dissolu. Oui album & Vitellos nu. ij. Mellis rof.

ol.Rosac.an.℥.j. mucilag.sem.Cydon.& Psylij an.℥.j.Opij ℈.ß.fiat Clyster, quem non retinuit, sed mox iterum reddidit.

Propinaui Hippocraticum vinum: ℞.Vini rubr. stiptic.Mensur. j. Sacchari quart. j. Cinamom.ʒ ij. rad.Tormēt.ʒ j.Aq.ros.℥.j.misce, passentur per manicam.Bibit, sed mox remomuit.

Iussi suffitū repetere; Dedi tab.narc. ℈.ij. Vnde nox magis quieta, deiecit tamen sæpe rursum mucosam subcruentam materiam.

Septimo die morbi, manè sumpsit Amylatum, vtebatur etiam cort.Citri conditis, clyster sequens sub noctem infusus fuit; ℞. Lactis caprini chalybeati quart.j.ß. Dissolu. Vitell. ouorum nu.ij.mucilag.sem.Cydon. Sacchari rub.an.℥.j.Laricææ diss. ʒ.j.fiat Clyster. Iterum tempore somni tabul.Narcot.dedi.

Octauo, manè comedit Hordeatum, bibit iulep. seq: ℞.syrup.de Ros. rub. siccis ℥.j. ß. Myrtill. Cydon.an.℥.j.aq. Plātag.℥.iij.fiat Iulep:Bibat duabus vicibus. Bibit circa meridiē cum Iusculo cochl. j.Panis sambucin.cum pauc.nuce Mosch. Post meridiem rursum immensos cruciatus sensit, item deiectiones, ita vt animo deficeret, frigerentque extrema. Dedi ol.Amygd. dulc.℥.ij.cū Iusculo. Quieuit parùm dolor, vbi suffitu vsus fuisset. Quia sitiebat; Acc. Crustam panis, Passul. enucl. mai.℥.j.ß. rad.Gal.ʒ.j.Cinamom.ʒ.ij.fiat decoctio, cum mensur.j.ß.Aq. ad consumpt.tertiæ partis.Sub noctem dedi;℞.syrup.de Papau.℥ ß.Cydonior.aq.Plantag. an.℥.j.aq.Cinam.ʒ.ij.misce.

Dolores mitigabantur: Manè tab.Diamag.frig. dedi: cùm esset valde debilis, pulsus concitatior. Lacte amygdal. cum aq. Chalybeat.delectabatur.

Nono; post prandium dolor recruduit, & deiect. Ordinaui decoctum sequens cum syr. ℞.rad.

Tormen-

Tormentill.Biſtort. Acori paluſt.an.ʒ.ß.rad.Alceę, ſem.Lapatij an.ʒ.ij.Roſ.rub.P.j.fiat decoctio in Aq. & in colaturæ lib.j. Diſſolue Sacchari roſ. tab. ℥.j. ſyrup. de Cydon. ℥.ij. ß. ſyrup. Myrtill.℥.j.Clarific. & arom.ʒ.j.ß.Cinam.

Decimo, deiectiones billioſæ erant, pręſcripſi rurſum decoctum ſequens ſtipticum; ℞.rad.Tormentill. Biſtort. an.ʒ.vj. ſem. Lapatij ac. ʒ.ij.rad.Alceæ ℥.ß. rad.Galang.ʒ.ij. decoquantur in menſura j.ß. Aq.& ℥.ij.aq. Roſ.addendo ad menſ.j.Sacch.quart. j.Cinamom.ʒ.ij. fiat inſtar Hippocratici.

Poſt prandium dolor recruduit. Iniectus Clyſter, ſed non retinuit: Dedi ſub noctem tab. rub. Narc.℈.ij.Nox melior.

Vndecimo manè cœpit varia appetere. A prandio recrudeſcebat malum, valde debilis: Deiectiones fœtidiſsimæ, cadaueroſæ, vti & priùs. Ordinaui hunc puluerem: ℞. Manus Chriſti perlati ʒ.ij. troch.de Succino, Corall. rubr.rad. Tormentill.ſp. Diamarg.frig.an.ʒ.ß.fiat Puluis, Capiat ʒ.ij.pro vice. Sumat mediam partem cum Iuſculo.Comedit de perdice, ſub noctē tab.vnam rubr.Narc.ſumpſit.

Duodecimo, alteram mediam partem pulueris ſumpſit. Bibit Vinum rubrum, dilutum ſuo Iulepo.Interdum aq. Chalyb.ſub veſperam valde calebat, debiliſque erat. Deiectiones non adeò frequētes, nec cruentæ ampliùs, ſed fœtidiſſ. Ordinaui epithema pro corde & pulſibus: ℞. aq. Roſ.℥.iij. Bugloſſ.Acetoſ. an.℥.iiij. Aceti roſ. ℥.j. fiat Epithema:Pro pulſibus & corde.

Dein rurſum Lac amygdal. cum Aqua, in qua Panis coqueb. & Iulepum ſub noctem dedi; ℞.ſyr. de Limon. ℥.j. de Papau. ℥.ß. aq. Bugloſſ.Scabioſ. an.℥ j.fiat Iulep.

Decimo tertio 20. Aug. ſumpſit manè cum iuſculo, puluerem cruſtæ panis Sambucin. & ſub ve-

ſperam iterum poſtea ſub noctem rubr. Narc.tab.ad ℈.j.

Decimoquarto laſſus, debilis, iuſsi eum veſci iuſculo ex Ouis, Sacchato & Vino parato, Vinum dilutum Aquâ bibere, in qua rad. Galangæ craſſæ ʒ.ij. Tormentill. Biſtort. an.℥. ß. inciſæ cocta ſint. Sub noctem dedi Iulepum; ℞. iulep. Roſac.℥.j.ß. aq.Plantag.℥.ij.Bugloſ.℥.j.miſce.

Decimoquinto, cûm adhuc aluus fœda reijceret, non tamen cruenta, dedi purg. ℞. Rhabarbari el.ʒ.j.Myrob. citrin.ʒ.j.ß. Infundantur in Vino, expreſs. adde ſyrup. Roſ.ſol. ℥. j.aq. Plantag.q.ſ.ſucci Plantag.℥. ß.fiat Potio.

Sub noctem mirè imbecillis, frigebant extrema. Reiteratum Epithema præſcript. ſuperiùs. Dein dedi puluerem, ℞. Tab. Diamarg. frig. ʒ. j. Manus Chriſti ʒ.ij. fiat Puluis. Item Narcot. tab. rubr.ʒ.ß. Eâ nocte tres tantùm habuit ſedes.

Manè decimoſexto Cataplaſma pro Ventre applicui: ℞. Cydon. ſicc. ℔.j. Cornorum rec.nō plenè maturorum M.j. Panis priùs toſti & irrorati Aceto roſ. ℔. ß. Coq.in Vino rubr. Adde Boli armen. ℥.j. Gallarum ℥.ß.Roſ.rubr.ʒ.ij. Maſtich.ʒ.j.ß. olei Roſac.℥.ij. fiat Cataplaſma.

Decimoſexto debilis erat ea die, ac bibit Ceruiſiam.

Decimo ſeptimo redijt cruenta deiectio, loturæ carnis ſimilis, ac ſi fluxus eſſet hepaticus: Mixturam ſeq. dedi; ℞. Conſer. roſ. antiq. cort. Citr. cond.carn. Cydon. ſacchari cond.an.℥. ß. Cinam. ʒ.j.Roſ.rubr. Tormentill an.ʒ.j.ß.ſp. Diamarg.℈.j. Cum Saccharo roſ. tab. fiat Mixtura. Iterum pro decocto Aq. ad Vinum rubr. diluendum: ℞. rad. Tormentill.Biſtort.an.℥. ß.rad.Galang.ʒ.ij. Santali rubr.℈.j.Conquaſſ.decoq. in menſur.j. ß.aq. Chalyb.ad Vinum diluendum.

Decimo

Decimo octauo 25.Aug. vtebatur mixturâ, cessauit cruenta deiectio, sed biliosa adhuc erat, tristabatur vehementer, cùm de vita desperaret, quòd cum suis competitoribus, cum quibus & fuerat examinatus, non posset promoueri in Doctorem.

Decimo nono, cùm vnicè optaret Doctor mori, priuatim in suo lectulo, in Doctorem promotus est, vnde valde recreatus fuit. Perrexit in horum vsu. Comedit Oua, Auiculas: Denuò decoctum paratum quo vinum diluebat; ℞.rad.Bistort.Tormentill.Alceæ an. ℥.ij.rad.Galang.Cinamom.an.℥.j.Coq.pro mensur.j.Aqu.

Vigesimo dedi Bolum Armen.cum puluere panis Sabucin. tormina postea sensit. Noctu Narcot. tab. rubr. ℈.j. exhib. nox quieta fuit, manè iterum deiectiones superuenerunt.

Vigesimo primo summè erat debilis; Vsus Iulepo cordiali: ℞.Iulep.Rosac.℥.j.Manus Christi ℥.ß. spec.Diamarg. frig. ℈.j. aq. Buglos. ℥.j. Cinamomi ℥ ß.

Vigesimo secundo manè pulsus paruus, extrem. frig. sudor, mortuus horâ quartâ post meridiem.

Dysenteria mortalis.

Consul noster 11.Iulij Anno 1599. summo manè, antequam exiuisset in senatum, fluxione alui correptus, bis deiecit copiosè, necessitate vrgente, domum ex senatu reuersus, ad vesperam vsque plus trigesies, cum conatu magno, ventris torsionibus, vomitu bilioso bis quoque accedente, atque interdum singultu, deiecit, appetitus prostratus erat, & sitis præternaturalis, nulla tamen febris. Vocatus, & excrementa inspiciens, mucosa & veluti ramenta intestinorum suberuenta esse, deprehendi, & proin dysenteriam pronuntiaui, periculumque non paruum in sene

66.annorum, cùm anno præcedenti eiusdem ætatis, amicus quidam eius eodem morbo extinctus fuerit.

Quia difficilis ad medicaméta erat, nec consuetus illis vti, iussi eâ nocte vt conseruá Rosf.&Cydon. sumeret. Et syr. de Rosf. rub. succis & Cydoniorum, vt cum Aqua in qua Silices igniti extincti essent, misceret, ac biberet. Aliàs verò Lac amygdal. Aquâ prius cum pane coctâ. Vino rubro, quod cùm cibum sumeret, bibebat, sed moderatè Saccharum indere iussi.

Et vt ventrem manè & vesperi vnguento inungeret sequenti: ℞. ol. Myrtill. Masticbes an. ℥.j. Boli rubr. Rosar. Santal. an. ʒ.j. Cerę q.s. fiat vnguentum.

Sequenti die 12, quia multum eâ nocte deiecerat, summasq; lancinationes sentiebat, iussi Hordeatũ parare, ex Hordeo mundo fracto, cocto, donec per pannum percolari posśit, addito Butyro recent. Sacch. & ol. Amygd. dulc. vtq; illud alternis vel ternis sumeret diebus, ad cochl. ij. vel. iij. Item vt Oryzam coctam cum iusculo Gallinæ, frequenter comederet.

Et quia inquietus erat, dedi parùm de meo Narcotico, sed quia non rectè sumpserat, nil effecit. Non remittebant sedes, sed continuò egerebat, nox admodùm inquieta.

Manè reuersus, intestina admodùm affici iudicans, excrementaq; mucosa, cruenta, supraq; modum fœtida, & cadauerosum odorẽ spirantia, sentiens, primũ quia nihil dormiuerat, Narcoticũ manè dedi vino dilutũ ad gr. 17. postea dormiuit, sed breuis erat & interruptus somnus, propter deiectiones eum continuò molestantes. Vtebatur suo Hordeato. Dedi quoq, bis Lac caprinũ, in quo Silices extincti erant, cũ tribus Vitellis ouorum, coctum parùm.

Sub

Sub vesperam persuasi vt hoc Clysmate vteretur: ℞. rad. Consol. ℥.j. Oryzæ, Hordei integr. ana P.j. sem. Psylij, Lini an. ℥. ß. fiat decoctio in lacte Caprino & in ℔.j. dissol. Vitell. ouorum numero ij. Butyri rec. ol. Amygd. dulc. Sacchari rub. an ℥.j. Misce. Admisit & per horam retinuit, quietusque fuit.

Postea illud deiecit, tribus aut quatuor vicibus, & cùm sellæ insideret, cum excrementis aliquid crassi in sellam decidere audiuimus. Cùm excrementa considerarem, vidi portiunculas multas, ad triginta, alias integras, alias cõfractas, tribus deiectionibus illum reddidisse, castaneas excorticatas minores referebant, sed ad lumẽ, albæ videbantur, ita vt alij pinguedinem, alij aliud quid esse iudicarent, iussi seruare in crastinum, & exemptas exsiccare, crastinoq; manè castaneas esse omnino cognoui, quas tamen ipse, vti affirmabat, in noui anni primo die comederat, ab eoq; tempore non ampliùs, ob quam causam, circa cœcum intestinum tamdiu hæsisse edocens, idemque in alijs quoque duabus accidisse, monens, omnes sunt admirati. Tempore somni bibit hunc Iulepum; ℞. syrupi de Papau. ℨ. iij. de Ros. rubr. sicc. ℥. ß. aq. Plantag. ℥.j. ß. Misce. Eâ nocte sexies aut septies tantùm deiecit, parumque admodùm dormiuit.

Manè 14. Remiserant nonnihil lancinationes, nec adeò copiosè deijciebat. Verùm à prandio redierunt hæc omnia, multaque excrementa biliosa simul egerebat. Volui repetere Clysterem, adiecto decocto fl. Verbasci & Rosis ac Lentibus, sed recusabat.

Quapropter puluerẽ Leporis vsti & panis Sambucini propinaui, addito paulisper puluere priore ex Bolo, cum Vino.

Quia singultiebat, admodùm & cum dolore,

Crustam panis, vino Maluatico asperſam, cum pulvere Garioph. & Abſynth. ventriculo applicui. Cibabatur eo die Panicâ dictâ, ex Oryza & Amygd. Bibebat Lac amygd. & Vinum rubrum, Aquâ extinctis ſilicibus paratâ dilutum. Et propter ventriculum parùm vini Abſynth. conceſsi.

Sub noctem dedi Narcot. mei gr. xx. Nox quietior, dormiuit per horam vnam, tormina mitigata, deiecit ſexies, cruentas & mucoſas adhuc deiectiones.

Manè 15. Boli Armenæ puluerem vt priùs, cum vino Abſynth. exhibui. Deiecit ante prandiū cum ceteris excrementis, iterum multas glebulas, auellanæ magnitudine, maioresq; albas, glandulas vel cerebri ſubſtantiam referentes.

Propinaui poculum vnum Lactis caprini, in quo fl. Verbaſci aridorum & rec. P.j. & rad. Conſol. ℥.ß. ebullierant. Deiecit à prandio aliquoties copioſa, mucoſa, tenaciſsima ſubcruenta excremēta. Et ſub noctem lancinationes graues, ſitis magna, & calor, ob æſtus ſummum tunc vigorem. Singultus & eructio frequenter & cum moleſtia ipſum vexabant. Bibebat Lac amygdalin. & quādo cibabatur Hordeatis & Oryzatis, amygdalatis, Vinum aquâ ſemidilutum, bibebat. Dedi tempore ſomni, cùm admodùm de torſionibus ventris conquereretur, Narcotici gr. 22. cum Vino, vnde ſtatim dolor mitigatus, ſed circa mediam noctem, ſingultus cōtinuò eum moleſtans, à ſomno arcebat; qui cùm perſeueraret ad diluculum vſque, propinaui illi ol. Amygd. dulc. ℥.iij. cum Iuſculo, & ſtatim remiſit: poſt horam redijt, iuſsi applicare Cruſtam panis priorem, addendo Acetum roſaceum, poſtea per ſemihoram dormiuit, excitatus iterum ſingultiuit, propinato iuſculo calido ceſſauit, mox redijt: iterū ſitiens cū bibiſſet Lac amygdal. intermiſit ſingultus. Atque ita

totâ

totâ die illũ afflixit, sumpto'q; aliquo, per quadrantem horæ, vix vltra, remisit. Dedi etiam haustum vini Absynth. sub noctem bibit. ℞. syr. de Papau. ℥. ß. de Ribes ʒ. ij. Aq. rosf. ℥. j. misce cum Vino albo bibit, sed nil dormiuit, singultusq; sæpe redijt.

Vnde inquietus manè, 16. sumpsit: ℞. syrup. Ros. sol. cum infus. Rhabar. ℥. j. & de Ros. rub. sicc. ℥. ß. Cum Vino Absynth.

Singultus cum ardore summo, accedente interdum eructatione, ipsum continuò & sine intermissione molestabat, nec eũ quiescere sinebat. Deiectiones non ita copiosè sed adhuc subcruentæ. Frigebant extrema, manus liuidæ, pulsus paruus, quæ mala iudicabantur signa. Adhæc mens nonnunquã aberrabat, audacter ac si benè potus esset, multa loquens. Ventriculo crusta fuit denuò applicata: quĩ & inungebatur oleo Mastichino, Cydon. Absynth. Bibit vinum cum maceratione Galangæ, Absynth. Menthæ, quando iuscula sumebat, sed semper vsu vini, ardor ventriculi augebatur, quare Amygdalatum lac bibit, vnde leuabatur. Sub noctem dedi Narcot. mei ℈. j. Vnde quietior fuit, sed propter singultum, semper durantem, minimè dormire potuit.

Sequenti 17. die, Vomitoriũ dedi ex ol. Amygd. dulc. ℥. ij. Oxymel. simpl. ℥. j. Aq. nucum q. s. Bibit, sed mox vomuit. Sub noctem vrgente admodùm singultu & ardore, dedi illi aquam Nucum destill. cum Raphano & Aceto ad ℥. iiij. & postquam aliquandiu retinuisset, Pennam faucibus indere iussi, & vomuit copiosè, remittebat paulisper singultus, sed mox reuertebatur. Nox summè inquieta.

Manè 18. summè debilis, auctis omnibus malis signis. Ad singultum compescendum. Fotu vsus sum ex Absynth. Rosis & similib. sed nihil profuit. Sumebat sed ægrè iuscula, amygdalata, sed

ab omnibus calidis actu vel potentiâ peius habebat, è contrà frigidis leuabatur, singultusque aliquandiu indutias dabat. Sub noctem ex aliquo delirio, Auiculas petens, parùm de illis comedit, & bibit Italici vini, astantium suasu, diluti tamen, haustum. Vnde pessimè post cœnam habuit, ardoresque singultus & conatum vomendi sentiebat.

Dedi vomitorium prius, addito syrupo Acetoso & infusionis Stibij gra. ij. media parte immissâ pennâ, vomuit quater subnigram materiam, summè amaram, vnde leuatus visus, sed mox singultus redijt, noxque inquieta fuit, ac ipse summè prostratus.

Sequenti summo manè 19. cùm parùm dormiuisset, singultusque perseueraret, & aquam frigidam peteret, vix dum eâ gustatâ, singultus per mediam horam intermisit, ipseque dormiuit, postea redijt, sed placidiùs. Dedi Hordeatum. Postea bibit de hoc Iulepo, qui valde gratus erat, & mustum vini repræsentabat: ℞. syrup. de Granat. acidis, de Limonibus ana ℥. j. ß. aquæ Portulac. & Acetos. an. ℥. ij. Bibit tertiam partem, & postea iterum aliquoties. Sed singultus, etsi præsertim corpore erecto, vel cùm in dorsum capite eleuato iacebat, parùm remitteret, tamen mox reuertebatur, cum summo ardore & cordis pressione, doloreq;. Nox summè grauis, frigus extremitatum, pulsus vix apparens.

Dedi 20. confect. Alkermes ad ʒ. j. singultus, ardor, inquietudo perpetua, deiectiones iterum multæ, nigræ, cadauerosæ. Sub noctem pulsus redijt. Cordatè multa de Deo loquebatur. Exhibui Narcot. gr. xx. Nox paulò quietior.

Manè 21. Fauces rubræ, summus ardor à faucibus ad inferiora, deiectiones multæ, nigræ, prauæ, fœtidæ,

fœtidæ, inter quas Lac caprinum vti biberat, iterum vix immutatum deiecit; pulſus tamen manifeſtus, nec ita frigebant extrema. Ordinaui gargariſmum ex decocto Hordei, Lactucæ, cum Diamoro & ſyrupo Viol.

Item vt frequenter de Iulepo hoc ſumeret coch. j. cùm deglutire niſi difficillimè poſſet: ℞ Iulep. Viol. Roſ. cum pauc. aq. Cinamom. Sub noctem omnino proſtratus, pulſus intermittens, præ dolore circa ventriculum, exclamans, in extremis ſudor frigidus, & veluti in mortis agone, dormire tamen nonnunquam videbatur, ſingultu ferè continuò permanente.

Manè 22. nihilomelius, iterum conf. Alkermes ſumpſit, ſed vix aliquid deglutiuit, vti nec alia, Tandem ſub noctem, horâ vndecimâ placidè exſpirauit.

Dyſenteria in puero, cum vomitu excrementorum, lethalis.

PVellus quidam baro, annorum quatuor, Anno 1596. Sept. menſ. dyſenteriâ correptus, quæ tunc popularis erat, excrementa excernebat, per ſedem cruenta, flaua, tandem etiam nigra, quibus mucus pellucidus copioſus adhærebat, vltimò die, qui ſeptimus morbi erat, deficientibus viribus, quæcunque aſſumebat, reuomebat magno conatu & clamore, idque interpolatis vicibus. Circa medium noctis, cùm in agone eſſet, ſimilia excrementa flaua & nigra, qualia per aluum deiecerat, euomens, mox expirauit, vnicus parentis Baronis, qui eum mox ſecutus eſt, filius. Corpuſculum iubente & ſpectante patre aperuimus, craſſa inteſtina tumebant, atque ac ſi inflammata fuiſſent, liuebant, vti loca inflammata, in vi-

ventibus rubra, post mortem liuere solent. Ea intrinsecùs ob summum fœtorem non licuit inspicere.

Dysenteria & fluxus Hepaticus in Puero lethalis.

BAro iuuenis, annos natus octo, patruelis prioris pueri Baronis, annis quatuor post ipsum, dysenteria Anno 1600 Septembris 23. correptus die Sabbathi, ter quaterve deiecit, sequenti die denuò, & sub noctem copiosam sedem reddidit. Tertio die, qui erat Lunæ, iterum & adhuc plures deiectiones habuit, mucosas, albas, cum ramentis veluti intestinorum. Vsus est consilio mulierum, pulte quadam farinaceâ, item ex consilio matris, Clysmate ex iure Gallinæ, Vitell. oui & ol. Chamom.

Martis die, cruenta exerementis mucosis permista reddidit, ex quo cùm dysenteriam esse cognoscerent, quâ & alij in ijsdem ædibus tunc laborabant, & quæ epidemia erat, in vicinis locis, Iudæo accersito, illius consilio tantùm pultes Farinaceas sumpsit, Lac item amygdal. cum decocto radic. Tormentillæ emulsum bibit: Interea semper crescente multitudine deiectionum cruentarum & mucosarum, Iudæoque discedente, cùm die septimo à principio morbi, qui 29. erat, noctu copiosum sanguinem reddidisset, perterriti parentes, cùm vnicus esset illorum filius, & postremus illius familiæ, me festinanter accersiuerunt, & cùm die 9. à principio morbi, qui vltimus erat illius mensis, venirem, singulis horis semel atque iterum deijciebat, cruenta, liquida, loturæ carnis instar, mucosa, item, instar tunicæ intestinorum abrasæ, & veluti purulenta illis permista, inter-

dum

dum & fœculenta fœtidissima cum *illis*, citra tamen tormina, sed cum conatu tantùm, qui subitò superueniens, ita illum ad deiectionem vrgebat, vt summâ festinatione, in præbendo vase opus esset. Pulsus concitatus, sitis, non tamen intensa, & cibi fastidium.

Propinaui puluerem stipticum, cum pulte quam ex Amygdal. & Oryza parare iussi, quâ vtebatur bis hoc die: ℞. rad. Tormentill. ʒ. j. ß. sem. Acetos. Plantag. an. ʒ. ß. Boli ping. ℈. ij. Sacchari rosar. tabul. ʒ. ß.

Dedi syrup. Cydon, de Rosis rubr. siccis dissol. aliquando aq. Plantag. Venter inunctus fuit ol. Masstichino, Myrtill. Cydoniorum. Pedum lotionem ex Saluia, fol. Quercus, Verbasci, Agrimon. coctis in Vino rubro, manè & vesperi vtebatur. Nocte seq. sæpe deiecit.

Manè 1. Octobr. Clysterem suasi sequentem: ℞. rad. Consol. ℥. iiij. Hordei mund. Ros rubr. an. P. j. Coq. in Lacte caprino, & in colaturæ ℔. ß. dissolue succi Plantag. Sacchari an. ℥. j ß. Retinere etsi minimè potuerit, modicum tamen iterum infusum, & sub noctem repetitus fuit, sed adeò vrgebatur, vt postea illi exhibere ferè non ausus fuerim.

Pergebat in vsu pulueris, syrupi, vnctionis, pedum lotionis.

Bibebat Lac amygdal. Comedebat quater in die, pultem dictam, & iusculum Oryzæ, de Coturnice item, vel Palumbo, assis parùm sumebat.

Cùm sedes minimè remitterent, die 2. Octobr. hoc Cataplasma ex illis quæ ad manum habere potui, paraui.

℞. Pyra sicca, cùm deessent Cydonia, incidantur, decoqantur in Vino rubr. stiptico, passentur. Pulpa sumatur ad ℔. ij. Masstiches ℥. j. ß. Boli ℥. j. Gallarum ℥. ß. Nucis mosc. Garyoph. an. ʒ. ij. fiat

Cataplaſma, quod toti ventri adhibitum fuit,& renouatum ſub veſperam. Cuius vſu & ceterorum, per horam aliquando & paulò ampliùs deiectio ſubſiſtebat. Debilis interim admodùm, frigusque extremitatum, quod timorem nobis aliquo pacto incutiebat.

Sub noctem dedi Tabular. Narcotic. mearum gr.vj.vt circa horam decimam ſumeret,quo facto, ſtatim dormiuit per totam noctem, nec deiecit.

Manè die 3. Octobr. cùm omnes ob intermiſſas ſedes lætarētur, & cibum ſumpſiſſet, ac bibiſſet,redierunt deiectiones, vti priùs,ſicuti ſemper poſt cibum aut potum, mox ſubſequi ſolebant, erantque vt priùs cruentæ, mucoſæ,ſed minori quantitate, & duabus tantùm horis vel etiã tribus excernebat. Repetitum Cataplaſma, ceteraq; remedia.

Adhæc ex ſucco Plantag.cum Saccharo diſſol.in aq.Roſ.coctus fuit ſyrupus, qui gratus erat, illique per vices exhibebatur, & Ceratum ſantalinũ,quia fluxus nõ nihil hepaticus videbatur, hepatis regioni ſub noctem admotum. Nocte denuò ſumptis Narcot.gr.v.dormiuit,nec deiecit.

Die 4. Octobr.vti die Mercurij,ſedes redierunt, eiuſdem ſubſtantiæ & coloris,& toties ferè,vti die Mercurij. Repetitum Cataplaſma bis, Ceratum item,Inunctio,ceteraq; per os exhibenda.

Noctu circa mediam noctem, cùm bis priùs dejeciſſet, fœculentam ferè cum pauco muco cruento materiam, Nar.gr.iiij.ſumpſit, iterum dormiuit, nec quicquam deiecit.

Die 5. Octobr. ſemel deiecit eandemque noctu materiam, ſumpſit bolum paratum ex ſyrupo Cydon.Plantag.aq.Plantag.cum Aqua cocta,poſt horam cibum ſumpſit. Vſus eſt vti prioribus diebus, exhibitis admotiſque remedijs. Eâ die rariùs deiecit, pauca admodùm & liquida ſatis excrementa,

in

in quibus mucus spumosus, aliquando vix castaneę magnitudinis apparebat, leuiter cruore imbutus. Noctu iterum dedi Narcot. gr. v. sed mox vomuit, dormiuit tamen à deiectione quietus.

Die 6. Septembr. qui 14. morbi erat: ℞. conseru. Rosarum, carnium Cydon. an. ℥.j. pulueris Stiptici ʒ.ij. syrup. Cydon. & de Rof. rubr. an. q. f. fiat Electuarium: Capiat manè & vesperi bolum.

Item ℞. ol. Mastichini, Myrtill. an. ℥.j. Mastiches ʒ.ij. Nucis mosch. Gariophyl. an. ʒ.j. Ceræ q. f. fiat vnguent. Vngatur venter manè & vesperi. Repetatur Cataplasma, & Lotio pedum.

Die 7. iterum deiecit, sed tãtùm aquea quædam, nec cruor ampliùs, aut ramenta in excrementis apparebant, neq; toties aluus sollicitabatur, sed interuallo duarum vel trium horarum semel tantùm. Pergebat in vsu Elect. & Vnguenti.

Die 8. cùm noctu quater deiecisset, iussi repetere cataplasma & puluerem. Et cùm de torminibus ventris conquereretur, Clyster ex rad. Consolid. vt supra, repetitus fuit, deiecitq; copiosè fœtida excrementa, cessaruntque tormina, cœnauitque.

A cœna vnctum iterum fuit abdomen, lauitque pedes decocto suprascripto, sumpsitq; de conserua, sumptisque granis 5. Narcot. dormiuit quietè, & quater deiecit albam chylosam materiam.

Die 9. sumpsit syrup. de Plantagin. Cataplasma denuò adhibitum; excreuit eâ die sexies, primùm sanguinem spumosum, & sub vesperam materiam denuò albam & aquosam. Vnctio & Lotio repetita, vti & sequentibus diebus. Circa mediam noctem tormina sensit, excreuitque denuò alba, inde dolor mitigatus.

Die 10. flaua & fœtida deiecit, & post sumptum iusculum cum ouis, remiserunt ad meridiem vsque deiectiones, postquam quater adhuc eâ die excre-

uit, subcinerea fœtida excremēta: noctu verò pitui-tam cum guttis sanguinis magno cruciatu reddidit, cuius causâ Clyster denuò iniectus fuit, cuius vsu hæmorrhoides tumere admodùm, digiti instar & dolere cœperunt, deiecitq; iterum crocea fœtentia. Sumpsit Manus Dei cum succo Cydon. gran.v. mediâ nocte, vomuit aquea, excreuitque fœtida.

Die 11. quinquies tamen deiecit, materiam crassam fœtidam, cœpitque separatim vrinam reddere, quàm priùs cùm deijceret, simul excernebat, quod spem aliquam adstantibus adferebat.

Sed 12. redierunt copiosè deiect. guttis sanguinis permistæ, cœperuntq; vires admodùm deficere, ita vt iam è lecto ampliùs surgere minimè posset, sedesque in eum deponeret, corroborantia intus forisq; fuerunt adhibita. Nox admodùm inquieta, & propter sitim quoq; molesta.

Die 13. Butyrum petebat, comedit, deprauato potiùs quàm verò appetitu, delirium leue accedebat, virium omnimoda prostratio. Sub vesperam conuulsiones superuenêre, quibus ad duas horas perseuerantibus, extinctus est, cum magno patris Baronis luctu & dolore, cùm tunc solus ex illustri illa familia superstes esset.

Deiectio & vomitio sanguinis grumosi & picis instar nigri.

Vide in Vomitione Lib. III. Bis vomitus & deiectio &c.

Fluxus hepaticus & dysenteria.

Vide in Deiectione Lib. III. Dysenteria in puero &c.

Excretio

Excretio stercoris ex abdomine per fistulam.

CApitaneus quidam, Friburgi Brisgoiæ, ante annos multos in vẽtre vulneratus, stercus per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumis alioquin & superstes excreuit. Cuius causam inuestigans, ex anatomicis obseruationibus, certis argumentis collegi, intestinorum vulnera, si illis in locis, vbi carneæ musculorum abdominis portiones existunt ventrem penetrent, agglutinatis tunc mutuo vtrinque & intestinorum & musculosæ carnis, vulnerum in ambitu labijs, viam fieri posse, per quam stercus extra corpus educatur, & in abdominis cauum excidere prohibeatur, eaque vulnera licet consolidari nequeant, minimè tamen esse lethalia, quod licet rarum sit, tamen & in alijs partibus, vt vesica, accidere, suo loco dictum est.

Excrementorum alui omnium, indies, annos penè quinque, per vlcus fistulosum in ventre egressus.

IN pago quodam Oberdorff Basiliensis ditionis, mulieri grauidæ tuberculum nucis iuglandis magnitudine, in sinistra abdominis sede, transuersæ manus spatio, ab vmbilico erupit, quod in abscessum, indeque vlcus sinuosum abijt, ex quo aperto, sanies & pus copiosè effluxerunt, tuneque pruritu saltem quodam remanente,, dolor penitùs remisit, ipsaq; nihil mali passa, fœtum viuum & absolutum tempore partus idoneo peperit, nisi quòd excrementa alui per vlcus illud sinuosum, quod apertum manebat, progrediebantur, quæ ab eo tempore omnia, non ampliùs per aluum, sed hanc

aperturam expurgabantur, & vt procederent, mulier ipsa manibus ventrem premendo, bis indies, sic ab illis se exonerabat.

Hæc narrantem ipse audiui, Anno 1599. affectumque hunc inspexi, quem & postea fratri meo Medico, illic biennio post transeunti, patefecit, quo tempore aliàs omnia munia obiens, cætera incolumis viuebat. Sed vti postea cognitũ, subsecutâ atrophiâ quadam, & febre lentâ, consumpta, quinquennio post, à primo exortu huius mali, sensim placidè extincta est, An. 1602.

Magnaq; erat suspicio, à propinato toxico à marito, qui illi, quòd eum ob scelera sua apud magistratum accusarat, malè volebat, hoc profectum, quod intestina exedisse, eo loco, vbi tuberculum, primùm apparuit, si inde prodijt, verisimile est.

IN SORDIDA EXCRETIONE Obseruationes.

Sordes vnctuosæ è cicatrice capitis, semper exsudantes, pileumq; ea sede maculantes.

Memini senem quendam Senatorem nostrum mihi narrasse, se in adolescentia, accepto vulnere in capite & manu amputata, insignem caluariæ partem amisisse, & quod mirum in ea parte pilei; quæ locum affectum capitis tangebat, maculã pinguem ostendebat mihi, An. 1557. modò è Gallijs domum reuerso, quã dicebat, ab eo tempore, quo sanatus fuerat, semper integumẽtis capitis, quæ paulò diutiùs gestaret, apparuisse: expirante per hanc sedem, quæ callo coaluerat, nõ tamen ita, quin impressio quædam adhuc cerneretur, pingui hac materia.

IN

IN ANIMALIVM EXCRETIONE Obseruationes.

Vermium copia in intestinis.

VErmibus intestina scatere frequenter, non tantùm in ægris, verùm etiam in sanis supplicio affectis sæpiùs deprehendi. Inter quos mendicus quidam, qui tamen, dum viueret, discoloratus erat, capite mulctatus, sectus, supra viginti lumbricos intestinis inclusos gerebat. Quod & in porcis, dum mactantur, frequenter inuenitur. Sicuti in Tympanite intestinali supra in Extuberantia illius quoque mentionem feci.

Lumbricorum excretio.

PVerulum quendam ægrotantem Anno 1607. cùm inuiserem, deprehendi ex calore & pulsu febriculam, cùm dubitarem an à vermibus, vel variolis, quæ in simili febre erumpere solent, hęc procederent, dicerentq; illum variolis priùs laborasse, vermibus pellendis curam accommodaui.

Iusiq; Emplastrum ex farina Lupinorum cum Felle bouis subacta, & Aceto forti paratum, vmbilici regioni applicare.

Propinaui insuper decoctum cort. Arantiorum, cum Saccharo paràm inspissatum, & aqua Nucum dilutum, & sub noctem Lumbricum per aluum excreuit.

Suspicans alios adhuc adesse, sequenti die sequens exhibui: ℞. syrupi Rос. sol. cum infus. Rhab. ℥.ß. Diagrydij gr. ij. misce.

Postquam aluus solui cœpit, plures adhuc reiecit

Lumbricos, sanusque euasit, benè deinceps coloratus, qui priùs pallidus erat.

Lumbricorum deiectio, & capitis dolor.

PEr interualla capitis dolore diuexabatur quidam nobilis adolescens, & vermes lumbricorum instar, aliquoties deijciebat. Curatus à me hoc pacto Nancei An. 1601. sic fuit.

Purgatus primùm fuit infuso Rhabarbari.

Dein iussi vt noctu applicaret emplastrum paratum, ex farinæ Siliginis scutella vna, pinsita cum Felle bouis, addendo cochlear. j. pulueris Absynthij & duo cochlearia olei Absynthini, cum pauco Aceto; Gestet noctu supra vmbilicum. Si vermes prodeant, continuet adhuc aliquamdiu, vt & alij exeant.

Pilulis sequentibus frequennter vtatur, quinque sumendo, cum Pomo tosto, hebdomadatim, quæ proderunt capitis dolori, eum præcauendo, & vermes aliaque expellendo, à quibus euaporatio hæc procedit. Pilulæ: ℞. Aloës succocitr. ℥.j.ß. radic. Gentianæ ʒ.ß. Diagrydij ℈.ß. Cum succo Absynth. fiant Pilulæ: Capiat ʒ.ß. pro vice.

Sumat de tabulis vnam, quando dolor capitis inuadit & superdormiat, statimque mitigabitur: ℞. Mithrid. ʒ.j. specierum Diacodij ℈.j. specierum Diarrhodon. ʒ.ß. Sacchari dissoluti in aqua Betonicæ ℥.ij. Capiat vnam.

Lauet pedes sæpè noctu Lixiuio, in quo Violaria & Chamomilla cocta sint.

Lumbri-

Lumbricorum inuicem conuoluto-rum excretio.

VIde in Mictione Lib. III. Mictio sanguinis ob casum &c.

Vermis ex vmbilico prodiens.

EX vmbilico mulieris cuiusdam, post suppurationem in vlcere illic genito factam, vermis rotundus breuis ascaridis instar, emersit.

Lumbricorum cum fœcibus alui, ex vlcusculo in vmbilico exitus.

PVer quidam Piscatoris filius, annorum septendecim, in summo æstu, se admodùm exercens, ita incaluit, vt aquam frigidam affatim biberet, vnde cœpit nonnihil malè habere, atque hyeme sequenti venter illi intumescere, ex vmbilicoque pus effluere, tandem etiam vlcusculum exiguum, illic se patefecit, per quod aliquot lumbrici, interpolatis vicibus erepserunt, atque excrementorum alui portiunculæ, quæ petijs circumligatis adhærebant.

Hic puer mensibus duobus elapsis, febre lentâ contabescens, sensim ex vita hac migrauit, Anno 1612. Quæ omnia à fratre meo Medico, qui illum inuisit, remediaq; ei adhibuit, mihi relata, hîc cum reliquis quæ ipse vidi, annotare volui.

Vermium cum cibo in inguine exitus.

RVstica matrona, cùm in messe, Anno 1593. ex alto desilijsset, herniosum tumorem post octiduum, in sinistro inguine, prominere sensit, tan-

dem abſceſſus quoque illic genitus eſt, eoque maturato & rupto, diu pus ſanioſum effluxit, mox chylus & cibus ſemicoctus indies emanauit, poſtmodum etiam quatuor lumbrici per eundem locum prodière. Inſpexi illam, chylumque fluentem obſeruaui, ex quo vlcus fiſtuloſum tenuia inteſtina peruaſiſſe certò iudicaui. Alioquin ſatis benè habita, quæ an diu poſtea ſuperuixerit, neſcio.

IN ANIMATORVM EXCRETIONE Obſeruationes.

Molæ incipientis frequens reiectio.

GEneroſa quædam mulier, poſt vnum aut alterum partum fœtus abſoluti, poſtea aliquoties, cùm ſe grauidam aliquot menſibus ſuſpicaretur, ſuperueniente ſubitò largo admodùm fluxu menſtruo, cum eo maſſam carneam per vterum reiecit: quàm cùm non viderim, quid eſſet, iudicare minimè potui. Verùm, cùm hoc idem, illi fluentibus alioquin iam diu rectè & ſtatuto tempore menſibus, ipſo tempore menſium, accidiſſet, reiectum illud ad me, vt an conceptionis fœtus, aliquod in eo indicium appareret, dijudicarem, in aqua poſitum tranſmiſit. Quod conſiderans & diuidens, carnem aliquam ſolidam, cordis ſubſtantiam repræſentantem, molliorem tamen, & quæ faciliùs diuidi poterat, ſed nonnihil fibroſam, deprehendi, nullam alioqui cauitatem in ea, aut veſiculam, aut fœtus rudimentum, vt aliàs in eiuſmodi reiectis, obſeruans cognoſcere potui, ex quo molę principium & rudimentum aliquod eſſe, iudicaui, illique hoc per literas ſignificaui.

Anni

Annis postea sequentibus ad annum 1603. vsq;, quo tempore eam inuisi, simile reiectum singulis duobus mensi bus ab ea, præcedenti copioso fluxu menstruo, conueniente alioquin tempore, reij ci narrrabat, & ter quaterúe illud ad me, vt inspicerem transmisit, quo tempore certa quædam ei præscripsi remedia, an fortè post tot alia, priùs ab alijs Medicis vsurpata, totque thermarum vsum, hæc aliquid efficerent. Filiam habebat vnicam, quam ante decennium pepererat, à quo tempore, non ampliùs peperit. Itaq; ad vitandum immatuturum illum abortum, duobus sequentibus remedijs id efficere conabamur.

Inprimisq; vtebatur puluere sequenti alternis diebus, sumendo cochl.j.cum Vino rubro: ℞.rad. Bistortæ, Tormentill.sem.Plantagin.an.ʒ.j. semin. Portulacæ, sem.Nasturtij tosti an.ʒ ß.Rof.℈.j. Coriandr. præpar. ℈.ij.rubr. Corall.ʒ.j. rasuræ Eboris ʒ.j.ß. Sacchari rof.tab.℥.ij.fiat puluis.

Præscripsi quoq; Emplastrum, quod ante menstruorum fluxum, per aliquot dies in regione vteri gestaret, sequens: ℞. Emplastri pro matrice ℥.iij. malaxetur oleo Mastichino, addendo semin. Plantagin.ras.Eboris, seminum Nasturtij torref. an.ʒ.j. Mastiches ʒ.ij.fiant emplastra.

Horum vsu, post menses tres, cùm adhuc duo reiecta prioribus similia eiecisset, tandem cessauit, hic iam multos annos durans abortus, ipsâ alioquin incolumi, & nihil mali ab eo passa, nec attenuata, immò supra modum obesâ factâ, primis matrimonij annis alioquin macilenta.

Quam nimiam corporis molem, cùm quò miminùs conciperet, causam plerique Medici esse, iudicarêt, Hipp. authoritate moti, qui pinguedinem circa vteri regionem, conceptionem impedire docet, vt si fieri posset, corpus attenuaretur, habilisq;

ſic ad conceptionem fieret, quod vnicè maritus illius, qui ſolus ex ſua illuſtri familia ſupererat, petebat, Generalis ideò cura in ea ſic rectè fuit inſtituta.

Primùm laxatiuum hoc antè venæ ſectionē die præcedenti ſumſit: ℞. Cathol. ʒ.vj. ſyr. Roſ. ſolut. cum infuſ. Rhabarb. ℥.j. cum aqua Endiuiæ & Borraginis fiat potio. Aperiatur vena brachij mediana ſequenti die, & poſtea vtatur hoc Apozemate: ℞. rad. Cichorij ℥.ij. Eryngij, Liquiritiæ an. ℥.j.ß. Fœniculi ℥.j. Enulæ ʒ.vj. Phu veri, ʒ.ij. cort. Sambuci ℥.ß. herb. Artemiſiæ, Nepetæ, Bugloſsi vtriuſque cum toto, Fumariæ, Endiuiæ, Chamædreos an. M.j. fl. Cheiri, Geniſtæ, Cordial. an. P.j. ſumm. Roſmarini, Maioranæ an. P.ß. ſeminum Aniſi ℥.ß. Fœnic. Sileris mont. an. ʒ.j. Cicerum rubr. P.j. Paſſul. paria xx. ſeminis Carthami conquaſſ. ℥.j.ß. radic. Polypod. fol. Sennæ an. ℥.ij. Fiat decoctio in aqua q.ſ. addendo Vini albi ℥. viij. & in colatura infunde Rhabarbari elect. ℥. ß. irrorati priùs aquâ Cinamomom. fiat expreſsio, adde ſyrupum Roſar. ſolut. ſimpl. ℥. iiij. Sacchari q. ſ. vt dulcedinem decentem acquirat, fiat Apozema arom. Cinamom. q. ſ. Pro ſex doſibus.

Finitâ præparatione, quieuit per diem vnum, poſtea iterum purgabatur hac potione: ℞. Rhabarbari elect. ℈.iiij. Cinamom. ℈.j. infunde in Vino & aqua Endiuiæ, fiat expreſsio. diſſol. Elect. de ſucco Roſ. Diaphœnici an. ʒ.j.ß. ſyr. Roſ. ſolut. ℥.j. fiat potio. Vel vtatur pilul. Aggregat. ʒ.j. loco pot. Abſolutâ purgarione ſumſit ʒ.j. Trypheræ magnæ ſine opio in craſtinum. Inde ad ſudores prouocandos, & abſtinentiam aliquam in victu accedebat.

Primùm itaque vſa eſt, hoc ſudatorio decocto: ℞. ligni Guaiaci raſi ℔. ß. Zarſæ parillæ inciſæ ℥.ij. Salſafras ℥.j. radic. Cichoreæ ℥.j. radic. Enulæ ℥.ß. deco-

decoquantur in lib. octo aquæ, ad consumt. ab initio curæ, tertiæ partis, in progressu verò, medietatis. Vtatur manè ab ℥. v. ad vj. & vltra ascendendo.

Dein præparetur Potus ordinarius, quem in prandio & cœna, loco vini bibat. Qui fiat ex Residentia iterum decocta, cum aquæ mensuris sex, ad consumptionem tertiæ partis. Vel ex quarta parte materiei, cum totidem mensur. decocta. Potest aromatizari Cinamom. & Saccharo, si cupiat dulcorari. In progressu curæ posset & ante cœnam sudatoria potione vti, & sudare. De tempore ad quod vsque cura continuabitur, vbi certior factus fuero, quo pacto eam perferre posit, me pronunciaturum exposui.

Diætam seu viuendi rationem, quam interea, dum hisce vtitur, obseruare debet, sic ordinaui: Vt bis in die cibum capiat, sufficere mediam Gallinam coctam cum iusculo; pro prandio, vti & in cœna, vel mediam Perdicem assam, sed tenuiter omnia salita. Panisq; recta portio propinetur. Possunt & Oua, istis omissis, duo comedi, vti & Passulæ, Poma cocta & similia, quæ administro Medico præscribenda relinquo. Regula hæc sit: Simplex cibus & vnus, cum pani, moderata portione concedatur. Qui mutari potest, ne vno saltè maceretur. Quantitatem appetitus iudicabit, qui cibo peracto non penitùs satiatus esse debet, nec tamen vltimâ cibi abstinentiâ debilitari.

Molæ excretiones.

Molas aliquot reiectas vidi, immensæ magnitudinis, partim carnis atræ, partim crassarum membranarum speciem referentes. Ex quarum forma vulgus multa sibi, ac si caput, aut alia pars corporis, vel aliquod animal esset, vel repræsentaret, imaginari solet.

Fistulosum reiectum ex vtero.

COmitis cuiusdam vxor, vt superiùs in cura illius ostensum fuit, cùm multos annos nô conceпisset, consilio meo vsa, post varia remedia tentata, cùm pessaria supponeret, membranosum corpus crassum, amplum, fistulosum, multis appendicibus obsitum, per vterum eiecit: ab eoq; tempore mox concepit peperitque.

Stella membranosa per vterum reddita.

SCulteti cuiusdam in Heluetiæ pago coniunx, sterilis mulier, pessarijs quoque me iubente immissis, simile corpus membraneum, sed in medio orbiculare, & in ambitu radios crassiores aliquot, stellæ alicuius instar, diuisum; quorum singuli in multos ramos disseminabátur, stellam arborescentem maritimam, qualem Rondeletius depingit, egoq; sæpè Monspessuli vidi, ad amussim referens, ex vtero sine omni dolore, vno conatu, deiecit.

Reiectum ex vtero membraneum in Sterilitate.

VIde in Conceptus defectu Lib. I. Sterilitas, Vterini dolores &c.

Fasciæ & Ligulæ intestinorum reiectæ.

LVmbricos latos quos vocant, quadraginta pedes, plus minùsue longos, reiectos tanto impetu, vt intestina omnia simul profundere se crederent patientes, aliquoties vidi. Hi nullam in se cauitatem habent, sed ex vna tantùm crassa alba mucosaq;

cosáq; membrana constantes, nigris maculis transuersim distinguuntur, nec motum vllum edunt. Ex quibus non viua hæc esse animalia, præsertim cùm non teretium lumbricorum modo, titillationes rosionesúe moueant, sed ligulas faciatúe membraneas, ex chylo genitas, cùm multa eiusmodi corpora, quæ nutriuntur & crescunt, tum hac, tum alia formâ non solùm in hominis intestinis, sed alijs quoq; locis, vti & in reliquis quoque animalibus nata, quæ tamen animalia non sunt, sæpè inueniantur, primùm coniecturare & asseuerare cœpi. Ita canes longissimas quoque ligulas excernunt. In porcis quoque lanij frequenter deprehendunt. In piscibus sępè inueniuntur. In cancris certo tempore obseruantur. In halecibus quoque ante annos aliquot passim inuentæ, ac si serpentibus scaterent, cum magno mercatorum damno, fuerunt passim in fluuios proiecti.

IN TERRESTRIVM EXCRETIONE, ET QVORVNDAM E CORPORE SECTIONE, Obseruationes.

Calculi Renum mictione redditi.

VIde in Hypochondriaco dolore. Lib. II. Nephrit. dolor ob calculum &c.
Item Calculus renum Ter.

VIde in Mictione, Lib. III. Mictio cruenta ob calculum Ter.

Calculi renum post obitum, ex illis secti.

VIde in Habitus corporis dolore. Lib. II. Arthritis cum subsequente febre hectica &c.

VIde in Nephritico dolore. Lib. II. Calculus immensus renum &c. Iterum ibidem In matre calculi.

Calculi quamplurimi in renibus, Mictio suppressa.

IN cuiusdam, qui vrinam reddere minimè potuit, post mortem, Anno 1609. aperti renibus vtrisque, miræ magnitudinis, sed ex cœruleo nigricantes calculi, non solum in illorum cauitate, sed etiam per vniuersam renum substantiam dispersi, circiter sexaginta inuenti sunt, alij ciceris magnitudine, sed oblongi, plerique sicuti grana milij, renum carni infixi. Vesica inanis erat ab omni vrina.

Calculi vesicæ mictione redditi

VIde in Mictione Lib. III. Mictio purulenta &c. Item Puris cum vrina & sine ea &c. Item Puris cum vrina &c.

Calculi vesicæ infiniti mictione redditi & execti.

THeologus quidam Mylhusanus, calculos bis mille & plures mingẽdo paucorum annorum spacio reddidit, quos singulos separatim in charta inuolutos, dierum numero adscripto, mihi multisque alijs ostendit. Huic cùm plures calculi maiores, à renibus descendentes in vesica subsisten-

tes,

tes, lithotomiâ extracti essent, postquam semel sanatus, rursum idem pateretur, sectione factâ, piè in Domino obdormiuit, circa Annũ 1558. quo ego illum inuisi, eumque de hoc affectu loquentem audiui, calculosque vidi.

Calculus vesicæ in ceruicem ipsius vi adactus, indeque postea exsectus.

PVero mercatoris cuiusdam annorum septem, calculo vesicæ laboranti, lithotomus Italus, sine sectione lapidem eximere volens, digitum sinistræ manus medium, butyro inunctum, in podicem immisit (quæ ratio calculum inueniendi omnium est optima & tutissima) ac dextra manu, ventrem inferiorem, in regione pectinis premens, digitoque podici intruso calculum propellens, vi illum ex vesica in ceruicem illius impulit: vbi cùm ob magnitudinem subsisteret, ac tactu supra podicem deprehenderetur, illic sectione factâ, supra lapidem, cochleari ferreo mox exemit, qui si minor fuisset, per meatum penis facilè exprimi vel exugi potuisset.

Huic sectioni ego ante annos supra quadraginta interfui.

Calculus vesicæ è virga exectus.

NOn multo post tempore Generoso cuidam, calculus in virga substitit, inæqualis admodùm & tortuosus, qui cùm nulla ratione cedere vellet, cruciatumq; summum adferret, sectione factâ in canali, eo loco, vbi hærebat, impetu quodam, supra manum meam exilijt, qui eum illic retinebam.

Calculi vesicæ duo, post mortem sectione deprehensi.

VIde in Mictione. Lib. III. Ardens mictio, stranguria &c.

Calculi, in folliculo seu vesica fellis, sectione cogniti.

ALiquoties in vesicula fellis, non solùm in humano corpore sectioni exposito, sed & in animalibus deprehendi, nunc argenteo nunc aureo colore splendentes, paruos rotundos, oblongos, nunc maiores.

Calculi infiniti in vesicula fellea, Sopor profundus, Pedes tumidi.

COmitissa quędam sterilis, in reditu ex thermis Helueticis, in profundum incidit Soporem, adeò, vt nocte tota matutinoque tempore ad vesperam vsque, somno obruta, non nisi admodùm impulsa, ab eo excitari potuerit, à cibo potuq; abstinens, & vbi parùm excitata vigilasset, mox iterum obdormiscere solita. Insuper & alijs accidentibus, inter quæ & pedum tumor, atque inflatio, erant, oppressa, tandem expirauit.

Huic operam dantes Medici, inter quos & frater meus Thomas erat, corpus illius, consentientibus amicis, apparuerunt, atq; abdomen pinguedine supramodū, transuersę manus spissitudine obtectum intrinsecusq; omentum mesenterium, eadem admodùm referta, deprehēderunt, vti & Hepar Lienemq; vitiata. Renes insuper perforati erant, sicuti in Hydrope ascite, qui à hepate fisso & renibus pertusis oritur. Lib. II. In Extuberantia, demonstrauimus.

Sed

Sed & præter hæc aliaque vitia, hoc præcipuè memoriâ dignum inuentum fuit. In Vesicula fellis, quæ tota ampla sed nigra erat, loco bilis quâ destituebatur, Calculi innumeri inclusi erant, coloris cinerei & subuiridis, è quibus sex magnitudinem nucis moschatæ adæquabant, rotundi sed angulosi ac læues, minores verò circiter trecenti, alij pisi, alij sem. Coriandri, alij sem. Raparum magnitudine. E quibus maiores aliquot frater meus Medicus, qui eam secuit, corpusque illius, vt conseruari diutius, atque in ditionem suam transferri posset, Asphalto alijsque ad eiusmodi corporum condituram necessarijs condiuit, mihi attulit, idque An. Sal. 1606. mense Septembri.

Calculi sub lingua exitus.

VIde in Oris dolore Lib. II. Inflammatio, abscessus sub lingua &c.

Alter calculus sub lingua procidens.

INtumuerat mulieri cuidam admodũ lingua, ita vt eam mouere, aut loqui non posset, vti neq; aliquid deglutire, rupto tãdem sponte abscessu, procidit calculus tophaceus, durus & magnus.

Tophi ex mamilla.

VIde in Superficiei corporis dolore. Lib. II. Tumor in mamilla immensus &c.

Tophi è parotide iuxta aures exempti.

VIde in Deformatione Lib. III. Tumor iuxta aures, è quo &c.

Calculi tophacei in pollice Pedis podagricæ.

VIde in Habitus corporis dolore Lib. II. Calculi tophacei in pollice &c.

Calculus è supercilio exemptus.

VIde in Deformatione Lib. III. Tumor in supercilio &c.

Arenulæ rubræ copiosæ, in hepate, mictione redditæ.

NObilis quidam ictericus & cachecticus, dolorem in regione hepatis ex compressione sentiens, cùm copiosas arenulas adeò rubicundas & cruentas, vt ex contactu res tingerent, per vrinas deiecisset, & à tumore alijsque malis liberatus euasit, causamque huius mali hepatis arenulas fuisse, comprobauit.

Arenulæ, Calculi, & Tophi in hepáte.

IN hepate arenulas copiosas & calculos, tophosq; non solùm in hominibus, sed & bestijs reliquis, præsertim cornutis, atque ijs, quæ sale admodùm delectantur, sæpenumero nasci, & sectio & quotidiana docet experientia. Præter enim arenulas nunc exactè rubras, nunc cinereas, nunc flauas, calculosque variè coloratos & formatos, tophos coralloides ramosos interdum, interdum simplices albos, cauos intrinsecùs, membranâ crassâ mucosâ succinctos, & sanguine atro refertos, hepatis vasorum ductibus aliquousque innatos, ac si interior ipsorum substantia, tophacea facta esset, ex iecori-

iecoribus tum humanis tum brutorum animaliũ, aliquoties secui. Quæ documento sunt, multas hepatis obstructiones duritiesque, quas cachexia hydropsque sequuntur, non solùm ab humoribus, sed & eiusmodi corporibus, quorum Practici tamen non meminerunt, frequenter quoque proficisci; quæ tamen in molem aliquam adaucta, cùm è corporibus viuentibus, nec extrudi sponte, nec eximi vlla arte posint, abstrusa incognitaq; nobis manent, atque vnà cum ęgrotantibus sepeliuntur: causaque sic ignoratur.

IN RERVM EXTERNARVM CORPVS SVBEVNTIVM EXCRETIONE Obseruationes.

Ciborum in inguine exitus.

VIde in Animalium excretione. Lib. III. Vermium cum cibo in inguine &c.

Pomorum seminum, à pomis comestis progressorum, per tumorem vlcerosum in hypochondrio exitus.

VIdua quædam multos annos, in sinistro hypochondrio, tumorem cum dolore aliquo primùm sentire cœpit, atque ab eo tempore admodùm valetudinaria fuit, & nunc de ventriculi imbecilitate, nunc de vterinis & nephriticis doloribus, imprimis conquerebatur: vnde quandoque remedijs quibusdam vtebatur, vt hisce mederetur, tumori vulgaria applicans topica, à quibus nonnihil emollitus, & hinc inde foraminulis patens, ichorosum tenuem & serosum veluti exsudabat humo-

rem. Quod cùm diu durasset, indiesque empla. strum, vt repurgaretur, amoueret filia, tandem in eo semina pomorum adhærere obseruauit, illudq; mihi retulit, dicens illam vix alio cibo, quàm pomis coctis & assis vti, sicque sustentari, à quibus hæc semina prodiisse, vti & postmodùm, cùm obseruaretur, sæpe hoc fieri, & tunc saltem quando hæc poma comedebat, ea progredi, ab intestinis vlceratis, & illic apertis, vbi tumor patebat, hoc prouenire, conijcere potuimus. Biennio exacto, paulò antequam hęc semina primùm apparuerunt, sensim viribus deficiens, An.1613. mortua est.

Caseus in intestinis diu retentus, & vermiculi, excreta.

COlicis cruciatibus præfectus quidam, diu vexatus, conuulsionibusque laborans, post clysmatum vsum, casei concreti induratique magnam per aluum eiecit copiam, quem diu in intestinorũ anfractibus hæsisse latuisseque, ex eo conijciebatur, quòd longo tempore nullum, ob interdictum à Medicis illius vsum, caseum comederat, priùs verò antequam ægrotaret, immoderatè se eo sæpe replerat.

Sed & ille ipse vermiculos exiguos, quales in caseo putri nascuntur, vnà cùm vrina, copiosos eminxit, qui aliquandiu per vrinam natantes, mox mortui, in fundum vitrei vrinalis delabi, illicque colligi cernebantur, quos à caseo diu retẽto, & putrescente prodijsse, venasque cum sero penetrasse, & cum eo in vesicam peruenisse, verisimile erat.

Ossicula

Oßicula parua coniecta in intestinis diu hærentia, reddita.

MVlier quædam colico dolore afflicta, post enematum vsum, ossicula parua multa, qualia gallinarum pedum digitos construunt, deiecit: quæ quoque longo tempore, in intestinorum gyris subfstitisse, illud declarabat, quòd, sicuti narrabat, ante annos aliquot, cùm decocto Gaiaci vteretur, gallinarum pedũ internodia eiusmodi multa deuorare solita fuerit, & ab eo tempore, ab omni gallinarum esu, abstinuerit & abhorruerit.

Argentum viuum, casu innoxiè assumptum & excretum.

HYdrargyrum, in occluso vase aquario reconditum, cùm casu mulier ebibisset, aquam inesse existimans, in pago quodam, statim timore perculsa, ad me consilij causâ properauit, atque in itinere, magnam illius, & in hypocausto meo quoque, inuoluntariè per secessum elapsi copiam excreuit, nec quid mali postea est passa.

FINIS.